AXIOMATA PHILOSOPHICA

Sub

Titulis XX. comprehenſa:

A

DANIELE STHALIO,
Inclytæ Academiæ JENENSIS
Profeſſore publico:

Quæ variis exemplis illuſtrantur, diſtinctionibus declarantur, & certis limitationibus accuratè determinantur.

Editio tertia.

Infinitis mendis repurgata, & Indice locupleti jamtandem aucta.

CANTABRIGIÆ,
Ex Officina ROGERI DANIEL, Almæ Academiæ Typographi.
MDC XLV.



fu
ne
cn
m
de
re
la
in

m
p
ti
n
tu
c
ti
r

j

¶ Lectori.

SCias velim, Amice lector, fœtum hunc Autoris nostri acutissimi, à plagiario quodam clanculum surreptum fuisse, & tam malè enutritum, ut pene dixerim nil nisi nævos, vitia, & cujuscunque generis errata turpissima contraxerit: verbo dicam & fideliter: si hîc sigillatim illa omnia recenserem, certè id non esset epistolam in libro, sed librum in epistola inscribere.

Sed te monerem solùm, Lector amice, satyram verò hîc scribere est præter institutum: Hoc igitur tantùm est; Nos, diligentiâ, dixerim, non minimâ (in quantum fieri potuit, propter locos sæpiuscule intricatissimos) reddidimus autorem sibi, tibi facultatem legendi, nobis laborem tantúm.

Porrò cùm mecum reputarem hujusmodi libros unâ continuâ lectione

raro perlegendos, ſed prout res ſolùm poſtulat, in manus aſſumendos, operæ pretium quàm maximè duxerim, ſi indicem, quo occaſionibus tuis promptè ſubſervirem, huic editioni feliciter adderem, addidi igitur locupletem, Vale & fruere.



INDEX.

Prior numerus paginam, secundus sectionem, Paragraphus (¶) regulam esse, designat.

¶ 4 Actus

Per

Differunt



R



uſ
tis
de
nu
tu
pr
ne
rit
fa
A
ta
ve
tit
liſ
ra

EXPOSITIONIS REGULARUM PHILOSOPHICARUM

Procœmium generale.

Constituimus regulas Philosophicas, quæ propter generalitatem suam in omnibus disciplinis insignem præbent usum, paulò fusiùs explicatas, & certis limitationibus, opus ubi fuerit, determinatas, in formam disputationum redigere, eásque studiosæ juventuti examinandas atque discutiendas proponere. Quanquam autem illas sine ullo ordine, ut quæque sese obtulerit, exhibere, aut quod ab aliis quoq; factum novimus, seriem literarum Alphabeti sequi poteramus; visum tamen est, secundùm materiarum diversitatem præscriptis peculiaribus titulis eas distinguere, ínque iis qualiscunque connexionis atque ordinis rationem habere. Meritò autem re-

gula, quæ in doctrina eſſentiæ, entis & non entis, vel eſſe & non eſſe *occurrunt, primas ferunt & familiam ducunt, propterea quod iſti termini generaliſſimi ſunt & omnium primi, primúmque principium ſuggerunt, quod Philoſophus* 4. Met. cap. 3. *ἁ πασῶν βεβαιοτάτην καὶ γνωριμωτάτην τῶν ἀρχῶν, firmiſſimum & notiſſimum omnium principiorum,* φύσει *item* ἀρχὴν τῶν ἄλλων ἀξιωμάτων πάντων, *naturâ principium omnium aliorum axiomatum, honorificâ admodum appellatione nominat. Id hiſce verbis proponit:* Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. *Sit ergò*

TITULUS I. continens REG. VII circa doctrinam Eſſentiæ, Entis & non Entis, vel Eſſe & non Eſſe.

REGULA I.

Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.

1. IDem eſt, quod verbis affirmandi & negandi Philoſophus enunciat, *cit. lib.* 4. *Met. t.* 27. & 1 *Poſt. t.* 82. *Impoſſibile eſt idem ſimul affirmari & ne-*
ga

gari de eodem. Et quod *cit. t.* 27. & *præced. t.* 15. ait, *Contradictoria non possunt esse simul vera.* Et *t.* 29. *Altera contradictionis pars est falsa.*

2. Ex quibus ipsis perspicuum jam est, non tantùm de esse & non esse universaliter sumto, sed & de tali esse sive de quovis esse determinatiori regulam veni-re intelligendam. Quò facit *t.* 83 *cit. l.* 1. *post.* Quàm impossibile enim est, Petrum simul esse & non esse, tam impossibile est, eum simul esse hominem & non esse hominem, esse album & non esse album. Id quod & circa *seq. reg. Quodlibet est vel non est*, obser-vandum. Non tantum enim necesse est, Petrum esse vel non esse, sed & esse hominem vel non esse homi-nem, esse album vel non esse album.

3. Notanda autem est particula *simul*, id est, eo-dem tempore. Diverso enim tempore potest idem esse & non esse; sicut aqua cùm hoc tempore sit cali-da, alio tempore non est calida. Quin etiam cum re-liquis requisitis, quæ ad veram contradictionem Ari-stoteles 1. *Elenc* exigit, ista propositio intelligenda est: Impossibile est idem simul esse & non esse πρὸς τὸ αὐτὸ, ad idem, κατὰ τὸ αὐτὸ, secundùm idem, & ὡς-αύτως, eodem modo: id quod significat Aristoteles, quando *cit. l.* 4. *Metaphys. t.* 9. ait, *Idem simul inesse & non inesse eidem & secundùm idem impossibile est, & quæcunque alia à nobis adjungi possent, ad Logicas dif-ficultates sint adjecta.*

4. Quemadmodum autem aliàs nihil tam absur-dum, ineptum, & ab omni ratione abhorrens est, quin aliquando aliquem assertorem & defensorem habuerit; ità exstitisse olim perhibentur, qui certissi-mum hoc & omnium evidentissimum axioma negare, & fieri posse, ut idem simul sit & non sit, dicere veriti non fuerint, quamvis Aristoteles existimet, eos, licèt verbis id prodiderint, secum tamen, apud animum suum non ità statuisse, quando scribit, *Fieri non po-test, ut idem quisquam esse & non esse existimet, quem-admodum nonnulli Heraclitum dicere arbitrantur. Neq; enim necesse esse, ut quæ quis dicit, eadem & sentiat.* Quod etiam innuit 1. *post. t.* 76. Disputat autem

prolixè contra eos idem Philoſophus, *in alleg. illo lib. 4. Met. c. 4. & ſeqq.* & axiomatis noſtri veritatem maſculè aſſerit.

5. Quanquam autem id abſolutè & κατ' ἀλήθειαν demonſtrari nequit, cum nec eo notius, nec oppoſito ejus, nempe contradictoria ſimul poſſe dici de eodem, abſurdius quicquam ſit; quò minùs tamen κατ' ἄνθρωπον demonſtretur, & eorum, qui negatum id eunt, vel protervia retundatur, vel ſimplicitati conſulatur, nihil obſtat; Cùm fieri poſſit, ut is qui id, quod notiſſimum eſt, inficiatur alia minùs evidentia tanquam evidentia admittat, & qui quod omnium abſurdorum maximum, pro abſurdo non habet: alia in abſurdis numeret. Philoſophus diſtinguit inter τὸ ἀποδεῖξαι καὶ τὸ ἐλεγκτικῶς ἀποδεῖξαι.

6. Petrus Hurt. de Mendoza, *diſp. Met. 3. ſ. 3. à nullo unquam homine id fuiſſe negatum ſcribit, ſed Ariſtotelem ſuo more id alicui ex ſuo cerebro impoſuiſſe, ut indè occaſionem arriperet illius confirmandi.* Atqui repertus eſt noſtro ſeculo, qui non ipſe tantùm id negare non dubitavit, ſed & orbi Chriſtiano perſuadere auſus fuit, veritati fidei id eſſe inimicum. Scribit enim Sycophanta ille, qui fa'sò ſe Chriſtianum Iſraelitam nominat, in libello quodam famoſo, *aſſert. 3. contra Grawerum, axioma illud naturale, quòd duo contradictoria non poſſint ſimul eſſe vera, cùm impoſſibile ſit idem ſimul eſſe & non eſſe, neminem verum Chriſtianum poſſe agnoſcere, imò nec debere.*

7. Eam nimirum fidem in populo Chriſtiano eſſe voluit, qualis Judæis paſſim in Thalmudo, ut refert *Buxdorff. in Synagog. Jud. cap.* 1. inculcatur, nimirum ſi duo Rabbini inter ſe contendant & pugnent ac ſermones contradicentes proferant, non minùs credendum eſſe, utrumque doctrinam ſuam à Moſe accepiſſe, imò, quæ ſumma eſt blaſphemia, utramq; ſententiam verbum Dei viventis eſſe.

8. Nos non ferendæ impuriſſimi ſcurræ illius impudentiæ impióque & pernitioſiſſimo dogmati pauciſſimis obviam ibimus: I. Si verus Chriſtianus nec poteſt nec debet agnoſcere hoc axioma, *Contradicto-*

ria

ria non possunt simul esse vera, quî factum est, quod Apostolus id agnovit & usurpavit, quando Rom. 11. v. 5. & 6. *Sic igitur*, inquit, *& in hoc tempore reliquiæ secundùm electionem gratiæ fuerunt. Quod si per gratiam, jam non ex operibus, quandoquidem gratia jam non est gratia. Sin ex operibus, jam non ex gratia, quandoquidem opus jam non est opus.* Apostolum hîc pro absurdo & ἀδυνάτῳ habere, aliquid esse gratiam & non esse gratiam, esse opus & non esse opus, quæ contradictoria sunt, & isto axiomate, quòd contradictoria non sint simul vera, argumentum suum fundare vel cœcus videt. An verus Christianus non fuit Apostolus, qui axiomate illo naturali fuit usus? An in hoc ab officio electi Dei organi decessit?

9. II. Si contradicentia possunt simul esse vera, quid 1. Theologi desudant in conciliandis iis Scripturæ textibus, qui adversarii sibi invicem videntur? 2. Nihil agunt, dum in disputationibus inter alia etiam hoc telo contra adversarios utuntur, quòd ostendunt, non solùm unum alteri, sed eundem sibi ipsi contradicere, imò hoc vel illud eorum dogma seipsum contradictionis gladio jugulare. Imò 3. è medio tollitur omnis disputatio, ut quæ inter contradictoria versatur, eóque unicè nititur, quòd una contradictionis pars vera sit, altera falsa. 4. Admittendæ erunt sine discrimine hæreses & quævis fanatica dogmata, si admittitur, contradictoria posse esse simul vera.

10. Dicis: Quamvìs statuamus, contradictoria posse esse simul vera, hujusmodi dogmata tamen non esse admittenda, propterea quod cum Scripturis sacris pugnent. Sed quid est, aliquod dogma pugnare cum sacris literis? Profectò nihil aliud, quàm sacras Scripturas & illa dogmata sibi invicem contradicere. Si igitur & ea vera atque credenda sunt quæ sibi invicem contradicunt, lethale vulnus non inflixeris homini fanatico, si demonstraris, ejus opinionem cum Scriptura pugnare.

11. Sed cur, quæso, Christianus nec potest nec debet agnoscere axioma hoc, Duo contradictoria

non possunt simul esse vera? an quia naturale est? Atqui & id axioma, quod dicit, parentes esse honorandos, est naturale. Ergò à Christiano agnosci nec potest, nec debet?

12 Ex axiomate præsenti nonnulli, viri & eruditissimi & in Philosophia Peripatetica versatissimi, communicationem propriorum evertere conantur: Cùm enim secundùm 1. *Top. cap.* 4. de ratione proprii sit, ut soli insit, & cum re reciprocetur, manifestam contradictionem involvi credunt, si proprium alteri communicetur. Hoc ipso enim competet soli & non competet soli, reciprocabitur & non reciprocabitur.

13. Verùm ipse Philosophus 5 *Top. c.* 3. docet, ità proprium esse posse aliquid alicui, & ipsi soli tribui, ut tamen & alteri conveniat, ut si uni tribuatur ὡς πρώτῳ immediatè & tanquam subjecto primo, alii, κατ' ἄλλο τι πρῶτον, mediatè sive per aliud primum, quemadmodum si quis τὸ κεχρῶσθαι, coloratum esse, proprium constituat superficiei, illi fraudi non est, quod id corpori quoque insit. Manet enim proprium superficiei, & soli competit tanquam subjecto primo, cùm corpori non primò sed ratione superficiei insit.

14. Qui igitur asserunt propria divinitatis, ut omnipotentiam, omniscientiam, &c. communicata esse carni Christi, observatâ hac Aristotelis doctrinâ, nullo negotio, quantum ego judicare possum, sese extricant & notam contradictionis effugiunt. Manent enim omnipotentia, omniscientia, &c. etiamsi communicentur humanæ naturæ in Christo propria divinæ naturæ, quia non competunt illi nisi κατ' ἄλλο, nempe ratione divinæ naturæ, cum qua in unitate personæ subsistit. Soli igitur divinæ naturæ insunt, immediatè, per se & tanquam πρώτῳ, cúmque ea sic convertuntur.

REG.

REGULA II.

Quodlibet est vel non est.

1. Quod verbis affirmationis & negationis ita proponitur, *De quolibet affirmatio vel negatio vera est. t.* 83. 3. *Met. t.* 3. & 4. *Met. t.* 27.

2 Javellus, 4. *Met. q.* 9. hoc principium idem planè & ejusdem sensûs esse statuit cum præcedenti, cui adstipulatur *Mendoza, l supra cit.*

3. Nos cum Fonseca, *l* 4 *Met cap.* 3 .*q.un.s* 2 & Soario, *disp. Met.* 3. *s.* 3. pro distinctis habemus. Quam omnino etiam Aristotelis sententiam fuisse indè colligi potest, quod cùm 4. *Met c.*4. illius veritatem defendisset, *c.* 7. demum hoc confirmandum sibi sumit, tanquam peculiaria quædam argumenta contra protervos requirens.

4. Soarii fundamentum est: Cùm ista duo principia sint de *esse & non esse*, sive de contradicentibus, & verò in contradicentibus quibuslibet duo reperiantur, nempe *repugnantia, & quòd careant omni medio*; prius principium repugnantiam exprimit. Significat enim *esse* & *non esse*, sicut & quælibet contradicentia, repugnare sibi invicem, neque simul stare & de eodem vera esse posse. Posterioris verò sensus est, contradictoria medio omni carere, neq; simul de eodem falsa esse, quod & Aristoteles docet, quando in principio *c.*7.*l.*4. *Met.* ait, *At verò neque inter contradicentia quidquam medium est, sed necesse est, unum de uno affirmare aut negare*: & dum contra negantes hoc principium argumentatur, probat, inter contradicentia non dari medium. Ista duo autem, nempe *contradicentia pugnare inter se, & medium nullum admittere* diversa esse, probat Suarez ex eo, quod illud commune sit omnibus oppositis, hoc autem proprium contradicentibus.

5. Regerit Mendoza I. illud principium; *Impossibile est*, &c. docente Soario significat repugnantiam contradictoriorum; hoc verò, *Quodlibet est*, &c. eorum immediationem, ut ipse loquitur. Sed repu-

gnantia contradictoria & immediata oppositio sunt formaliter idem. E. & illa principia sunt formaliter unum.

6. II. Repugnantia ut duo conceptus simul sint & non sint, significat utrumque conceptum exsistere non posse, item significat utrumque non posse simul exsistentiâ carere. Sed hoc est alterum eorum necessariò esse vel non esse. E. illa duo principia sunt unum.

7. Respondeo ad I. Repugnantia contradictoria Mendozæ nihil aliud est, quàm repugnantia immediata; Hoc modo illa formaliter idem esse quis negaverit? Dico tamen formaliter aliud esse illam repugnantiam contradictoriam sive immediatam, ut repugnantia est; aliud ut immediata est: quod idem est acsi dicamus, formaliter aliud esse ipsam repugnantiam contradicentium per se & præcisè consideratam, aliud esse eorum immediationem: ídque vel indè perspicitur, 1. quod si per impossibile, ut loqui solent, contradicentia admitterent medium, nihil impediret, quò minùs inter se pugnarent. 2. quod repugnantia contradictoriorum, ut repugnantia est, ipsis & contrariis (loquimur de Propositionibus) æqualiter convenit. Est enim repugnantia propositionum contrariarum tanta, quanta contradictoriarum, cùm neutra simul vera esse possint, éstque omnibus contrariis æquè communis atque contradicentibus. At immediatio sive repugnantia ut immediata est, non convenit illis æqualiter. Contradictoriis enim competit omnibus & per se, ut habetur 1. *post. t.* 13. Contrariis verò non omnibus & per accidens, quoniam in materia contingenti medium habent, & utraq; earum falsa esse potest; quod autem careant nonnunquam omni medio, per accidens est, quia fit ratione materiæ necessariæ, ut explicat Thomas.

8 Ad II. Multis probat Mendoza minorem, sed in majore manifesta occurrit petitio principii, ut vel ex contrariis aut privativè oppositis patet. Nam videre & cæcum esse sunt duo conceptus, quibus repugnat simul *esse* & *non esse*, nimirum in eodem; possunt

sunt

sunt tamen simul exsistentia carere, scilicet in eodem, cùm lapis nec videat nec cæcus sit.

9. Dicat quis istam propositionem, Quodlibet est vel non est, non tantùm significare *esse* & *non esse* medio carere, sed etiam ea pugnare; propterea quòd nisi pugnarent, non rectè mediante particulâ disjunctivâ enunciarentur; quemadmodum non rectè diceres, quodlibet lac esse album aut dulce, propterea quod album & dulce respectu subjecti non pugnant, sed eidem inesse possunt, sicut & lacti ambo simul insunt.

10. Demus isthæc vera esse, adhuc distincta manent nostra duo principia. Concludimus sic: Quæ propositio tantùm significat contradictoria pugnare, illa sensu diversa est ab ea, quæ vel tantùm significat ea immediata esse, vel ea immediata esse & pugnare simul. Atqui hæc propositio, *Impossibile est*, &c. tantùm significat, contradicentia pugnare; altera verò, *Quodlibet est*, &c. vel tantùm significat, ea esse immediata, vel utrumque simul, nempe & immediata esse & pugnare, quemadmodum ex hactenus dictis constat. E. sensu diversa sunt.

11. Quod si quis hoc loco expetat principium ab illo priori, *Impossibile est idem simul esse & non esse*, ita diversum, ut sicut illud solam repugnantiam exprimit, ità hoc solùm carentiam medii significet, id hoc modo formari poterit: *Impossibile est idem neque affirmari neque negari de eodem. Contradictoria non possunt simul esse falsa.*

12. Cui doctrinæ subscribit Pacius, *in c. 52. l. 1. post. Est autem principium*, inquit, *omnibus scientiis commune, contradictionis unam partem esse veram, alteram falsam. Hoc principium, quamvis unum videatur, tamen duabus partibus constat, & in duo principia dividitur, nempe, affirmatio & negatio non sunt simul vera, & non est utraque simul falsa.*

13. Sed missis tandem hisce, videamus, quomodo Joh. Pic. Mirandula, *in lib. de Ente & Uno c. 3. & 4.* & Masius, *in tract. de transc.* de hac Regula philosophentur. Docent Ens dupliciter sumi, primò pro

omni eo, quod est extra nihil, sive, quod non est nihil. Quod Masius ita explicat, ut asserat voce entis sic acceptâ tum id venire, quod est, tum id quo aliquid est. Et sic ipsum *esse* quoque esse Ens. Secundò pro concreto, sive, ut Picus loquitur, ut concreti nominis faciem habet, & est id quod ipsum esse participat: quemadmodum candidum non est ipse candor, sed quod candorem participat: Ipsum autem *esse*, quod pro abstracto habent, negant sic esse ens, cùm seipsum non participet, nec, ut Masius explicat, sit id, quod est, sed id, quo aliquid est. Priori modo cùm Ens accipitur, formari potest hoc primum axioma & universale proloquium, De qualibet re dici esse aut non esse; de nullo autem, utrumque simul. Et Masius expressè scribit, hoc axioma non esse verum in posteriori acceptione vocis entis, cùm ipsum *esse* neque ens sit neque non ens.

14. Sed miror, quid doctissimis hisce viris in mentem venerit, ut isthæc scriberent. Concedunt hanc propositionem tanquam veram, *esse* non est ens. Quo jure igitur istam, *esse* est non ens, rejicere possunt, cùm à negante finitâ ad affirmantem de prædicato infinito legitima sit consequentia?

15. Neque præsupposito illo, quod de duplici vocis entis significatione docent, sequitur, *Esse* est non ens. E. est nihil, quoniam cùm hîc non ens non opponatur enti in sua latitudine, sed strictius sumto, ut concretum est, potest aliquid esse non ens, ut non sit nihil. Nihil autem non opponitur enti strictius & pro concreto sumto, sed latissimè accepto.

16. Præterea, si vel maximè utraque harum, *esse* est ens, *esse* est non ens, esset falsa, id nihil detraheret universalitati nostri axiomatis, quatenus id loquitur de enunciationibus contradicentibus, in illis dari medium, hoc est, utramque falsam esse, negans. At duæ illæ enunciationes non sunt contradicentes, cùm utraque sit affirmativa, licèt sint de prædicatis contradicentibus, sive finito & infinito. Quod attinet has contradicentes, *esse* est Ens, *esse* non est Ens, inter eas medium dari ipsi negant; cùm concedant posteriorem

riorem veram, priorem falsam esse. Quæ de concreto & abstracto & aliis isti autores disputant, de iis alio loco.

17. Id hîc, antequam ad alia progrediamur, adhuc notari volumus, in priori regula vocem *idem*, in hac secunda autem vocem *quodlibet* tam latè esse extendendas, ut non solùm ad ens reale, sed etiam ad quodlibet, quod verbis exprimi, aut mente concipi potest, porrigantur. Quicquid enim mente concipi potest, ut Chimæra, Hippocentaurus, illud est vel non est, est homo, vel non est homo; neque de eo dici potest, quod simul sit & non sit, simul sit homo & non sit homo.

REGULA III.

***Omne quod est, quando est, necesse est esse: Et omne, quod non est, quando non est, necesse est non esse, Arist.* περὶ ἑρμ. *c.* 7.**

1. *Dicis:* Si omne quod est, necesse est esse, & quod non est, necesse est non esse, sequitur in rebus non dari contingentiam, sive nihil esse vel non esse contingenter.

2. *Resp.* Necessitas est duplex; absoluta, & immutabilitatis ex suppositione. Necessitas absoluta, secundùm Gabrielem, 3. *dist.* 16. *q.* 1. est, cujus oppositum includit contradictionem. Absolutam necessitatem, inquit Pererius *l.* 9. *Phys. c.* 13, voco eam, quæ simpliciter rei convenit ex natura sua & secundùm omnes temporis differentias, ut hominem esse animal absolutè necessarium est, quia oppositum ejus, nempe hominem non esse animal, implicat contradictionem. Esse animal enim est ipsa natura hominis, & nullâ temporis differentiâ potest ipsi non convenire. Necessitas immutabilitatis ex suppositione dicitur, cùm aliquid convenit rei contingenter, si ejus natura in se spectetur, factâ tamen aliquâ hypothesi, non potest ipsi non convenire. v. g. Petrum progredi, simpliciter est contingens, posito tamen quòd currat, necesse est ipsum progredi.

3. Jam

3. Jam dico, Regulam loqui de necessitate immutabilitatis ex suppositione, quæ stat cum contingentia: contingens est Petrum esse aut ebrium esse, cùm oppositum, ipsum non esse aut non esse ebrium, non implicet contradictionem, neque esse aut ebrium esse ipsi ex natura sua competat: posito tamen, ipsum esse aut ebrium esse, non potest eo ipso tempore, quo est, aut ebrius est, non esse, aut non ebrius esse, sed necessariò est, aut etiam ebrius est. Idem dicendum de eo quod non est. Aliquid, quod non est, contingens est non esse: posito tamen, quod sit, necesse est ipsum non esse. Sic contingens est, Petrum non esse ebrium, posito tamen quod hoc vel illo tempore non sit ebrius, necesse est ipsum tunc non esse ebrium.

4. Ad argumentum respondeo: Antecedens posse bifariam intelligi; 1. In sensu diviso, qui hic est, omnem rem, quæ est, necesse est esse; & omnem rem, quæ non est, necesse est non esse. Et sic negatur antecedens, neque id dicit nostra regula. Non enim ità sonat, omne quod est, necesse est esse; & omne quod non est, necesse est non esse; sed ità, omne quod est, quando est, necesse est esse; & omne quod non est, quando non est, necesse est non esse. Iisdem ferè verbis pro explicatione utitur Aristoteles quando *l. cit.* ait: *Ergò quod est, necesse est esse, quando est; & quod non est, necesse est non esse, quando non est. Verùm nec necesse est esse, quicquid est, nec necesse est non esse, quicquid non est. Quoniam quicquid est, ex necessitate esse, quando est, non idem valet, quod simpliciter ex necessitate esse. Idem dicendum est de eo quod non est.* Hæc Aristoteles. 2. In sensu composito, qui hic est, omne quod est, quatenus est, vel, posito quod sit, necesse est esse; & omne quod non est, quatenus non est, vel posito quod non sit, necesse est non esse. Et sic antecedens verum est, sed negatur consequentia, quia illa necessitas non est absoluta, sed hypothetica sive ex suppositione, quæ contingentiam non excludit.

REGULA IV.

Non entis nulla sunt prædicata.

1. Bifariam ens accipi consuevit; primò, loco nominis, & significat essentiam vel rem ratione essentiæ suæ, sive actu sit in rerum natura, sive non sit, quomodo rosam in hyeme ens esse dicunt. Secundò, loco participii, quomodo solum id dicitur ens, quod actu exsistit in rerum natura. Quæ quidem duplex hujus vocis acceptio in ipso etiam Aristotele fundamentum mihi habere videtur. Nam apud ipsum τὸ εἶναι jam exsistentiam significat, & construitur cum casu accusandi, ut 1 *post. t.* 14. & 2. *post. t.* 72. Jam essentiam, & cum dativo conjungitur, ut 4. *Met. t.* 11. & 3. *de an. t.* 9. & alibi, ut τὸ ἀνθρώπῳ εἶναι essentiam hominis, τὸν ἄνθρωπον εἶναι, hominem esse significat. Cùm igitur quot modis unum oppositorum dicitur, tot & alterum dicatur, necesse est & non ens bifariam accipi: 1. ut opponitur enti in prima acceptione, & sic nihil dicitur non ens, nisi cui repugnat actu esse, ut Chimæræ. 2. ut opponitur enti in posteriori significatione, éstque idem quod non exsistens actu in rerum natura, etsi exsistere possit, ut rosa in hyeme, quæ in priori significatione non est non ens. Quò pertinet, quod 9. *Met.* 6. *t.* 7. dicitur: τῶν μὲν ὄντων ἔνια δυνάμει ἐστὶν· οὐκ ἔστι δὲ, ὅτι ἐντελεχείᾳ οὐκ ἔστιν. *Non entium quadā potentiā sun ; non sunt autem, quia actu non sunt.* Intelligitur regula de non ente in posteriori significatione.

2. Distingui autem solet inter prædicata necessaria & essentialia, & inter accidentaria & contingentia, & docetur non entis esse prædicata necessaria & essentialia, vel quod idem est, prædicata quæ sunt essentialia subjecto, convenire ipsi, etsi non exsistat. Ità si nulli leones essent in universa rerum natura, nihilominus tamen illa propositio, Leo est substantia corporea, animata, vera esset. Intelligitur igitur regula de prædicatis accidentalibus & contingentibus. Unde etiam vulgò ità enunciari consuevit, Non entis nulla sunt accidentia.

3. Verùm obstare videtur 1. quod rosa in hyeme

rectè dicitur species, quòd eclipsis futura dicitur præscita, quòd sanitas ab ægro dicitur amari, quæ omnia sunt accidentia sive prædicata accidentalia, & tamen subjecta eorum omnia sunt non entia. Nam nec actu est rosa in hyeme, nec eclipsis, quando adhuc est futura & præscitur, nec sanitas, quam amat æger, actu est, quamdiu æger est. 2. quòd hæc propositio, Socrates est non sedens, cujus prædicatum est accidentale, est vera; & tamen Socrates est non ens, quia non est amplius actu in rerum natura.

4. Dicendum ergò primò, regulam valere de accidentibus denominantibus intrinsecè, ut quoniam purgatorium non est, neque calidum esse potest, neque frigidum. Huc pertinet, quod ait Philosophus 4. *Met.* 1.16. *Ea, quæ non sunt, quo pacto loquentur aut ambulabunt?* Non autem valet de denominantibus extrinsecè ab actu intellectûs, phantasiæ aut appetitûs, &c. Quia enim aliquid objectum istarum facultatum esse potest, etsi non exsistat; vel quod idem est, quia hæ facultates possunt exercere actus suos circa res non exsistentes, (potest enim ab intellectu & per imaginationem cognosci, & ab appetitu amari id quod non est) ideo ab iis & earum actibus denominari quoque aliquid potest, etsi non exsistat. Et hoc probat argumentum primum. Esse enim speciem, esse præscitum, sunt prædicata extrinsecè denominantia ab actu intellectûs, amari vel esse amatum est prædicatum denominans extrinsecè ab actu appetitûs.

5. Dixi autem de *denominantibus extrinsecè ab actu intellectûs, imaginationis vel appetitûs*, &c. quia eorum, quæ extrinsecè denominant à sensibus externis aut aliis etiam rebus alia est ratio. Talia enim accidentia non tribuuntur non entibus. Ità sequitur: Hoc non est. Ergò non videtur, non auditur: quoniam nim. sensus externi percipiunt solùm objecta actu exsistentia. Ità si ignis non esset, non posset dici calefaciens (quæ denominatio est extrinseca: calefactio enim, quæ est forma, per quam calefaciens dicitur, non est in igne, qui calefacit, sed in patiente, v. g. in

aqua

aqua, quæ calefit) quoniam agere præsupponit esse.

6. Distinctionem hanc circa præsentem regulam insinuavit ipse Philosophus, *cit.t.l.9. Met.* his verbis, *videtur actus esse motus maximè. Unde fit ut non entibus, sive iis quæ non sunt, motus tribui non soleat, sed alia quædam prædicata, ut quòd sint intelligibilia & appetibilia, moveri autem non dicuntur; idque propterea accidit, quod actu non sunt, sed actu futura sunt.*

7. Dicendum II. non valere in accidentibus purè negativis, quale est non sedens, quod evincit argumentum secundum. Cùm enim inter contradictorios terminos, ut inter sedens & non sedens, non detur medium, sed necesse sit de quolibet, sive sit sive non sit, ut de Socrate, alterum verum esse, alterum falsum; & verò falsum sit, si dicas, Socrates est sedens, necesse est, verum esse, si dicas, Socrates est non sedens. Ità Aristoteles, *sub finem c.* 10. *præd.* Eadem ratio est aliorum omnium.

8 Dixi *in purè negativis*, quia privativorum eadem est ratio, quæ positivorum. Nam privativorum quædam sunt talia ut opponantur terminis denominantibus intrinsicè, & sic ipsa etiam intrinsicè denominantia dici possunt. Ut cœcus opponitur videnti, quod est concretum intrinsicè denominans. Quædam sunt talia, ut opponantur terminis denominantibus extrinsecè, & sic ipsa etiam extrinsicè denominantia dici possunt, ut incognitum. Cognitum enim, cujus privatio est incognitum, dicitur à cognitione, quæ est extra id, quod cognoscitur.

9 Jam non entis nulla esse accidentia privativa, nisi termini illi, quibus opponuntur, denominent extrinsicè ab intellectu, phantasia, vel appetitu, probo: Cui non potest competere aliquod prædicatum accidentale positivum, quod dicitur habitus, ei etiam non potest tribui terminus privativus illi oppositus; quia privativum non potest tribui nisi subjecto capaci habitûs. Atqui non enti non potest competere prædicatum accidentale positivum non denominans extrinsecè ab intellectu, imaginatione vel appetitu, ut patet ex suprà dictis. E. non enti non potest

potest tribui terminus privativus oppositus prædicato accidentali positivo, non denominanti extrinsecè ab intellectu, imaginatione vel appetitu.

10. Dixi autem, *nisi habitus eorum denominent extrinsecè ab intellectu, imaginatione vel appetitu*, quia si habitus sive termini, quibus privativa opponuntur, denominent extrinsecè ab hisce facultatibus, possunt tribui non entibus, sicut extremus dies, qui nec est, nec fuit, rectè dicitur incognitus, quatenus nescimus quando futurus sit.

11. *Dicis:* Mortuum importat privationem habitûs intrinsecè denominantis nempe vitæ sive viventis, & tamen dicitur de non ente. Homo enim mortuus est non ens.

12. *Resp.* Nulla sunt accidentia ejus quod non est, scil. eo tempore, quod per verbum vel prædicatum indicatur: vel, quod eòdem recidit, ut alicujus sint aliqua accidentia, oportet ut id sit in rerum natura pro tempore per prædicatum vel verbum significatum; nimirum quando neutrum, id est, nec prædicatum nec copula importat vel præteritum vel futurum tempus, tunc necesse est subjectum esse in præsenti, ut ipsi verè possint illa accidentia tribui, observatâ tamen doctrinâ propositâ.

13. Si verò alterum vel utrumque sit præteriti vel futuri temporis, oportet ut subjectum exstiterit præterito aut exsistat in futuro, nec requiritur ut sit in præsenti. Sic Turnus jam non est, verè tamen ipsi tribuitur hocce accidens, Quod sit victus ab Ænea, quia nempe *victus* est temporis præteriti, sufficit Turnum aliquando fuisse. Sic ista propositio, Dies extremus erit terribilis, vera est, non obstante, quòd jam non est, quia verbum est futuri temporis. Atque hinc patet solutio dubii propositi, nempe *mortuus* est præteriti temporis. Non ergò ut jam aliquis dicatur mortuus, requiritur ut jam sit, sufficit quòd aliquando fuerit.

14. Duo, antequam hinc abeamus, adhuc notari volumus. I. Esse quædam verba, quæ præter tempus, quod more aliorum verbum adsignificant,

significatione

significatione suâ certum tempus respiciunt. Illa igitur, ut de aliquo prædicentur, requiritur exsistentia ejus in illo tempore, quod significatio eorum respicit. V. g. verbum *pœnitere*, quocunque ipsum tempore proferatur, respicit significatione suâ tempus præteritum, vel rem factam. Pœnitentia enim est præteriti sive rei factæ, vel revera vel ex opinione saltem. Hîc si quæras ex aliquo, qui hac in re innocens sit, An ipsum pœniteat furti? rectè responderit, Non entis nulla sunt accidentia. Furtum meum nullum fuit, vel furtum non commisi. E. ejus me non pœnitet. Ut alicui pœnitentia alicujus rei tribuatur in præsenti, non requiritur ut ea res in præsenti exsistat, cùm pœnitentia importet actum appetitûs.

15. Dicis: Fieri potest, ut aliquando me pœniteat, ejus quod futurum, & factum nondum sit. Respondeo; Necesse est, ut cujus te aliquando pœniteat, præteritum sit & factum, respectu ejus temporis, quo te pœnitere dicitur. Quod si jam nondum factum est, nondum tibi etiam pœnitentia tribuitur.

16. II. Quæ denominant extrinsecè ab actu alicujus illarum facultatum, de quibus §. præcedenti, & suprà §. 4. & si quæ alia est, cujus actus non requirit exsistentiam objecti, posse prædicari de non ente non solùm in posteriori ejus significatione, de eo nimirum, quod non est, cùm possit esse, sed & in posteriori de eo quod nec est nec esse potest. Imaginari namque, cognoscere, & velle impossibilia possumus. Voluntas enim est impossibilium, 3. *Eth. cap.* 2. & imaginamur ea, quæ volumus, 3. *de an. cap.* 3. Quod si voluntas impossibilium est. E. & intellectus.

Regula V.

Essentiæ rerum sunt sicut numeri, l. 8. Met. c. 3.

1. Vulgò dicunt, *Essentiæ rerum consistunt in indivisibili.* Ubi sciendum bifariam posse aliquid dici indivisibile: primò absolutè, quomodo punctum est indivisibile;

indivisibile; secundò, certo modo, ut, quòd aliquid non possit dividi, ità ut ipsum maneat, quomodo mensura dicitur indivisibilis 10. *Met. c.* 2. ut linea pedalis, quæ est mensura linearum, quæ in ædificiis describendis ab architectis ducuntur. Si enim quicquam ab ista linea auferas, non est ampliùs pedalis.

2. Priori modo non in universum verum est, essentias rerum esse indivisibiles, vel consistere in indivisibili, si verum est, formam non esse totam essentiam substantiarum corporearum, sed materiam esse ejus partem. Si enim ex materia & forma harum rerum essentiæ sunt realiter compositæ, utique in easdem partes dividi possunt, quemadmodum revera in morte anima à corpore separatur.

3. Posteriori modo omnium rerum essentiæ indivisibiles sunt, quia nimirum ut sint & maneant ejusmodi essentiæ dividi non possunt, & si dividantur, & aliquid ab ipsis auferatur, non manent illarum rerum essentiæ. Hinc Aristoteles, *l.cit.* essentias rerum cum numeris comparat, ortúmq; hinc axioma, *Essentia rerum sunt sicut numeri. Quemadmodum enim si quid eorum, ex quibus numerus constat, ab eo ablatum, aut additum fuerit non idem jam numerus, sed diversus exsistit, etiamsi minimum auferas: ità neque definitio aut essentia eadem consistit, si quicquam aut auferatur, aut adjiciatur.* Sunt verba Philosophi. V. g. si ad animal addas τὸ λογικόν, habes essentiam hominis; si verò auferas idem, non amplius erit homo, sed tantùm animal. Sed si pro hac differentia λογικὸν substituas τὸ ἄλογον, erit brutum.

4. *Dicis:* Accidentia adveniunt & auferuntur ab essentiis, salvis manentibus essentiis. Ergò non semper variat, neque alia atque alia fit essentia, si quid addatur vel detrahatur.

5. *Resp.* Regula loquitur de indivisibilitate essentiarum. Sermo ergò fuit de eo, si quid adjiciatur aut auferatur, ut essentia per hoc dividatur. At adjectione vel subtractione accidentium essentia non dividitur.

REGULA VI.

Essentiæ rerum sunt æternæ.

1. Tritum hoc est apud autores etiam eos, qui res omnes à Deo in tempore ex nihilo creatas secundùm fidem nostram statuunt. Non ergò intelligendum est de *esse* actuali, quasi nimirum semper actu sint sine principio & fine. Si enim hoc modo essent æternæ, aut ipse Deus essent, quod absurdum; aut essent aliquid extra Deum, & sic res non essent ex nihilo in tempore creatæ. Videantur Suarez *disp. Met.* 31. *s.* 2. *& seqq.* Mendoza *disp. Met.* 8. *s.* 1. & Raph. Aversf. *quæst.* 8. *Phil. s.* 3.

2. Gabr. Vazques, *p.* 3. *disp.* 73. *c.* 1. & Mendoza, *l. cit.* interpretantur præsens effatum de esse possibili, quia nimirum essentiæ rerum perpetuò & necessariò habent esse possibile, & ab æterno non implicat contradictionem ut sint.

3. Intelligitur à plerisque de essentiæ cum eo, cujus est essentia, connexione, quæ perpetua est. Unde etiam propositiones, in quibus essentia aut aliquod prædicatum essentiale affirmatur de re, necessariæ sunt & æternæ veritatis, ut constat ex 1. *post. t.* 30. & multis aliis locis. Non ità accidentia. Hæc namq; non habent perpetuam connexionem cum re, cùm possint abesse citra ejus corruptionem, 1. *Top. c.* 4. 1. *post. t.* 52.

4. Pulchrè Mendoza, *l. cit.* ait, essentias rebus convenire necessariò, *quia Deus volens producere hominem, v. g. non potest illi tribuere essentiam lapidis, quia non faceret hominem, sed lapidem.*

5. Ex quo intelligitur, necessitatem illam, quâ dicimus, essentiam rei cum ea cohærere, ità ut nec ipsa ab ea avelli nec alterius rei essentia ipsius esse possit, tantam esse, ut nè à Deo quidem mutari possit, propterea quòd contradictionem implicet hominem aliquid esse, & non obtinere hominis essentiam, aut lapidis essentiam ejus esse essentiam. Id verò nullum in Deo arguere defectum aut impotentiam, à multis aliis, & à nobis alibi latè deductum est.

6. Neque

6. Neque verò quia propositiones, in quibus essentia aut prædicata essentialia de re enunciantur, v. g. hominem esse animal rationale, perpetuæ & æternæ veritatis esse dicimus, inferre inde licet, res aut essentias rerum ab æterno exsistere; quandoquidem τὸ εἶναι sive *esse* hîc non exsistentiam significat, sed nihil aliud est, quàm τὸ συγκεῖσθαι καὶ ἓν εἶναι, connecti & unum esse, quemadmodum è contrario τὸ μὴ εἶναι est μὴ συγκεῖσθαι, ἀλλὰ πλείω εἶναι, non connecti, sed plura esse, sicut docet Aristoteles 9. *Met. t.* 21. Ubi etiam dicit, esse quædam quæ semper cohæreant, neque fieri posse ut dividantur.

7. Hanc de inseparabilitate prædicatorum essentialium à rebus quibus essentialia sunt, doctrinam Theologi quoq; sibi custodiendam ducunt. Cùm enim fides essentialiter sit notitia quædam, nè infantibus, quibus fidem adscribunt, notitiam, quia usu rationis destituuntur, denegent; potiùs asserendum censent, à Spiritu S. notitiam in illis excitari, quàm aliquid esse sine illo quod ad ejus essentiam pertinet.

Regula VII.

Non entis nulla est scientia, 1. *post. t.* 10.

1. Videtur id I. adversari iis, quæ diximus in explicatione regulæ 4. Nam prædicata denominantia extrinsecè ab actu intellectûs quò minùs non enti competant, nihil prohibet. Sed aliquid sciri, est hujusmodi denominatio. II. Infinitum & vacuum sunt non entia; nihilominus tamen quædam earum est scientia. Agit enim de illis Arist. 3. & 4. *Phys. & lib.* 1. *de cœl.* Et Theologi de purgatorio tractant.

2. Notanda & hoc loco venit diversa acceptio entis & non entis. Primò enim sumuntur ut respondent simplicibus conceptibus, sive, ut Philosophus 1. *de interp. c.* 1. loquitur, τῷ ἄνευ συνθέσεως καὶ διαιρέσεως νοήματι, intelligentiæ quæ est sine compositione & divisione, & sic entia sunt homo, lapis; non entia, Chimæra, hippocentaurus, in quibus non est verum aut falsum, ut Arist. *ibid.* dicit. Secundò, pro vero & falso, quæ in

compositione

compositione & divisione consistunt. Est enim sic ens idem quod verum; non ens, idem quod falsum, 6. *Metaph. t.* 30. Quæ significatio etiam 8. *Top. c.* 4. & alibi apud Philosophum occurrit.

3. Hoc posteriori modo non ens in præsenti regula quoq; sumitur. Quod patet cùm ex eo, quod opponitur vero; ait enim, ἀληθῆ μὲν οὖν δοκεῖ εἶναι· ὅτι οὐκ ἔστι τὸ μὴ ὂν ἐπίστασθαι, *vera igitur esse oportet*, scilicet ea, ex quibus est demonstratio, *quoniam non entis non est scientia, veluti diametrum communem habere cum latere quadrati mensuram*; tum ex hoc ipso exemplo: Si enim dicas, diameter est commensurabilis cum latere, non est sine compositione aut divisione, nec est non ens eo modo, quo Chimæra aut hippocentaurus, sed adducitur ab Aristotele tanquam propositio falsa.

4. Ea igitur sententia nostræ regulæ est: *Ejus quod falsum est, nulla potest esse scientia.* Scientiam enim esse necessariorum, sive eorum quæ aliter sese habere non possunt, decantatissimum est, & toties à Philosopho inculcatum, ut supervacuum sit textus adducere. At quod falsum est, non tantùm potest aliter sese habere, sed revera aliter se habet, ut perspicere est ex 2. *Top. c.* 1. 4. *Met. c.* 7. & aliis locis.

5. Estne ergò, inquis, scientia non entis, ut non ens priori modo sumitur? Existimo hîc etiam distinctionem non entis *in princ. reg.* 4. propositam esse adhibendam. Ejus quod nè potentia quidem est, nullo modo est scientia. De eo autem quod actu quidem non est, potest tamen esse, secus pronunciandum videtur; non quasi detur ejus scientia, quòd actu sit (hoc enim esset falsum scire:) sed, quòd licèt actu non exsistat, de eo aliquid, aut ipsum de aliquo possit demonstrari. Scimus enim lunam diametraliter Soli oppositam obscurari etiam tum quando non est eclipsis, nec luna Soli opponitur.

6 Verùm dicat quis, etiam falsi, & ejus quod nec est, nec esse potest, dari scientiam. Demonstrat enim Philosophus infinitum & vacuum nec dari, nec dari posse.

7. Ut

7. Ut ad hoc respondeatur, & regula ulteriùs explicetur, dicendum, cognitionem esse düplicem, positivam & privativam. *Positiva cognitio ejus quod non est, est quando aliquis putat id quod non est, esse, & falsam propositionem esse veram, de qua cognitione hîc loquitur Aristoteles, dum dicit, scientiam non dari ejus quod non est. Nam si quis id, quod falsum est, verum esse arbitraretur, is non scientiam habet, sed deceptionem & ignorantiam; talem cognitionem significat ipsum Aristotelis exemplum: nam cognoscere diametrum esse commensurabilem lateri, est cognoscere, ut verum id quod falsum est, quæ potest quidem opinio vocari, sed nunquam scientia: Privativa autem non entis cognitio est cognoscere ipsum non esse & falsam propositionem falsam esse, quam cognitionem dari non negaret Aristoteles: propterea in libris Phys. docuit, infinitum & vacuum non dari.* Sunt verba Zabarellæ, *in cit. t* 10. *l.* 1. *post.* & hoc ipsum est, quod Philoponus *in hunc loc.* commentatur his verbis, οὐ φησι, ὅτι οὐκ ἔστιν ἐπίστασθαι τὸ μὴ ὂν ὡς μὴ ὄν, ἀλλ' ὅτι οὐκ ἔστιν ἐπίστασθαι ὡς ὄν, *non dicit Arist. non ens non posse cognosci ut non ens, sed negat non ens cognosci posse ut ens.*

8. Ex quibus omnibus responsio ad ea, quæ tum præcedenti tum primo §. adducta sunt, evidens est.

TIT. II. continens REG. XII.
circa doctrinam Actûs & Potentiæ.

REgulis de ente subjicimus eas, quæ in doctrina de potentia & actu sese offerunt: propterea quod hi termini ita rationem entis attingunt, ut statim atque aliquid ens esse con- cipi-

cipimus, deveniamus ad hoc, quòd actu sit vel potentiâ. Sit ergò

Regula I.

A potentia ad actum, sive à posse ad esse non valet consequentia.

1. Docebant Megarici, sicut autor est Aristoteles 9. *Met. c.* 3. potentias non præcedere suos actus, sed tum tantùm esse, quando actus eorum sunt, velut eum qui non ædificat, ædificare non posse, sed tantùm eum, qui ædificat, quando ædificat.

2. Hæc sententia si vera esset, à potentia ad actum valeret consequentia, cùm sic potentia sine actu esse non posset. Imò actum & potentiam sententia illa unum idémque facit.

3. Verùm absurdam eam esse aliquot argumentis probat Philosophus: I. Si nemo habet potentiam agendi, nisi quando agit & actu operatur, artifex non erit, nisi qui actu operatur, quando actu operatur. At id communi hominum opinioni adversatur, qui eum, qui artem aliquam didicit & exercere solet, vocat artificem etiam tum, quando seposito aliquantisper opere cœnam capit aut somnum. Consequentia est manifesta, quia artificem esse nihil aliud est, quàm habere potentiam aliquid artificiosè operandi, ut ædificatorem esse nihil aliud est, quàm præditum esse potentiâ artificiosè ædificandi: τὸ γὰρ οἰκοδόμῳ εἶναι τῷ δυνατῷ εἶναι ἐστὶν οἰκοδομεῖν, ait Aristoteles.

4. II. Si is, qui ad horam ab opere cessat, hoc ipso potentiâ artificiosè operandi sive arte privatur, & eam hoc ipso recuperat, quòd ad opus revertitur, fieri potest, ut quis amittat artem, ídque nec oblivione, nec morbo, nec tempore sive longâ desuetudine; itémque acquirat artem, nec tamen interventu doctrinæ, præceptoris, propriæ've inventionis. Quod absurdum non modò, sed & ridiculum.

5. III. In

5. III. In rebus inanimis eodem modo erit comparatum: Si potentia non est sine actu, nec ignis erit calidus, nec aqua frigida, nec mel dulce, neque omnino quidquam sensibile, nisi actu sentiatur. Ex quibus Averrois argumentatio exstrui potest: Si qualitates sensiles non sunt nisi actu sentiantur, fiet ut sublatis animalibus (utpote quæ sola sentiunt) ipsæ quoque tollantur.

6. IV. Sequitur animal non habere sensum, dum actu non sentit, indéque unum eundémque hominem sæpius eodem die fore cæcum & surdum. Quoties enim utetur aspectu & auditu, tum non erit cæcus & surdus, quoties autem non utetur, erit cæcus & surdus, quod longè absurdissimum. Consequentia patet, quia hominem cæcum & surdum esse, est eum non habere visum & auditum, sive potentiam videndi & audiendi.

7. V. Si nulla res habet potentiam agendi aut patiendi quicquam, nisi cum actu agit aut patitur, impossibile est fieri id quod actu non fit vel est, mentiéturque quicunque dixerit aliquid fore, quod nondum fit vel fiat. Impossibile enim est fieri aliquid, quando vel potentia activa, per quam fiat, vel passiva, ex qua fiat, non est. Unde hoc commentum de medio & motum & generationem tollit; *Semper quoque id*, ait Philosophus, *quod stat, stabit, & quod sedet, sedebit, cùm fieri nequeat ut surgat id, quod surgere non potest.*

8. Aristoteles igitur expressè docet, potentiam esse posse, ut actus non sit, *itaque fieri potest*, inquiens, *ut aliquid possibile sit esse, nec tamen sit; idémque possibile sit non esse, cùm sit tamen: eodémque modo in aliis prædicamentis, nempe ut aliquid ambulare possit, quod non ambulat, possitque non ambulare quod ambulat.*

9. Ex quibus evidentissimum est, à posse ad esse non valere consequentiam, sicut non sequitur, Pax potest esse. Ergò est. Petrus potest ambulare. Ergò ambulat. Contingit enim consequens utrobique falsum esse, antecedente vero.

10. Patet autem ex hisce, sermonem esse de consequentia affirmativa. Nam negativè à posse ad esse valet consequentia. Sequitur enim, Chimæra non

potest

potest esse. Ergò non est. Cœcus non potest videre. Ergò non videt.

11. Verum nè negativè quidem à posse ad esse valere consequentiam, indè quis probet, quia non sequitur, Omnis creatura potest non esse. Ergò non est. Petrus potest non ambulare. Ergò non ambulat.

12. Sed respondeo, Has consequentias non procedere à posse ad esse negativè, quia ut à posse ad esse negativè argumentemur, requiritur ut antecedens sit propositio negativa, quod non fit nisi particula negativa ponatur ante verbum *potest* (quia verbum *potest* hîc continet copulam) quemadmodum ex suprà dictis exemplis manifestum est. At quantum ad modò objecta exempla, particula negativa in antecedente post verbum *potest* ponitur, & sic aliqua quidem negatio in prædicato continetur, sed ipsa propositio est affirmativa.

13. Unde & consequentia à potentia non essendi vel non ambulandi, ad non esse vel non ambulare, est quodammodo affirmativa; & licèt non esse & non ambulare sit negatio actûs, nempe actûs essendi & actûs ambulandi; tamen respectu potentiæ non essendi, & non ambulandi habet rationem actûs. Sicut enim se habet esse ad posse esse, & ambulare ad posse ambulare, ità se habet non esse ad posse non esse, & non ambulare ad posse non ambulare. Confer locum Philosophi §. 8. citatum.

14. Hinc facilè etiam consequens concipi potest, ut & ipsum sit affirmativum, sed infinitum, ut si dicamus, Omnis creatura est potens non esse. Ergò est non ens. Petrus est potens non ambulare. Ergò est non ambulans.

15. Ex quibus patet, quòd, sicut diximus, A posse esse, ad esse non valet consequentia: ità & rectè dicamus, A posse non esse ad non esse non valet consequentia. E diverso autem à non posse esse, ad non esse valida est consequentia.

REGULA II.

Ab actu ad potentiam, sive ab esse ad posse valet consequentia.

1. Duplex est potentia. Quædam enim continetur in secunda specie qualitatis, & vocatur prædicamentalis; quædam autem non continetur in secunda specie qualitatis, sed in aliis ejus speciebus, aut aliis etiam prædicamentis. Potentia enim Dei & potentia materiæ primæ, quæ receptiva est omnium formarum, cùm sint ipsa substantia Dei & materiæ primæ, in prædicamento qualitatis non continentur. Calor quoq; importat potentiam calefaciendi, & scientiæ aliique habitus inter potentias referuntur ab Aristotele *9. Met. text.* 3. *&* 10. ad secundam tamen speciem qualitatis non pertinent. Continentur hæ potentiæ sub *potentia*, voce hac transcendenter sumtâ.

2. Adsignant autem nonnulli id discriminis, quòd potentiæ prædicamentales possunt cum suo actu conjungi, cùm non tollatur calor seu potentia calefaciendi ab igne cùm calefacit; atque sic etiam rectè dici, aliquem posse disputare, cùm actu disputat: reliquas verò potentias cum actu conjungi non posse, sed tolli eas, quando est actus, statuunt; cùm homo non ampliùs sit ens potentiâ, quando est ens actu.

3. Hi non possunt nostram regulam pro universaliter vera habere, sed necessariò eam restringent ad potentiam prædicamentalem. Si enim reliquæ potentiæ non possunt simul stare cum actu, fieri non potest, ut ab actu ad eas valeat consequentia.

4. Verùm nugæ hæ sunt. Nam potentia creandi in Deo simul stat cum actu creandi, & potentia materiæ, quâ potest habere in se formam, non tollitur, dum actu recipit formam. Et sequitur, Deus creat. Ergò potest creare. Materia recipit formam. Ergò potest eam recipere. Hæ tamen non sunt prædicamentales potentiæ, ut antea dictum est.

5. Sed jugulant quoque se suo ipsorum gladio. Fatentur enim, calorem sive potentiam calefactivam ab igne non tolli, quando actu calefacit, & rectè dici, homi-

hominem posse disputare, cùm disputat. At hæ potentiæ non sunt prædicamentales, sumtâ potentiâ prædicamentali tantùm pro ea quæ est in secunda specie qualitatis. Calor enim pertinet ad tertiam speciem, & cùm posse disputare importet artem sive habitum quendam, ad primam speciem refertur.

6. Ratio adducta de homine, qui non est ampliùs ens potentiâ, quando est ens actu, frivola est. Nam & calor, quando actu calefacit, non est potentiâ calefaciens, & qui actu disputat, non est potentiâ disputans. Illi ipsi tamen, cum quibus nobis res est, fatentur in hisce potentiam conjungi posse cum actu.

7. Radix autem erroris est, quòd non distinguunt inter *posse*, vel *habere potentiam*, & inter *esse potentiâ*: *Esse potentiâ* excludit & negat actum. Id enim dicitur potentiâ esse, quod non est cùm possit esse, ut, potentiâ contemplans est, qui non contemplatur cùm possit contemplari, vigilans potentiâ, qui dormit, h.e. non vigilat cùm possit vigilare, potentiâ videns quod claudit oculos, asspectum tamen habet, quemadmodum *9. Met.t.* 11. Aristoteles philosophatur. Unde *actu* esse & *potentiâ* esse oppositionē contradictoriam important si respectu ejusdem sumantur (cùm actu esse & non esse actu contradicentia sint) & propterea de eodem affirmari non possint. Dico autem, si respectu ejusdem sumantur, v. g. respectu calidi. Nulla enim res simul actu calida & potentiâ calida esse potest. At si sumantur respectu diversorum, ut respectu calidi & frigidi, alia est ratio. Est enim eadem res actu calida & potentiâ frigida, ut etiam 2. *Phys. t.* 8. habetur. At *posse esse*, vel *habere potentiam* & *esse actu* etiam ejusdem respectu non opponuntur, cùm illud non excludat aut neget actum, sed ab eo abstrahatur, & tum cum actu tum cum negatione actûs possit consistere: quemadmodum homo ambulare posse dicitur, sive ambulet sive non ambulet. Unde nulla est consequentia: Homo, quando est ens actu, non est ens potentiâ, E. aliqua potentia non potest conjungi cum actu; sed hoc tantùm sequitur, Ergò *esse potentiâ* non potest conjungi cum *esse actu*.

Certè non ſequitur, homo eſt ens actu, ergò eſt ens potentiâ, quia, ut dixi, ens potentiâ & ens actu involvunt oppoſitionem contradictoriam; ſequitur tamen, Homo eſt, ergò poteſt eſſe; vel, eſt actu ens, ergò poteſt eſſe ens: quemadmodum de Deo utrumq; rectè dico, & quod ſit & quod poſſit eſſe. Quod confirmatur ità, Quicquid neceſſariò eſt, illud poteſt eſſe. Deus neceſſariò eſt. Ergò poteſt eſſe. Minor eſt extra controverſiam. Major probatur, quia, ut docet Ariſtoteles, *de interpret. c.*13. hæc conſequentia eſt legitima, Neceſſe eſt eſſe, ergò poſſibile eſt eſſe.

8. Quin pro regula noſtra hoc propono argumentum: Hæ propoſitiones, Omne quod eſt, poteſt eſſe, Quoddam quod eſt, non poteſt eſſe, ſunt contradictoriæ. Si ergò poſterior falſa eſt, neceſſe eſt priorem eſſe veram. Falſam eſſe poſteriorem probo: Quod non poteſt eſſe id impoſſibile eſt eſſe: Quoddam quod eſt non poteſt eſſe. Ergò, Quoddam quod eſt impoſſibile eſt eſſe. Concluſio eſt abſurda, ut vel cœcus videt. Si enim id eſſet, quod eſſe impoſſibile eſt, jam impoſſibile non eſſet impoſſibile. Major eſt vera, quia quod non eſt poſſibile eſſe, id eſt impoſsibile eſſe, quod cùm per ſe evidens eſt, tum ex cit. loc. Ariſt. liquet, ubi pro æquipollentibus habentur *non poſſibile eße*, & *impoſſibile eſſe*. Sed quod non poteſt eſſe, id non eſt poſsibile eſſe, quemadmodum ex terminis conſtat. Ergò, quod non poteſt eſſe, id eſt impoſsibile eſſe.

9. Patet autem tum ex dictis, tum aliàs, regulam non ſolùm de *eſſe*, ut hac voce generaliſsimâ ſignificatur, ſed & de quolibet *eſſe* vel actu determinatiori eſſe intelligendam. Tam ſanæ enim ſunt iſtæ conſequentiæ: Eſt doctus. E. poteſt eſſe doctus. Ambulat. E. poteſt ambulare; quàm iſta, Eſt. E. poteſt eſſe.

10. Verùm aliud hîc ſe offert dubium. Nam hæ conſequentiæ videntur nullæ: Lateres ſunt cocti. E. poſſunt coqui, loquendo de iiſdem lateribus. Cocti enim lateres non poſſunt amplius coqui. Hic homo eſt natus ex hiſce parentibus. E. poteſt ex iis naſci. Quomodo enim poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex?

11. Sunt,

11. Sunt, qui distinguunt & dicunt potentiam vel esse à natura, ut juncum flexilem, vel ab arte, ut coctos lateres. Quando potentia est à natura, eam non tolli præsente actu, sed cum eo conjungi, atque hinc esse quod junci flexi retineant nihilominus flectendi facultatem, quemadmodum ipsi loquuntur. Secundùm hanc doctrinam valebit consequentia ab esse ad posse, cùm potentia est à natura; ut junci sunt flexi: E. possunt flecti. Quæ autem ab arte proficiscuntur non ità se habere aiunt. Neque enim cocti lateres posse coqui, cùm coctio accidens sit extrinsecus adveniens, non à primordiis laterum.

12. Verùm nos calculum his nostrum adjicere non possumus. Nam quando homo nascitur aut natus est à parentibus, illa potentia non est ab arte, sed à natura, nihilominùs tamen non sequitur, Hic homo natus est ex hisce parentibus. E. ex iis potest nasci. Similiter & in lateribus, potentia, quâ coqui possunt, est à natura, quamvis ars interveniat tanquam causa applicans.

13. Et quid est quod dicunt, lateres coctos non posse coqui, propterea quòd coctio accidens sit extrinsecus adveniens? Debebant ostendere potentiam, quâ coqui possunt, extrinsecus advenire, nempe ab arte, non ipsam coctionem, quæ est actus. Nam distinctione potentiæ rem explicare voluerunt, non distinctione actûs. Præterea & flexio in junco est accidens extrinsecus adveniens & non à primordiis junci. Potentia quidem, quâ flecti juncus aptus est, ipsi insita est à naturæ primordiis, sed flexio sive actus, quo flectitur, utique est ab extrinseco, ut à vento vel homine. Idem dicendum est de lateribus.

14. Nos rem planam & expeditam esse judicamus: nempe ut argumentationes convenienter nostro principio sint constructæ requiritur, ut ratio ejusdem temporis in antecedente & consequente habeatur. Quo tempore alicui actus tribuitur, eo necesse est ipsi convenire potentiam. Si actus olim futurus est, non necesse est potentiam jam esse, sed sufficit, si & ipsa futura sit, & si actus olim fuit, satis est,

ſi & potentia tunc fuerit, ut ſi, monſtrato infante, dicas, Hic olim egregiè cauſas perorabit, ut hoc verum ſit, non opus eſt ut hoc tempore vi & facultate dicendi polleat, ſed ſufficit ſi in futurum eam ſibi acquiſiverit. Hinc conſequentias, Lateres ſunt cocti, ergò poſſunt coqui, Hic homo natus eſt ex hiſce parentibus, ergò poteſt ex illis naſci, ex vero progignere falſum, mirum non eſt. Sic inferendum erat, Lateres ſunt cocti, E. potuerunt coqui. Hic homo eſt natus, E. potuit naſci.

REGULA III.

Cujus eſt potentia ejuſdem eſt actus.

1. Οὗ ἡ δύναμις, τούτου καὶ ἡ ἐνέργεια Ariſt. *de ſom. & vig. c.* 1. Si verum hoc eſt in univerſum, tum omnis actio erit in agente, quod abſurdum, quia actio tranſiens non eſt in agente, ſed in patiente. Si ergò in quo eſt potentia in eo eſt actus, omnis actio erit in agente

2. Dicendum non idem eſſe, aliquid eſt alicujus, & aliquid eſſe in aliquo. Id quidem quod eſt in aliquo, eſt etiam & dicitur eſſe illius, quemadmodum dicimus juſtitiam Ariſtidis, fortitudinem Scipionis, quòd in illis fuerint: dicimus affectus capitis, ventriculi, &c. qui in hiſce membris ſunt. Verùm enim verò poteſt etiam aliquid eſſe alicujus, ut non in eo, ſed extra illud in alio revera ſit. Sic viſio eſt rei viſæ, ut coloris. Eſt quædam ſcientia & contemplatio corporum cœleſtium: nec viſio tamen in re viſa, nec contemplatio & ſcientia illa in corporibus cœleſtibus ineſt, ſed in vidente & contemplante.

3. Imò in præſenti materia ſuffragantem nobis habemus Ariſtotelem, qui expreſſè motum vocat actum τοῦ κινητικοῦ, 3 *Phyſ. c.* 3. *t.* 38. & *t.* 23 utriuſque & τοῦ ποιητικοῦ & τοῦ παθητικοῦ actum eſſe ſcribit; cùm tamen hoc ipſo in capite, ut & 9. *Met. t.* 16. doceat, motum non in agente aut eo quod agendi & movendi vim habet, ſed in patiente tantùm eſſe. Unde non univerſim verum eſt, cujus vel in quo eſt potentia, in eo eſſe actum, nec id verba regulæ præ ſe ferunt, ſed

itâ

ità habent: *Cujus est potentia, ejusdem est & actus*, hoc est, cui potentia tribuitur, ei tribuitur quoque actus; quod verum est, sive actus eidem insit, cui potentia tribuitur sive non. Fit quidem sæpè, ut actus illi insit cujus est potentia; verùm id non est perpetuum. Determinabimus rem specialiùs.

4. Dico I. *Cujus est potentia passiva, in eo est actus.* Ad hoc enim per se & natura sua potentia passiva ordinata est, ut subjectum, in quo ipsa est, actum in se recipiat.

5. II. *Cujus est potentia activa actione immanente in eo est actus.* Et ratio sumitur ex §. præced. quia omnis potentia activa actione immanente est simul passiva. At cujus est potentia passiva in eo est actus. Imò eam ob causam dicitur potentia activa actione immanente, quòd actus in ea maneat.

6. III. *Cujus est potentia activa actione transeunte, in eo non est actus.* Quando enim hujusmodi est potentia activa, tum actus est in patiente; quemadmodum calefactio, quâ ignis aquã calefacit, non in igne, sed in aqua est, sicuti patet ex Aristotele, *in loc. cit.*

7. Quin distinctionem istam circa præsentem materiam, atque adeò has ipsas conclusiones manifestò docuit Arist. *in t.16. lib. 9. Met.* hisce verbis, *In quibus id quod fit, aliquod aliud est præter operationem, in iis quidem actus in eo est quod efficitur, ut ædificandi operatio in eo quod ædificatur, & texendi actus in eo, quod texitur: eadémque ratio est in aliis, & omnino motus in eo est quod movetur. In quibus verò præter actum nullum est opus, in iis inest actus, ut visio in vidente, & contemplatio in contemplante, & vita in anima ac proinde felicitas ipsa.* Hæc Aristoteles.

8. Sciendum autem sermonem hîc esse de eo quod propriè est in aliquo, quomodo accidens v.g. est in subjecto. Nam 4. *Phys. t.* 23. octo recenset modos, quibus aliquid in aliquo esse dicitur, qui tamen non omnes sunt propriè dicti. In iis ille quoque refertur, quo aliquid dicitur esse in aliquo, ut res Græcorum in rege, & omnino ut in primo movente. Quâ ratione etiam actio transiens in agente esse fortasse dici po-

test. Sed hunc modum non esse propriè dictum res ipsa ostendit. Res enim Græcorum revera extra regem sunt, sicut & res mota vel motu effecta extra primum movens.

9. IV. *Cujuscunque est potentia, ejus est actus*; vel, *Cui tribuitur potentia, ei quoque tribuitur actus.* Cui competit potentia passiva, id dicitur pati,& cui competit potentia activa, ab eo procedit actus & dicitur agere, etsi in eo actus non inest: ut aqua dicitur calefieri, quia ejus est potentia passiva ut calefiat; ignis dicitur calefacere, quia ejus est potentia calefactiva.

10. Aristoteles, *loc. cit.* nemp. *cap.* 1. *de somn. & vig.* præsens axioma usurpavit de potentia activa actione immanente. Quæstio enim ibi erat, Quodnam esset subjectum somni & vigiliæ? & statuit non esse solam animam nec solum corpus, sed totum compositum. Ad quod probandum dicit, vigiliam in nullo alio consistere, quàm in sentiendo, qui est actus immanens. Cùm igitur neque anima seorsim, neque corpus seorsim sentiat, sed totum compositum, ad quod probandum utitur hac propositione, Ejusdem est actus cujus est potentia; sequitur quòd & vigilia sit totius compositi.

11. Quemadmodum autem Aristot. dicit, *Cujus est potentia, ejusdem est actus*, ità omnino asserendum, *Cujus est actus, ejusdem esse potentiam*; vel unâ simplici assertione utrumq; complectendo, *Potentia & actus sunt ejusdem.* Scribit Philosophus 1. *de an. t.* 64. ità: *Dicere autem animam irasci vel timere, simile est atque si quispiam nere animam dicat aut ædificare. Nam melius est forasse dicere, non animam, sed hominem animâ irasci vel ratiocinari.* Docet hîc Philos. actus, quales sunt irasci, timere, nere, ædificare, non esse animæ per se sumtæ, sed totius compositi. Ex quo colligitur, potentias ad hosce actus non animæ solius, sed totius compositi esse, propterea quod actus & potentia sunt ejusdem:

12. Atque hisce quidem intuitu principii activi & passivi regulam consideravimus, nec ad alia eam de mente Arist. extendendam esse putamus. Quæri posset quid sentiendum, si actus & potentia considerentur

ratione

ratione objecti. Videtur & ſic actum & potentiam ejuſdem eſſe. Nam & viſus & viſio eſt rei viſibilis, ut coloris; & ſcientia & contemplatio eſt rerum neceſſariarum, &c. Docet tamen Ariſtoteles, 1.*poſt.* *t.* 182. ſenſum ſive facultatem ſentiendi eſſe rei univerſalis, ſentire autem ſive actum ſentiendi non niſi ſingularis. Quâ de re alibi.

13. A nonnullis intelligitur de potentia objectiva & actu entitativo. Idem enim eſt quod olim in potentia erat & jam eſt actu, & quod jam eſt in potentia & olim exſiſtet actu: ſicuti idem homo eſt, qui aliquando in potentia ſolùm erat, jam autem actu exſiſtit; qui jam in potentia eſt, & qui elapſo anno naſcetur, quod ex 9. *Met. t.* 19. colligitur.

REGULA IV.

Quod tranſit de potentia ad actum mutatur.

1. Tranſire de potentia ad actum eſt, id, quod potentiâ eſt, fieri actu; ut quod potentiâ eſt homo, fieri hominem actu: quod potentiâ eſt album, fieri album actu. Eodem ſenſu dicunt nonnulli, *Quod tranſit de contradictorio in contradictorium mutatur.* Eſſe enim potentiâ & eſſe actu involvunt contradictoria, cùm illud quod potentiâ eſt, actu non ſit; quemadmodum quod potentiâ eſt album, non eſt album. Eſt ergò ex albo potentiâ fieri album actu idem, quod ex non albo fieri album, quod eſt de contradictorio tranſire in contradictorium. Vide Ariſt. 5. *Phyſ. t.* 7.

2. Convellere regulam videtur, quòd quando aliquid, quod antè non videbatur, nunc videtur, de viſo potentiâ fit viſum actu; & quando Deus creavit mundum, tunc factus eſt ex creatore potentiâ creator actu, nulla tamen in Deum mutatio cadit; nec id quod antè non videbatur, nunc autem videtur, hoc ipſo mutatur.

3. *Reſpondeo:* Tranſire aliquid de potentia in actum contingit dupliciter: 1. ut actus intrinſecus ſit rei, quæ erat in potentia, eique tanquam ſubjecto inhæ-

reat, notatúrque sic potentia passiva. Hoc modo intellecta regula est verissima, & nulli instantiæ obnoxia. Paries, qui ex albo potentiâ fit albus actu, mutatur: Homo, qui ex indocto fit doctus, mutatur per receptionem habitûs sive eruditionis. Quando ex semine, quod est potentiâ animal, fit animal actu, semen variè mutatur, & sic in reliquis. Ratio est, quòd hæc omnia de potentia passiva in actum transeant, & recipiant in se formas, tanquam subjecta earum. 2. Ut actus sit rei, quæ de potentia in actum transit, extrinsecus, & ipsum extrinsicè denominet, aut aliàs non insit, aut recipiatur in ea tanquam in subjecto aut potentia passiva. Hoc modo quod transit in actum, illud non est necesse mutari, ídque probant instantiæ adductæ. Deum enim esse creatorem, & aliquid videri, sunt denominationes extrinsecæ; neque creatio, quæ est actus, per quem Deus dicitur creator, in Deo; neque visio, per quam, tanquam actum, aliquid dicitur videri, in ipso tanquam subjecto inest; & propterea nec Deus, cùm ex creatore potentiâ fit creator actu, nec paries, qui ante non videbatur actu, pòst autem actu videtur, mutatur.

4. *Dicis:* Filius Dei ante incarnationem fuit potentiâ homo & postea actu factus est homo per assumtionem humanæ naturæ, quæ non extra, sed in ipso subsistit. E. vel regula, etiam ut hactenus explicata est, mysterio incarnationis adversatur, vel asserendum, Filium Dei aliquam subiisse mutationem.

5. *Resp.* Licet humana natura non sit extra filium Dei constituta, quia tamen non est in eo, ut in subjecto, sed alio quodam admirando omníque humanæ rationi incognito & imperscrutabili modo in ipso subsistit, nec potentia illa, quâ filius Dei homo fieri potuit, est passiva, ideo nec ea, quæ huc usque dicta sunt, cum mysterio isto pugnant, nec aliqua indè in filio Dei mutatio inferri potest. Vide *Durand.* & *Herv.* 3 *dist* 7. *q.* 1. & alios Scholasticos. Consule etiam *Mendozam, disp. Phys.* 5. *s.* 6.

6. Circa id quod § 3. & 4. assertum fuit de Deo potentiâ creatore, visum est notare, quid Fonseca disputet.

disputet. Negat is, *l.* 7. *Met. c.* 8. *q.* 4. *f.* 7. rectè dici, Deum aliquando fuisse in potentia causam aut creatorem, quòd ista locutio imperfectionem aliquam præ se ferat & indigentiam. Quamvìs enim potentiâ causam esse rectè usurpetur de causis secundis, quæ pendent à prima, ejúsq; concursum expectant ut possint actu causare; id tamen in Deo, qui à nullo in causando dependet, locum non habere ait.

7. Verùm sine causa hìc scrupulosius est Fonseca. Quemadmodum enim aliquid potentiâ esse est, posse esse cùm non sit, & potentiâ ambulare est, posse ambulare cùm non ambulet: ità potentiâ causam vel creatorem esse est, posse esse causam aut creatorem cùm non sit, quod ex § 7. *reg.* 2. & loco Philosophi ibi allegato evidentissimum est. Atqui ante mundi creationem Deus potuit esse causa, potuit creare vel esse creator, nec tamen actu fuit: quod nec Fonseca inficiatur. Neque inficiari potest quisquis sacræ Scripturæ autoritatem admittit.

8. Unde nec negari potest, Deum ante mundi creationem fuisse causam & creatorem rerum in potentia, nisi qui nomine definiti id defraudare ausit cui definitionem tribuerit. Ex quibus etiam id satìs perspicuum est, causam vel creatorem potentiâ esse, nullam inferre imperfectionem aut impotentiam, cùm posse esse causam aut creatorem, nec tamen actu esse, nulla imperfectio sit aut impotentia; tum quia utrumque Deo attribui potest, & quidem propterea, quòd tantùm abest, ut posse creare sit imperfectio, ut potiùs infinitam perfectionem includat, non creare autem sit negatio actûs extrinsicè denominantis, nempe creationis, qui cùm Deum non faciat perfectiorem, neque negatio ejus imperfectionem in eo inferet: tum quia quòd Deus non creaverit, cùm potuerit, atque ità aliquando fuerit causa vel creator potentiâ, ex liberrimo ipsius arbitrio & sapientia profectum est, & non indè, quod alicujus rei ad creandum indiguerit.

9. Quin, licèt causæ secundæ omnes imperfectionem secum ferant, & à Deo dependeant in operando;

do; quòd tamen non semper actu causæ sunt & operantur, sed sæpe potentiâ tantùm, non provenit semper indè, quòd à Deo dependent, aut ab aliqua imperfectione aut indigentia; quandoquidem creaturæ rationales agere & non agere, & sic causæ potentiâ esse possunt, Deo concursum suum non denegante, & positis quoque omnibus ad agendum requisitis, ex mera arbitrii libertate, quæ formaliter imperfectionem non infert, cùm aliàs à Deo esset aliena. Causæ ἄλογοι & naturales quòd interdum tantùm potentiâ operantur, provenit quidem ex aliqua indigentia, sed non semper ex eo, quòd dependent in operando à Deo, cùm fiat ut, Deo non subtrahente concursum suum, non actu sed potentiâ tantùm operentur, propter absentiam nimirum patientis. Quin posito creaturas ità operari, ut à Deo non dependeant in operando, sicut Durandus vult, adhuc possent causæ secundæ aliquando esse potentiâ causæ & non operari actu, rationales quidem ex libero arbitrio, ἄλογοι verò ex defectu alicujus ad operandum requisiti.

Regula V.

Quod potest majus, potest etiam minus.

1. *At inquis:* Homo potest intelligere, quod est majus, cùm sit actus nobilissimus formæ nobilissimæ, nempe animæ rationalis: is tamen non potest volare, quod est minus, cùm sit actus animæ sensitivæ, quæ præstantiâ & nobilitate animâ rationali longè inferior est. Ità cæcus potest intelligere: videre, quod minus est, nequit.

2. *Respondeo:* Majus & minus habent se dupliciter. Interdum enim sunt planè disparata, ità ut majus non includat id quod est minus, quomodo se habent intelligere & volare, & in hisce regula non est vera, quemadmodum probat argumentum modò adductum. Interdum majus includit id quod est minus, quomodo τὸ currere includit τὸ progredi, & portare centum pondo includit portare quinquaginta pondo. Quando hoc modo se habēt majus & minus, tunc re-

gula veriſſima eſt. Sequitur enim, Hic homo poteſt currere. E. etiam poteſt progredi. Poteſt centum pondo portare. E. etiam quinquaginta.

3. Sed regeris, nè in hoc quidem ſenſu perpetuam eſſe regulæ veritatem, quoniam ſubſtantia compoſita eſt majus ſive perfectius quid quàm materia prima & quidem ità, ut ſubſtantia compoſita includat materiam, nec tamen quicquid ſubſtantiam compoſitam producere poteſt, ipſam etiam materiam producere poteſt: ſicut bos bovem generat, materiam autem primam producere nequit. Similiter enſis eſt quid majus & perfectius ferro, & ità quidem, ut ferrum in enſe includatur. Faber facit enſem, neque tamen ferrum facere poteſt.

4. Reſpondeo: Licèt majus & perfectius quid ſit ſubſtantia compoſita materiâ, ſicut & enſis ferro, ſubſtantia quoque compoſita materiam, ſicut & enſis ferrum, includat; tamen ſubſtantiam compoſitam producere, ut bovem generare, non eſt majus quàm producere materiam, ſed potiùs materiam ipſam producere eſt majus quàm producere & generare compoſitum, cùm materia non poſſit niſi ex nihilo produci; ad quod quidem cùm requiratur virtus infinita, longè difficilius & majus eſt quàm aliquid ex materia produci, quomodo ſubſtantia compoſita producitur per generationem. Primarium autem, quod hîc reſpondendum, eſt, quòd licèt materia in ſubſtantia compoſita, ferrum in enſe includatur, productio materiæ tamen non includatur in productione ſubſtantiæ compoſitæ, neque productio ferri in fabricatione enſis, cùm ibi materia prima, hîc autem ferrum præſupponatur, & jam antè eſſe ſuum obtineat.

Regula VI.

Potentia non excedit ſuum objectũ adæquatum.

1. Objectum adæquatum, ut ex ipſius vocis ſignificatione conſtat, dicitur, quod eſt æquale potentiæ, ità ut circa omne id, quod ſub eo continetur, poſſit potentia ſuum exercere actum, & omne id, circa quod potentia ſuum actum exerere poteſt, ſub

eo contineatur. Unde potentiam excedere suum objectum adæquatum est posse potentiam circa aliquid suum exercere actum, quod sub objecto ejus adæquato non continetur, ut siquis statueret visum posse percipere saporem, cùm sapor sub visibili, quod objectum visûs adæquatum est, non contineatur. Ea autem manifestissima est contradictio. Si enim potentia circa aliquid exerit suum actum, hoc ipso id ejus objectum est, cùm hæc sit natura objecti: si autem non continetur sub objecto adæquato, hoc ipso non est ejus objectum, aliàs enim objectum adæquatum non comprehenderet omne id quod est objectum, vel circa quod potentia suum exerit actum.

2. Ex hoc axiomate non pauci colligunt, Deum non posse videri oculo corporeo sive visu corporis, quoniam nimirum visus corporis objectum adæquatum est visibile corporeum, ut color & lumen. Sed Deus non est visibile corporeum. Si igitur visu corporis Deus posset videri, potentia posset excedere suum objectum adæquatum. Sed hanc controversiam non facimus nostram.

3. Plinius, *l.* 2. *natural. hist. cap.* 7. negat Deum esse omnipotentem præter alia eo usus argumento, quòd non possit sibi consciscere mortem, non possit facere, ut qui vixit non vixerit, qui honores gessit non gesserit, ut bis decem non sunt viginti. Eodem modo philosophatur vel potiùs delirat Plutarchus, *lib. de plac.* neque multùm abludit Conradus, *Forst. tr. de Deo & attrib. p.*238. scribens, potentiam Dei non esse prorsus infinitam eò quòd non extendatur ad impossibilia.

4. Quæ Plinius affert implicant contradictionem. Quæ verò contradictionem implicant, sunt impossibilia, per *reg.* 1. *disp. prac.* Quæ impossibilia sunt, sub nullius potentiæ objecto continentur. Si enim sub aliquam potentiam caderent, hoc ipso jam essent possibilia & non impossibilia (quæ manifesta est contradictio) quemadmodum quæcunque sub visum cadunt, sunt visibilia. Solùm ergò *possibile* est objectum omnipotentiæ. Et cùm nulla potentia suum

excedat

excedat objectum adæquatum, hoc est, nullius potentiæ sit exercere actum suum circa id, quod est extra ejus objectum adæquatum; nec omnipotentiæ sive potentiæ infinitæ erit posse facere impossibilia: & per consequens ex eo, quòd Deus non potest facere impossibilia, malè infertur, eum non esse omnipotentem, aut potentiam ejus non esse infinitam.

5. Certè sicut nihil derogat visui, quòd non possit percipere odorem vel saporem, neque quòd animal non possit videre saporem vel odorem, rectè infertur, id carere potentiâ videndi, aut eam non habere omnibus numeris perfectam, propterea quòd odor & sapor non sunt objectum visûs. Sic nihil derogat potentiæ divinæ, neque inferre licet, Deum non esse omnipotentem, quòd mori non possit, quòd, ut ea, quæ sunt præterita, non sint præterita, quòd quævis alia, quæ impossibilia sunt & contradictionem involvunt, facere non possit, quoniam nimirum ea sub objecto omnipotentiæ non continentur.

Regula VII.

Quod quis potest, si vult, potest absolutè.

1. Desumunt hoc ex Augustino, *de lit. & spir. c.* 21. & Anselmo, *l.* 2. *cur Deus homo c.* 10. Sensus est: De quo dicitur, quòd hoc vel illud possit, factâ hypothesi, si velit, de eo simpliciter & sine ulla hypothesi affirmatur, quòd id possit. Veritas ejus perspicitur inductione. Qui enim potest currere, videre, disputare, si vult, de eo rectè dicitur simpliciter, quòd possit currere, videre, disputare, &c.

2. Eadem sententia est Socratis apud Platonem, *in Hipp. min.* quando, *Potens*, ait, *est, qui facit, quod vult, & quando vult, morbo vel quibusdam talibus non impeditus, verùm quemadmodum tu meum nomen, quotiescunque vis, scribere potes.* Et ex principio isto disputat, eum, qui artis alicujus ut numerandi computandíque peritus est, quæsitum de numero aliquo, ut ter septingenta quotnam sint, magis posse mentiri eo, qui rudis illius est & imperitus, propterea

quòd

quòd ille possit mentiri semper & quotiescunque velit; hunc autem contingat vera dicere propter inscitiam, etsi mentiri velit.

3. Sed objicitur: Quod quis potest si vult, potest absolutè. Sed Deus potest peccare si vult. E. Deus potest peccare. Conclusio est falsa atque impia. Minor est vera, quia Deus omnia potest quæ vult. *Quæcunq; voluit, fecit*, *Psalm.* 134. Necesse est igitur majorem, quæ nostra regula est, esse falsam.

4. *Resp.* Regula vera est de eo qui potest velle, quemadmodum patet ex adductis exemplis. Verum est enim de homine, quòd, quia potest currere, videre, disputare, si vult, possit absolutè currere, videre, disputare, ex eo, quòd homo est ejusmodi subjectum, quod potest illa velle. Secus autem est de eo, quod non potest velle: quemadmodum verum quidem est, si dicam, Lapis potest intelligere, si vult; nec tamen verum est, si dicam, Lapis potest intelligere. Quòd autem illud verum sit, probo: Omnis substantia intellectualis potest intelligere. Quicquid vult, est substantia intellectualis. E. quicquid vult, potest intelligere. E. & lapis, si vult, potest intelligere. Minor probatur, quia velle est actus voluntatis. Quicunque igitur vult, ille habet voluntatem. Sed quicquid voluntatem habet, illud est substantia intellectualis. E. quicquid vult, est substantia intellectualis. Cur, cùm dico hypotheticè, Lapis, si vult, potest intelligere, sit verum; falsum tamen sit, si dicam absolutè & categoricè, Lapis vult, causa est, quòd lapis non potest velle.

5. Patet hinc responsio ad argumentum objectum. Cùm enim major non sit vera, nisi ità, quod quis, si vult, potest, & potest velle, potest absolutè, minor sic erit subsumenda, Deus, si vult, potest peccare, & potest illud velle: at sic falsa est. Non enim Deus potest velle peccatum. Hæc responsio est Durandi, *l.* 3. *dist.* 12. *q.* 2 quam nos paulò fusiùs explicavimus, & habet fundamentum in ipso Anselmo.

REGULA VIII.

Frustra est potentia quæ non traducitur in actum.

1. Tritissima hæc usu in Philosophorum scriptis est propositio. Et quamvìs expressis verbis apud Aristotelē posita non occurrat, ex *t.*32. tamen *l.*1.*de cœl.*satìs evidenter colligi posse videtur. Ibi enim disputans, circulares motus non esse contrarios, hoc affert, Corpora, quæ contrariis motibus in circuitum moveri dicuntur, aut æquales vires habent, aut inæquales. Si prius, se invicem impedient & neutrum movebitur, atque itá frustra erunt. Si posterius, id quod vincet solum movebitur, atque itá alterum, quod motum suum non subit, frustra erit. Hoc argumentum niti hisce fundamentis, & quòd frustra illa potentia sit quæ in actum non deducitur, & quòd absurdè asseratur, dari aliquid in rerum natura quod frustra sit, cùm Deus & natura nihil faciant frustra, sicut dicitur loc. cit. & aliis in locis evidentissimum est. Textum 45. *l*3. *de an.* in quo & ipso proponitur argumentum quod illis fulcitur principiis, consultò prætereo.

2. Frustra esse id dicitur, quod non assequitur finem propter quem est, ut si quis deambulet dejiciendæ alvi causâ, & dejectio non subsequatur, frustra deambulasse dicitur, 2. *Phys. t.*62. *At finis actus est, & hujus gratiâ potentia suscipitur, neque enim animalia vident, ut videndi potentiam habeant, sed ut videant, potentiam habent videndi: eodémq; modo ut ædificent, ædificandi artem habent homines, &, ut contemplentur, habitum contemplandi,* scribit Aristoteles, 9. *Met. t.*15. Frustra igitur est potentia, si ad actum non deducatur.

3. Fuerunt, ut videre est ex *c.* 4. *l.* 9. *Met.* qui statuerent dari potentias, quæ itá non traducuntur in actum, ut actus ipsis repugnet; vel quod eódem recidit, aliquid potentiam habere & possibile esse, ut impossibile sit ipsum in actu deduci; quod refutat Aristoteles ex definitione τȣ̃ δυνατȣ̃, sive possibilis, quam *præced cap.* attulerat: *Possibile est, cujus potentia si ad actum ducatur, nihil eveniet impossibile.* Si igitur ali-

quid

quid poſsibile eſt, cujus potentiam impoſsibile eſt in actum deduci, ſequitur ejus, quod poſsibile eſt, potentiâ in actum ductâ, ſequi impoſsibile.

4. Verùm multas potentias dari, quæ in actum non deducantur, & ſic fruſtra eſſe, quotidiana teſtatur experientia. Quot enim reperiuntur, qui cum ad generandum idonei ſint, ejuratâ ſponte fœminarum conſuetudine non generant. In multis quoque tum viris, tum mulieribus potentia generandi exeri nequit διὰ πηρώματα περὶ τὰ μόρια, καὶ τοὺς τόπους πρὸς τὴν ὁμιλίαν χρησίμους, *2. de gen. an. cap. 7.* Eorum, qui ingenii ſunt ad bonarum literarum ſtudia aptiſſimi, plurimi totos ſe abjectis & illiberalibus opificiis tradunt.

5. Reſpondemus cum Zimara *propoſ. 117.* & multis aliis, exempla præcedenti §. adducta concernere individua, in quibus nihil abſurdi, potentiam non traduci in actum, & ſic fruſtra eſſe; quemadmodum & in generatione monſtrorum, quæ in individuis conſiſtit, natura fruſtra eſt, cùm ibi alicujus gratiâ agat, quod non aſſequitur, *2. Phyſ. t. 82.* At in tota ſpecie potentiam non traduci in actum & ſic fruſtra eſſe, iis non evincitur.

6. Verùm hoc modo non omnis difficultas ſublata videtur, quòd afferri poſſit potentia, quæ per totam ſpeciem non ducatur in actum. Primùm enim talpis inest potentia videndi, quod indè ſatìs probatum redditur, quòd a natura inſtructi ſint oculis, quod αὐτοψία evidens eſſe videtur. At illa potentia in tota ſpecie non traducitur in actum. Talpas enim non videre pro tam certo habetur, ut in proverbium abierit.

7. Secundò: Eſto locus in orbe terrarum, quem nullus homo acceſſerit unquam, neque acceſſurus ſit, cùm nihilominus habeat potentiam progrediendi, quâ accedere eum poteſt. Illa potentia non videtur propterea eſſe fruſtra. Sic ſi nullus color gilvus aut cyaneus fuiſſet unquam in rerum natura, neque futurus eſſet, oculus haberet potentiam eum videndi, neque ullus unquam tamen vidiſſet, aut viſurus eſſet.

Quis

Quis viſum propterea fruſtra animali datum eſſe aſſereret ?

8. Quantùm ad primum: De oculis talparum ità diſſerit Ariſtoteles 1. *de hiſt. animal. c. 9.* *Talpam modo quodam oculos habere dixerim, cùm tamen omnino habere negem: quippe cùm omnino nec videat, nec perſpicuos habeat oculos: verùm ſi quis prætentam membranam detrahit, locus oculorum apparet, & pars nigra eorundem: ſitus denique & deſcriptio eadem, quam legitimam conſpicui oculi obtinent; utpote cum obducta cute pręſſi, confuſi, oblæſique eſſent, dum crearentur.* Patet igitur ex hiſce verbis Philoſophi, talpis veros oculos non eſſe, ſed ſolùm inchoationem vel adumbrationem quandam eorum. Quòd ſi oculis deſtituuntur, nec potentiâ videndi præditi eſſe poſſunt.

9. Sed regerat aliquis, inchoationem illam oculorum eſſe fruſtra. Quis enim poſsit eſſe finis ejus ? Reſpondent idcirco naturam dediſſe talpis illam oculorum adumbrationem, ut eos aliis animalibus quoque modo ſimiles efficeret, quæ adſimulatio ſatìs eſt, ut non fruſtra id à natura factum eſſe videatur.

10. Ad poſteriora duo exempla reſpondemus, potentiam eſſe fruſtra, quæ in tota ſpecie ad nullum traducitur actum. Quòd ſi ad actum aliquem, & reſpectu alicujus ſub ſubjecto adæquato contenti deducatur, licèt non in actum omnem, & reſpectu omnium ſub ſubjecto ejus contentorum deducatur, non propterea eſt fruſtra. Et ratio eſt, quia finis potentiæ eſt actus indifferenter, & reſpectu objecti indifferenter, non hic vel ille actus, aut reſpectu hujus vel illius objecti determinatè.

11. Quinimo, ſi aliquid pluribus determinatè deſtinatum ſit finibus, fruſtra id non eſt, ſi unum illorum conſequatur, quamvìs reliquorum fortaſſis compos non ſiat. Proficiſcitur quis Lipſiam tempore mercatus, & ut mercetur ea, quæ vitæ quotidianæ uſura poſtulat, & ut filium ſtudiorum causâ ibi commorantem inviſat. Cùm eò venit, filium à contubernali aut alio quodam ex ſodalibus in patriam profecto abductum non invenit, atque ità altero fine excidit,

neque

neque tamen iter illud frustra institutum esse dixerit propter alterum finem, quo fuit potitus. Sed hac de re inferiùs fortassis dicendi dabitur occasio.

12. Quid? quòd si ad hoc, ut nè potentia dicatur frustra esse, inquireretur, ut ad omnem actum, ad quem deduci potest, deduceretur, omnes vel pleræque potentiæ frustra essent, cùm ad tot actus non deducantur, quin ad alios, vel plures saltem numero diversos & respectu plurium aliorum objectorum numero saltem differentium, deduci possint. Sic ergò facultas locomotiva non est frustra, etsi ad certum aliquem locum, ad quem progrediendo pertingere posset, nullum animal accesserit, cùm illa facultas deducatur in actum respectu aliorum locorum. Nec visus frustra datus est animali hoc ipso, quòd eo multa percipit, quamvìs certum aliquem colorem videre non contingat.

13. Zimara & alii hâc regulâ utuntur contra eos qui statuunt, materiam cœli cum ea, quæ est horum inferiorum, ejusdem esse rationis & essentiæ, hoc modo: Materia horum sublunarium habet potentiam ad plures & oppositas formas recipiendas. Si igitur materia cœli cum ea esset ejusdem rationis & speciei, necesse esset & ipsam habere potentiam ad plures, eásque oppositas formas. At consequens hoc absurdum est, quia illa potentia nunquam traducitur in actum cùm cœlum incorruptibile sit, ac propterea materia ejus nunquam aliam formam recipiat.

14. Verùm cui partem quæstionis affirmantem defendere libuerit, ille iis, quæ §. 10. *& seqq.* proposita sunt, forsassis responderit, potentiam materiâ corporum cœlestium esse traductam ad actum. Licèt enim successivè alias atque alias formas non suscipiat, esse tamen eandem potentiam, quâ jam informatur formâ cœli, & quâ aliarum formarum materia illa capax est, & sic eam actuatum jam esse. Quæ responsio eò minus absurda videtur, quòd licèt materia non transmutetur, & diversas formas recipiat, quâ parte corporum cœlestium materia est, sustinet nihilominus hujusmodi mutationes, quâ sublunarium materia est.

15. Ja-

15. Jacob Arminius, *in Apo. art.* 19. negat, Adamum ante lapsum habuisse potentiam credendi in Christum, eo fine nimirum, ut neget Deum post lapsum ab ipso potuisse fidem in Christum exigere hoc jure, quòd eam suâ culpâ amiserit. Ratio ejus vel ex præcipuis ista est, quòd nulla fuerit tum necessitas, nulla utilitas potentiæ credendi in Christum, imò non potuerit in actum potentia illa deduci (cùm Christo ut servatori in statu integritatis non potuerit esse locus:) At natura nihil facit frustra, multò minus Deus.

16. Sed observatis iis, quæ modò dicta fuerunt, nullo negotio argumentum Arminii eliditur. Multa possunt fieri ab hominibus, quæ nec ullus sigillatim, nec plures conjunctim faciunt. Quòd si enim Hercyniam vel aliam quamcunque sylvam non incendunt, quòd id necessarium & utile non sit, an propterea potentiâ ignem ei inferendi destituuntur? Non igitur argumentari licet à negatione actûs, quòd is utilis & necessarius non sit, ad negationem potentiæ.

17. Certum est, non potuisse potentiam credendi in salvatorem traduci in actum, si homo in statu integritatis permansisset, quòd nullus tunc fuisset nec esse potuisset salvator: (Loquimur de tali salvatore, qualis nobis jam est Christus) sed illa potentia non ideo frustranea fuisset ad alios actus. Credidisset enim Adamus in Deum ut creatorem, ut largitorem omnis boni, sicut concedit Arminius. Hâc ipsâ potentiâ potuisset quoq; tum credere in Christum, si possibile fuisset exsistere hujus fidei objectum, ipse nimirum Christus cum suo merito & satisfactione pro peccatis.

18. Largitur Arminius, Adamum habuisse potentiam credendi in Christum ut servatorem, & illam eandem fuisse cum potentia credendi in Deum; verùm illam non fuisse nisi semotissimam, nempe vim intelligendi & volendi, & simul communem omnibus mentibus impressarum notionum scientiam.

19. Verùm, si asseramus potentiam propinquam etiam fuisse eandem, nempe eam, quam habuit per

ima-

imaginem Dei, quâ Deum verè agnoscebat & amabat, argumentum Arminii nobis non adversabitur. Nam nec potentia proxima est frustranea, quamvis ad aliquos actus non traducatur, imò quamvis ad aliquem traduci nequeat deficiente objecto, inprimis si ad illum actum & ad illud objectum non sit ordinata, aut propter ipsum alicui concessa. Instructus fuit Adamus à Deo libero arbitrio, quo potuit peccare, non tamen ordinatum id fuit à Deo ad peccandum. Quòd si in peccatum non fuisset lapsus, an tu potentiam vel arbitrium illud frustra fuisse dixeris?

20. Julius Pacius, *in c.6. l.3. de an.* hoc principio adstruere conatur resurrectionem mortuorum. Docet nimirum facultates animæ, etiam organicas, ut sensum & phantasiam, manere post mortem. Quamvis enim & interire eas statuar, id tamen non nisi ex accidente fieri, nempe quatenus organum eorum perit, sine quo anima operari non potest, absolutè tamen, & quatenus in animâ sunt, persistere dicit, quemadmodum facultas equitandi maneret in equite, etsi omnes equi tollerentur.

21. Hinc colligit, necesse esse, ut vel aliquando anima recipiat corpus, vel potentias sive facultates illas frustra retineat, cùm extra corpus non possint deduci in actum. Cùm autem nulla potentia sit frustra ex Aristotelis & veræ Philosophiæ principiis, fatendum erit, animam aliquando recepturam corpus.

22. Verùm infirmius est hoc argumentum, quàm ut tantæ rei fidem afferre possit. Ut nè potentia sit frustra, sufficit, si aliquo tempore traducatur vel traducta fuerit in actum. Ità credere nos cogit potentia auctrix, quæ in omni vivente manet, quamdiu ipsum; quæ tamen si ad justam magnitudinem animal perduxerit, postmodum toto vitæ tempore quiescit; illa nihilominus non est frustra in animali secundùm principium ab ipso Pacio adductum, quòd nihil in natura sit frustra. Ità ergò & potentiæ illæ animæ à corpore separatæ non frustra erunt, etsi non amplius futurus illarum sit actus, quòd officio suo, dum in corpore anima habitaret, jam sint defunctæ.

23. Et

23. Et quid dicemus de hac ipsa potentia auctrice, ut & de nutrice & generatrice & aliis, quas communes nobis natura fecit cum omnibus animatis? Illas cùm nos ipsi, qui indubitatâ persuasione mortuorum in vitam reditum credimus, non aliquo tempore tantùm post mortem, sed infinitis seculis otiosas futuras statuamus, quî persuadebimus illis, qui diversam de resurrectione fovent sententiam, absurdum esse, post mortem sensus & phantasiam perpetuam agere quietem?

24. Neque discrimen constituere poterit Pacius inter facultates sensitivas & vegetatrices, quasi discedente animâ per mortem à corpore illis permanentibus istæ intereant. Id enim neque principiis ipsius consentaneum esse existimo, neque quâ ratione adstruere id possit, video.

25. Dixerit, propterea eas interire, quòd nullum in altera vita habituræ sint usum: regeret adversarius, supponi futuram resurrectionem, quam tamen hoc argumento probare contenderit. Taceo, quòd alia multa hîc Pacius tanquam concessa sumit quæ maximè sunt controversa, quæque omnia nullus forsan eorum, quibus resurrectionem mortuorum persuadere volueris, admiserit.

26. Cæterùm nonnulli ex Scholasticis statuunt, etsi homo non peccasset, futurum tamen fuisse, ut filius Dei incarnaretur, inter quos est Scotus, *l.* 3. *d.* 1. *q.* 7. Inter alia & hoc argumento fuêre usi: Cujus boni capax fuit humana natura peccato exsistente, id Deus ei peccato etiam non exsistente dedisset; siquidem nulli creaturæ denegat bonum, cujus est capax: aliter enim illa potentia sive capacitas fuisset frustra. Atqui humana natura peccato exsistente fuit capax, ut assumeretur à filio Dei in unitatem personæ. Ergò hoc bonum ei Deus dedisset, etiam peccato non exsistente. Majoris ratio est evidens: si enim ante peccatum hujus boni non fuisset capax, sequeretur hoc absurdum, quòd per peccatum capacitas humanæ naturæ quoad bonum fuisset amplificata & aucta.

27. Evi-

27. Evidens eſt, noſtrâ regulâ hoc argumentum fundari, & idcirco ſolutionem ejus ab intellectu quoque ejus pendere. Thomas, 3. *diſt.* 1. *q.* 1. *a.* 3. reſpondet, *Capacitas alicujus creaturæ*, inquiens, *poteſt intelligi dupliciter: vel ſecundùm potentiam naturalem, quæ pertinent ad rationem ſeminalem: & ſic nullam capacitatem naturæ vacuam Deus dimittit in genere, quamvis capacitas alicujus creaturæ particularis non impleatur propter aliquod impedimentum. Vel ſecundùm potentiam obedientiæ, ſecundùm quam qualibet creatura habet, ut ex ea poſſit fieri, quod Deus vult, & hoc modo in humana natura eſt capacitas hujus dignitatis, ut in unitatem divinæ perſonæ aſſumatur, nec oportet, quòd omnem talem capacitatem adimpleat; ſicut non oportet, quòd Deus faciat quicquid poteſt, ſed quod congruit ordini ſapientiæ ejus.* Similem reſponſionem reliquit, *p.* 3. *q.* 1. *a.* 3.

28. Ità in lapidibus eſt potentia obedientialis, quâ apti ſunt ut ex ipſis filii ſurgant Abrahamo, quemadmodum teſtatur Baptiſta apud *Matth. c.* 3. *v.* 9. at quòd illud non fit, nec facit ut illa potentia in lapidibus ſit fruſtra, rationem eam eſſe exiſtimo, quòd potentia obedientiæ eſt ipſa rei eſſentia, quæ fruſtra non eſt, etſi ad actum, ad quem per abſolutam Dei potentiam deduci poteſt, non deducatur, cùm nec ad iſtum actum (ſaltem primò) ſit ordinata, quemadmodum Deus eſſentiam hominis eò non ordinavit primò, ut aſſumeretur in ſubſtantiam filii Dei, nec lapides ad hoc fecit, ut ex iis excitarentur Abrahamo filii.

29. Verùm antequam ad alia tranſeamus, diſcutiendum eſt adhuc unum, quod negotium alicui faceſſere poſſit. Eſt nimirum ſententia Philoſophi, dari potentiâ infinitum, tum additione, qualis potentia eſt in numero; tum diviſione, qualis eſt in continuo, quemadmodum docetur 3. *Phyſ. c.* 6. At illa potentia non poteſt traduci in actum, quia non poteſt dari actu infinitum ſive magnitudine, ſive multitudine; ſicut diſputatur *cit.* 3. *Phyſ. à t.* 40. *uſque ad* 56. *&* 1. *de cœlo à t.* 33. *uſque ad* 76. Quòd ſi illa potentia

tentia in actum deduci nequit, frustra est, & per consequens non est.

30. Ad hoc respondetur, potentiâ dici infinitum, continuum quidem divisione, numerum verò additione, quod hic in infinitum major fieri, id est, quantocunque dato numero semper major dari possit: illud verò secundùm omnes partes, & sic in infinitum divisibile sit cùm ejus omnes partes sint divisibiles. Id verò potest bifariam intelligi: 1. In sensu distributivo, ut loquuntur, ut scil. nulla pars detur, secundùm quam non possit dividi, & hoc modo respondet illi potentiæ actus incompletus, ad quem deduci potest. Ità enim dividitur continuum, ut semper residuæ sint partes, quæ adhuc sine termino dividuæ sunt, cùm nulla pars sit, quæ non constet & ipsa ex partibus divisibilibus; ex quo sensu non sequitur, actu infinitum dari posse. 2 In sensu, quem vocant, collectivo, ut dividi possit ità, ut tandem omnes partes sint divisæ simul, & hoc modo respondet illi potentiæ actus completus absolvens omnes continui partes, nullámque absque sectione relinquens, & hoc modo ad actum deduci non potest: sed id istam potentiam frustraneam non facit, quia nè quidem est potentia ad actum hoc posteriori, sed tantùm priori modo, sicut patet ex *t. 9. l. 1. de ort, & inter. & t. 57. l. 3. Phys.* quo posteriori loco hæc notatu dignissima & præsentem doctrinam plurimùm illustrantia habentur verba: *Potestate autem non ità sumi debet, ut si hoc statua possit esse, quòd hoc statua erit; ità & infinitum aliquod, quòd actu futurum sit.*

Regula IX.

Actus & potentia sunt in eodem genere.

1. Per *genus* hîc intelligitur genus summum. Est enim sensus, ut constat ex lectione autorum qui illud usurpant, quòd potentia & actus sint in eodem prædicamento. Cùm autem quodlibet prædicamentum suum peculiare habeat genus summum, ideo idem est dicere, aliqua esse in eo-

dem prædicamento, & in eodem esse genere summo.

2. Est autem admodum usitata hæc apud multos propositio, quam desumunt ex 12. *Met t. 26.* ubi docet Philosophus, eadem esse principia omnium generum, nempe materiam, formam, & privationem. Cùm ergò forma & privatio pertineant ad illud genus sive prædicamentum, ad quod pertinet ipsa res, colligunt hinc, ut ait Suarez, necesse esse, ut potentia etiam sive materiale principium ad idem semper prædicamentum pertineat.

3. Ponit istam propositionem expressè Thomas, quando *p. 1. q. 77. a. 1.* ex ea probare conatur, potentias animæ realiter differre ab anima. *Cùm enim potentia & actus*, inquit, *dividant ens, & quodlibet genus entis, oportet ut ad idem genus referatur potentia & actus; & ideo si actus non est in genere substantiæ, potentia, quæ dicitur ad illum actum, non potest esse in genere substantiæ.*

4. Manifestum hinc est, propositionem istam à Thoma accipi de potentia tum receptiva, tum activa. Et ità expressè docent Cajetanus, *ibid.* & Javellus, *l. 9. Metaph. quæst. 1.*

5. In contrarium disputat Scotus, *2. dist. 16. quæst. 1.* & in promtu sunt instantiæ. Primò enim, necesse est dari potentiam receptivam, quæ substantia sit, ut actus ejus quem recipit, in prædicamento aliquo accidentis stabuletur. Sumamus quodcunque accidens, v. g. quantitatem. Id in substantia est tanquam in subjecto: sed quicquid est in aliquo, ut in subjecto, id est in eo receptum: quicquid autem in aliquo recipitur, per potentiam receptivam recipitur, quemadmodum ex terminis patet, nec à Thomistis negatur. Recipit igitur substantia aliud accidens per potentiam receptivam, quæ vel substantia est vel aliud accidens. Si illud, habemus quod volumus: si hoc, cùm omne accidens sit in substantia, id ipsum quoque erit in substantia receptum per potentiam aliquam receptivam: de qua redit eadem quæstio, substantiáne sit an accidens, & sic vel deveniendum erit ad potentiam receptivam accidentis

dentis substantialem, vel dabitur progressus in infinitum.

6. Secundò: Facultates animæ secundùm Thomam sunt qualitates ab ipsa anima realiter distinctæ illi immediatè inhærentes. Ipsa igitur animæ substantia est potentia receptiva qualitatum.

7. Tertiò: Alia accidentia, ut qualitates, de sententia Thomæ insunt immediatè in quantitate. Ergò quantitas per seipsam ea recipit.

8. Quartò: Gravitas & levitas sunt potentiæ quædam pertinentes ad prædicamentum Qualitatis. Earum nullus actus in qualitatibus collocatur. Sunt enim actus illarum vel motus sursum & deorsum, vel permanentia in loco seorsum & deorsum. Permanentia ad prædicamentum Ubi refertur, ad quod etiam reducuntur illi motus, vel ad categoriam Actionis aut Passionis spectant. Qua de re jam disputare nihil attinet. Idem asserendum de quibusvis potentiis, quæ secundùm locum motrices sunt, sive sint progressivæ, sive expultrices, sive attractrices, &c.

9. Javellus, *loc. suprà cit. & l. 5. Met. q. 15.* & Suarez, *disp. Metaph. 14. s. 2. §. 13.* distinguunt & statuunt, potentiam passivam cum actu, ad quem ex primaria ratione & essentia sua est ordinata, esse in eodem genere, & hoc modo potentiam materiæ ordinari ad actum substantialem, propereáque & ipsam esse substantiam, & intellectum ad actum intelligendi, utrumque autem, tam intellectum scilicet quàm actum intelligendi, qualitates esse. Quòd si verò comparetur potentia cum actu, ad quem non est primariò ordinata aut instituta, tum posse esse potentiam & actum in diversis prædicamentis: sic materiam primariò & per se respicere formam substantialem, quia autem eam non possit recipere, nisi receptiva sit talis quantitatis, ideò secundariò respicere hanc vel illam quantitatem. Quantitatem ipsam non ad recipiendas qualitates, sed ad extendendas partes substantiæ, ut naturaliter non possunt sese loco penetrare, esse primò institutam, ait Suarez.

10. Hanc doctrinam in universum & sine ulteriori exceptione veram esse de potentia exceptiva statuit. Quantùm ad potentias activas verò expresè docet, posse eas per se & primò esse ad actum ordinatas, ut sint cum illo in eodem prædicamento, & adducit potentias locomotivas, de quibus suprà §. 8. quas primò ad actus suos ordinatas fatetur.

11 Rationem diversitatis adsignat, quòd potentia receptiva per se ordinata ad actum comparetur ad illum ut imperfectum ad perfectum in suo genere, & quodammodo per se unum videatur in illo ordine constituere cum suo actu, & ideo oporteat, ut cum eo sub eodem genere collocetur. At potentia activa per se etiam ordinata ad actum, non ordinatur ut imperfectum ad perfectum, neque ut cum illo componat aliquid per se unum, sed ut causa extrinseca.

12. Thomistæ nihil non excogitant & moliuntur pro asserenda præsenti propositione, ut tueantur suum Doctorem Angelicum. Sed Suarezium, virum liberioris judicii, neque magistro uni addictum, pro ea, in sensu imprimis quo à Thomistis accipitur, tam solicitum esse miror, cùm nec Aristotelis sit, ut ipse fatetur, & postmodum patebit, nec ullo firmo nitatur argumento. Syllogismus ex verbis Suarezii est hic: Quæcunque potentia receptiva comparatur ad actum, ut imperfectum ad perfectum in suo genere, & quodammodo unum per se cum illo constituit, illa est in eodem genere vel prædicamento cum actu. Sed potentia receptiva per se ordinata ad actum comparatur ad illum, ut imperfectum ad perfectum in suo genere, & quodammodo unum per se cum illo constituit. Ergó.

13. Ut respondeamus, præmittimus primò ex Suarezio, *disp. Metaph.* 4. *s.* 3. *n.* 14. compositum ex substantia & accidente esse quodammodo ens per se, imò magis esse ens per se, quam exercitum, domum, arborem, cui ramus alterius speciei insitus, quæ quodammodo entia per se esse docet. Quin ipsam quantitatem cum luce vel calore aut aliis accidentibus, quæ de sententia Thomæ & Suarezii ipsi immediatè

tè insunt, imò quamlibet potentiam receptivam cum suo actu, sive per se ad illum ordinetur, sive non, facere quodammodo ens per se, ex disputatione & rationibus Suarezii, *cit. n.* 14. adductis, nemo non colligere poterit.

14. Præmittimus secundò, potentiam receptivam bifariam considerari: 1. Ut est receptiva; & sic sine exceptione quælibet est suo actu imperfectior, referturque ad eum ut imperfectum ad perfectum, quia omnis potentia receptiva completur per suum actum, & melius se habet sub actu, quàm sine illo. 2. Secundùm esse absolutum; & sic quælibet, quæ primò ordinata est ad actum accidentalem, quales potentiæ animæ sunt, est eo perfectior, propterea quòd nulla hujusmodi est merè passiva; sed quælibet est simul activa, & principium effectivum æquivocum actûs. Ità Suarez, *disp.* 43. *s.* 6. *n.* 19, & 20. Ultimumque igitur præsuppositum tanquam ex sententia Suarezii prolatum accipiendum est, quicquid de veritate sit.

15. Jam quando Suarez in suo argumento dicit, potentiam receptivam comparari ut imperfectum ad perfectum, vel loquitur de potentia receptiva, ut est talis, & sic major propositio est falsa, propterea quòd potentia quælibet, etiam non primò ad actum ordinata, qualis quoque est substantia respectu accidentis, hoc modo est imperfectior, & sic refertur ad ipsum ut imperfectum ad perfectum, & cum eo constituit quodammodo unum per se, nec tamen cum eo est in eodem prædicamento; vel loquitur de ea secundùm esse absolutum, & sic non solùm major fortassis falsa est, propterea quòd quantitas, quæ respectu lucis se habet ut potentia receptiva, fortassis secundùm esse absolutum imperfectior est luce, ut habet Suarez, *cit. n.* 20. atque ità cum luce comparatur ut imperfectum cum perfecto, & constituit cum ea quodammodo unum per se, quemadmodum ex §. 13. videre est; sed falsa quoque est minor, quia potentia receptiva per se ordinata ad actum accidentalem absolutè est eo perfectior, ut patet ex §. 14.

§. 14. & per consequens sic non habet se ad illum, ut imperfectum ad perfectum.

16. *Dices:* Etsi potentia receptiva ea, quæ per se non ordinatur ad actum, comparatur ad actum, ut imperfectum ad perfectum, quatenus est receptiva, non tamen ità comparatur in suo genere, quia non est in eodem genere cum actu. At Suarez requirit, ut potentia ità comparetur cum actu in suo genere.

17. *Resp.* Si in argumento Suarezii τὸ *in suo genere* idem est quod τὸ *in eodem genere sive prædicamento*, ut nimirum dicatur, potentiam comparari ad actum, ut imperfectum ad perfectum in eodem genere sive prædicamento, palpabilis est petitio ejus, quod in principio. Puto apud Suarezium illud, *in suo genere*, nihil aliud esse, quàm quatenus potentia est receptiva.

18. Possunt & hæ rationes afferri pro sententia Thomistarum: 1. Potentia per se ordinata ad actum ab eo specificatur. 2. Ipsi proportionatur, ut loquuntur, sed res unius prædicamenti specificari à re alterius prædicamenti aut proportionari ei nequit.

19. Respondeo: Gravitas specificatur per suum actum, eique proportionatur, licèt in diversis sint prædicamentis. Et quis negaverit, animam proportionem habere cum suis potentiis & actibus, quarum quidem receptiva est, & quibus perficitur? Cum iis tamen ex sententia Thomistarum non pertinet ad idem prædicamentum. Anima rationalis, quæ res spiritualis est, specificatur à materia. Quidni ergò & substantia possit specificari per accidentia? Ad rationem in verbis Thomæ §. 3. adductam postmodum respondebimus.

20. Nos dicimus, de potentia & actu bifariam nos posse loqui: 1. Ut considerentur in abstracto vel secundùm se, ut materia & forma, potentiæ animæ & actus earum secundi. De potentia & actu hoc modo consideratis Thomas cum discipulis præsentem regulam intelligunt. Sed quid hac ratione de ea sentiendum sit hactenus disputavimus. 2. Ratione rerum, quæ dicuntur esse actu vel potentiâ, & sic concedo,

eas non tantùm in eodem esse genere, sed & specie & numero easdem esse, quatenus eadem numero res est, quæ modò potentiâ est, modò actu, sicut idem homo est, qui olim potestate erat, jam autem actu est, quod patet ex ipso Aristotele, 9. *Met. t. 19.* quem præcedenti quoque disputatione regulæ 3. allegavimus, ut & ex 12 *Met. t. 26.* Idem, inquam, homo est, qui in potentia passiva materiæ & activa agentis erat, & qui jam est actu, sicut & Adam, qui ante creationem in potentia activa Dei, post creationem autem actu fuit, idem homo fuit.

21. Ubi sciendum, quòd sicut, quando Thomas cum discipulis suis asserunt, actum & potentiam in eodem esse prædicamento vel genere, loquuntur de potentia & actu sibi invicem respondentibus, ut de actu videndi & potentia videndi, de forma substantiali & potentia ejus receptiva, non de potentia videndi & de forma substantiali: ità de rebus, quæ actu & potentiâ esse dicuntur, ità ut sibi invicem respondeant & opponantur, ut de homine, v. g. Petro potentiâ & de Petro actu nobis sermonem esse. Non sunt idem specie, multò minùs numero, equus actu & homo potentiâ. Neque ad idem prædicamentum pertinent homo actu, & virtus quæ potentiâ est, cùm in iis actu esse & potentia esse non opponantur, neque sibi invicem respondeant.

22. Jam & ad argumentum Thomæ §. 3. propositum respondemus, concedendo actum & potentiam ens & quodlibet genus entis dividere, quatenus omne ens actu est vel potentiâ, neque ullum est genus entis, quod non contineat ea, quæ actu vel potestate sunt: sed non necesse est, ut ipsa potentia & actus, per quæ actu vel potentiâ res esse dicuntur, ad idem pertineant genus sive prædicamentum, quod evidens est in prædicamento *Agere*. Ità enim agens vel ipsum agere, ut scribere vel ædificare, est actu vel potestate, ut potentia agendi non contineatur in prædicamento *Agere*, ad quod actus ejus, nempe ipsum agere pertinet, sed in prædicamento Qualitatis. Quòd si ex eo, quòd actus & potentia dividunt ens & omne

genus entis, sequeretur, actum & potentiam in eodem esse prædicamento, necesse esset, quamlibet potentiam etiam eam, quam non primò ad actum referri docent, idem cum ipso occupare prædicamentum, cùm & hujusmodi potentiæ in numero potentiarum sint quæ ens & quodlibet genus entis dividunt, quod tamen ut à veritate alienum illi ipsi, quos contra jam disputamus, repudiant.

23. Sed & textus *26. l. 2. Met.* planè est ἀπροσδιόνυσος. Non enim docetur ibi, in quo genere actus stabulatur, in eodem & potentiam comprehendi, neque id ex eo colligi potest. Docet ibi Philosophus, omnium prædicamentorum eadem esse principia, non simpliciter, sed analogiâ quadam, eáque principia, *t.* 22 dixerat esse materiam, formam, & privationem; in præsenti autem, *t. 26.* ait esse potentiam & actum, ità tamen, ut ista duo cum illis tribus coincidant, cùm materia sit ens potentia, forma & privatio sub actu comprehendantur. Ut in genere colorum sit album forma, nigrum privatio, materia & subjectum, sive id quod potentiam importat, superficies. Hîc datur analogia inter principia in genere substantiarum & in genere colorum, qui qualitates sunt. Sicut enim se habet materia prima ad formam substantialem & privationem ejus, ità se habet superficies ad albedinem & nigredinem. Ex quibus patet tantùm abesse, ut ex verbis Philosophi colligi possit, potentiam esse ejusdem semper prædicamenti cum actu, ut potiùs contrarium indè inferatur, cùm expressè dicat, id, quod ut materia & potentia se habet, respectu albi & nigri esse superficiem, respectu luminis & tenebrarum aerem. At colores & superficiem, sicut & aerem & lumen in diversis domicilia habere prædicamentis, extra dubium est. Et quæ consequentia, Forma & privatio ad idem pertinent prædicamentum, ergò & potentia vel materia earum? Quod si ex hoc loco probare velint, quia privatio spectet ad prædicamentum in quo est habitus sive forma, ideo & potentiam ad illud ipsum pertinere, cogentur admittere, quamlibet potentiam, etiam il-

lam,

Iam, quam primò actum non respicere dicunt, in eo contineri prædicamento, in quo constituitur actus, cùm doctrina Philosophi generalis sit, & non restricta ad potentiam, quam primò ad actum referri asserunt.

REGULA X.

Alia actûs, alia potentiæ causa est.

1. Quòd luna obscurari & privari lumine potest, hujus potentiæ causa est ipsa natura lunæ, secundùm hanc enim, cùm proprio lumine destituatur, apta est tum lumen tum privationem luminis recipere: quòd actu obscuratur & lumen amittit, indè provenit, quòd inter eam & solem, á quo illuminatur, terra interponitur, quæ suâ opacitate non permittit radios solis ad lunæ corpus penetrâre. Potentia putrescendi in corporibus mixtis causam habet internam, ipsam nimirum corporis mixti naturam: at putredinis causa extra corpus mixtum est constituta, calor nimirum corporis ambientis proprium & naturalem calorem in humido corrumpens. Sic non eadem causa est risûs & aptitudinis ad ridendum. Hujus causa est τὸ λογικὸν, sive facultas rationalis; illius verò est aliquid externum, nempe τὸ γελοῖον, sive ridiculum, fortè oblatum & actu ab homine cognitum.

2. Est quidem & potentia ipsa aliquo modo causa actûs, non tamen hujusmodi, quæ satisfaciat quæstioni propter quid, & dicitur causa proxima simpliciter, ut si quæratur, Cur hic vel ille rideat? non rectè respondebis, Id propterea fieri, quòd sit rationis particeps. Si enim ea est causa, Cur hoc potiùs tempore quàm alio ridet? Bene autem respondebis & interrogans acquiescet, sed dixeris, ridere, quòd res quædam ridicula ipsi sit oblata. In aliis res perinde clara est.

REGULA XI.

Cuilibet potentiæ activa respondet passiva.

1. Si de potentia activa in sua latitudine, ut & Dei & creaturarum potentiam sub se comprehenditur, inte liga-

intelligatur, non est absolutè verum. Nam per potentiam divinam potest aliquid fieri ex nihilo, hoc est, nullâ præsuppositâ materiâ, sive potentia passiva esse suum habet, sive non. Non ergò potentiæ divinæ adæquatè respondet aliqua potentia passiva. Dico *adæquatè*, quia licèt Deus, ut potentiâ suâ aliquid producat, non opus habeat potentiâ passivâ, cùm ex nihilo rem facere possit, potest tamen etiam ex supposita materia aliquid facere. Quod autem potentiæ divinæ adæquatè respondet, est potentia, quam Scotus vocat objectivam, vel id quod est absolutè possibile, sive quod fieri non implicat contradictionem.

2. Quantùm ad potentiam rerum creatarum duplicem sensum axioma habere potest, quorum primus est, quòd ut potentia activa traducatur in actum, necesse sit adesse potentiam passivam, in quam agat; & hic sensus est simpliciter & necessariò verus, propterea quod nulla potentia creata potest in nihilum agere, & ex nihilo aliquid facere: requirit itaque absolutè subjectum sive materiam, quæ est principium passivum, ut in actum deducatur. Unde Aristoteles, 5. *Met. t.* 17. & 9. *Met. t.* 2. potentiam activam per passivam definit, cùm dicit, potentiam activam esse principium mutationis in alio, voce *alio* intelligens τὸ παθητικόν. Alter sensus est, quòd quacunque potentiâ activâ creatâ exsistente, necesse sit exsistere aliquam potentiam passivam ipsi respondentem, id est, per quam aliquid capax sit actûs ipsius. Atque hoc non videtur æquè esse necessarium: proculdubio tamen ipsum quoque verum est, & probatur inductione. Datur in rerum natura potentia generativa & corruptiva, sed datur etiam materia, ex qua generatur quicquid generatur, & in quam resolvitur quod interit. Datur potentia alteratrix, ut calor, frigus; datur locomotrix, altrix, diminutrix; sed dantur etiam actu in rerum natura ea quæ alterari, ut calefieri, frigefieri possunt; dantur quæ locomoveri, augeri, diminui possunt.

3. Suarez, *disp. Met.* 43. *s.* 2. §. 11. indè quoque probat, quòd, si potentia activa esset in rerum natura

ra, non exſiſtente potentiâ paſſivâ quæ ipſi reſpondeat, tunc illa potentia eſſet fruſtra.

Regula XII.

Cuilibet potentiæ paſſivæ reſpondet activa.

1. Poteſt & hoc dupliciter intelligi: 1. Quòd, ut potentia paſſiva deducatur in actum, requiratur potentia activa: & ſic eſt ſimpliciter & neceſſariò verum. Unde Ariſtoteles, *locis præced. reg. cit.* & paſſivam potentiam per activam definit, quando dicit, *potentiam paſſivam eſſe principium tranſmutationis ab alio*, ultimâ hac voce notans principium activum. 2. Quòd exſiſtente quacunque potentiâ paſſivâ, neceſſe ſit exſiſtere activam, quæ ipſam poſſit traducere in actum: & ſic etiam ſimpliciter verum eſt, comprehendendo ſub potentia activa tam divinam, quàm eam, quæ eſt rerum creatarum. Sic enim, ſi vel maximè nulla potentia activa creata exſiſteret, quæ alicui potentiæ paſſivæ reſponderet, & ipſam in actum traducere poſſet, potentia tamen divina ſuppleret illum defectum, cùm ad quamlibet potentiam paſſivam potentia divina ſe extendat, & ad quemlibet ejus actum. Averroes, 12. *Met.t.*18 omnes formas in potentia in prima materia, & in actu in primo motore eſſe ſcribit.

2. Si autem de ſola potentia activa creaturarum ſermo ſit, tunc iterum diſtinguendum eſt. Nam cùm potentia paſſiva reſpiciat plures & ſpecie diſtinctos actus, fieri poteſt, ut non detur reſpectu omnium potentia activa: quod vel indè conſtat, quòd, cùm Deus plura & ſpecie diſtincta corpora ab iis, quæ nunc ſunt, poſſit facere, materia prima ad omnia potentiam habet, non exſiſtunt agentia creata, quæ efficere illa poſſint. At nulla potentia paſſiva eſt in rerum natura, cui non reſpondeat activa creata, per quam poſſit ſaltem ad aliquos actus deduci. Vide Suarez, *l. cit. n.* 10. *& ſeqq.*

3. Cæterùm iſtæ duæ regulæ hiſce vocibus expreſſæ non reperiuntur apud Ariſtotelem; ſolent tamen

men à quibusdam deduci ex 3. *de anima t.* 17. ubi Philosophus dicit, in omni natura esse aliquid, quod sit materia cuique generi subjecta & habeat potentiam ad illa omnia, esse etiam alterum, quod sit causa & habeat vim efficiendi omnia, quòd faciat omnia, eam habens rationem, quam ars habet ad materiam.

TIT. III. continens REG. XXI.
circa doctrinam Causæ & Causati.

R*Egulis de potentia & actu subjungimus eas, quæ causam & effectum concernunt, propterea quòd causa & effectus potentiâ & actu fundantur, atque ex iis immediatè oriuntur. Cùm enim potentia activa in actum deducitur, id, quod eam obtinet, fit & dicitur causa efficiens; actus autem, vel id, ad quod actus terminatur, est effectus. Ubi etiam ratio finis vel causæ finalis intervenit: actus enim iste est vel finis, vel medium ad finem. Quando potentia passiva deducitur in actum, tunc oritur ratio causæ materialis & formalis: id enim, quod habet potentiam passivam,*

passivam, tunc dicitur materia vel causa materialis: actus autem dicitur forma. Quòd si & potentiam objectivam placeat respicere, intervenit & hîc ratio causæ, quando ipsa in actum deducitur: non enim potest id, quod erat in potentia objectiva, esse actu, nisi aliquid adsit, quod ex ente potentia faciat ens actu; id verò est agens sive causa efficiens. Cùm autem magnus hac in doctrina sese offerat regularum numerus, quarum quædam de causa in communi, quædam de certo & determinato causarum genere loquuntur; ideo priùs considerabimus regulas, quæ de causa in communi assignantur: postmodum verò unicuique causarum generi peculiarem tribuemus titulum.

REGULA I.

Nihil est causa sui ipsius.

1. *Non est possibile, quòd aliquid sit causa efficiens sui ipsius, quia sic esset prius se ipso*, inquit Thomas, *p.* 1. *q.* 2. *à* 3. Philosophus, *lib.* 1. *phys.* disputans contra Parmenidem & Melissum, qui omnia statuebant esse unum ens, inter alias rationes, *t.* 8. hac eos oppugnat, quòd tollant omnem rationem principii. Si enim

enim unum tantùm ens est, non datur principium; cùm tamen ipsi unum principium ídque immobile esse asserentes, præsupponerent, esse principium. Ratio autem Aristotelis est, quod principium sit ex numero eorum, quæ referuntur ad aliud, Ὀυ γὰρ ἔτι ἀρχή ἐστιν εἰς ἓν μόνον· ἡ γὰρ ἀρχὴ τινὸς ἢ τινῶν. Ex hisce sequitur, nihil esse principium sui ipsius, (si enim non repugnaret, aliquid est principium sui ipsius, hoc ipso, quòd unum tantùm ens esse statueretur, non tolletur omnis ratio principii) & per consequens, neque causam sui ipsius; tùm quia omnis causa principium est; tum quia sicut principium, ità & causa est τινὸς ἢ τινῶν.

2. Videntur tamen obstare: I. Quicquid est à se ipso est causa sui ipsius. Si enim quod est ab alio, ejus causa est alia, etiam ejus, quod est à seipso, causa est ipsum. Deus est à seipso, E. Deus est causa sui ipsius. II. Qui potest reddere seipsum probum, vitiosum, doctum, rudem, pauperem, ille potest esse causa sui ipsius. Homo potest reddere se ipsum probum, vitiosum, &c. E. potest esse causa sui ipsius. III. Causa causæ est causa causati, ut infrà audiemus. Sed finis est causa suæ causæ. E. est causa sui ipsius. Minor probatur, quia sanitas est causa evacuationis pravorum humorum, nempe finalis: sed evacuatio illa vicissim est causa efficiens sanitatis. Quò pertinet, quod Aristoteles scribit, 2. *Phys. t.* 30. & 5. *Met. c.* 2. τὸ πονεῖν esse causam τῆς ἐυεξίας efficientem, & hanc vicissim esse causam τοῦ πονεῖν finalem.

3. Ad I. respondeo: Phrasis, *esse à seipso*, est ambigua. Accipitur enim positivè & negativè. Positivè accepta est idem, ac influere *esse* in seipsum, & dare sibi ipsi *esse*: & hoc modo major propositio est vera, sed minor falsa. Non enim per influxum & communicationem Deus habet esse, neque a se, neq; ab alio. Negativè accepta est idem, quod *non esse ab alio*: & sic minor est vera, major falsa.

4. Ad II. respondeo: Sicut aliud est facere aliquid & esse causam alicujus simpliciter, aliud facere aliquid

aliquid & esse causam alicujus cum apposito & secundùm quid, quemadmodum qui dealbat parietem, non facit parietem, sed solùm facit eum album, & est causa non parietis, sive ut paries sit, sed est causa parietis albi, sive ut paries sit albus: ità & aliud est facere se ipsum & esse causam sui ipsius simpliciter, aliud facere se ipsum, & esse causam sui ipsius cum apposito & secundùm quid. Jam dico ad majorem: Qui se ipsum reddit probum, vitiosum, doctum, &c. ille non facit se ipsum aut est causa sui ipsius, quia non dat sibi esse simpliciter, cùm jam antè suum esse obtineat, tantùm facit se ipsum cum apposito, & est causa sui ipsius secundùm quid, quia facit & est causa ut ipse sit probus, doctus, &c. quod est esse tale, & secundùm quid, non esse simpliciter. Qui igitur ità argumentatur: Homo se ipsum facit doctum, &c. ergò se ipsum facit, committit fallaciam dicti simpliciter & secundùm quid. Et hoc est quod Aristoteles ait, 2. *Phys. t.* 3. nonnulla per accidens sibi ipsis esse causas, quemadmodum Medicus sibi ipsi est causa sanitatis, vel seipsum facit sanum, quòd per accidens est, eundem esse ἰατρὸν καὶ ὑγιαζόμενον. Res sanè clara est, quòd in iis, quæ adducta fuerunt, nemo faciat se ipsum, quatenus idem est, sed quatenus diversum quid à se ipso est. Non enim aliter quisquam se ipsum doctum, probum, sanum, &c. facit, quàm efficiendo in se probitatem, doctrinam, sanitatem. Aliud autem secundùm rem est sanitas, virtus, doctrina; aliud is, cui hæc accidunt, & qui ea in se efficit

5. Ad III. respondeo: Duplex est esse; unum reale sive actualis exsistentiæ, alterum intentionale sive objectivum, quod nihil aliud est, quàm cognosci, vel esse cognitum, & sic importat denominationem extrinsecam rei, cui tribuitur hoc esse, nempe denominationem ab actu intellectûs. Finis est & causa & effectus, sed secundùm esse diversum. Est enim causa in esse cognito sive objectivo, effectus in esse reali; quemadmodum cùm æger propter sanitatem recuperandam sumit medicamentum purgans, sanitas, quæ finis ipsius est, nondum est actu in rerum natura; habet-

habet tamen esse cognitum, quia apprehenditur ut bona & conveniens ab ægroto, & in hoc esse exercet causalitatem causæ finalis: sed finis est effectus in esse reali; quemadmodum sanitas in suo esse reali per evacuationem efficitur. Atque hinc non absurdum est, finem esse quodammodo causam sui ipsius, sed in esse diverso, nempe ut habet esse intentionale, est causa sui ipsius in esse reali. Quemadmodum absurdum quidem est, aliquid esse prius se ipso secundùm idem esse, non tamen est absurdum secundùm esse diversum. Finis in esse intentionali est prior se ipso in esse reali. Hinc nihil potest esse causa sui ipsius secundùm idem esse, secundùm diversum autem nihil repugnat.

REGULA II.
Nihil fit sine causa.

1. Vocat hoc Galenus, 1. *de meth. med. c.* 7. indemonstrabile axioma, de quo inter omnes conveniat, propterea quòd intelligentiæ sit evidens: & cùm videmus oculum probè munus suum obire, ac rursus nequaquam videre, eo (axiomate) motos nos dicit, quærere deinceps, quæ demum sit ejus noxæ causa.

2. Et sanè sine causa efficiente aliquid fieri, absolutè est impossibile. Quicquid videtur, ab aliquo videtur, quicquid ædificatur, ab aliquo ædificatur, quicquid calefit, ab aliquo calefit. E. & in communi quicquid efficitur vel fit, ab aliquo efficitur vel fit. Illud autem à quo aliquid fit vel efficitur, causa efficiens vocatur.

3. Eorum, qui primi philosophati sunt, plurimi causam materialem solùm agnoverunt, neque ullum aliud principium vel causam rerum esse crediderunt. Verùm hæc ipsa causa, quæ est ἐν ὕλης εἴδει, viam fecit eósque quærere coegit de causa efficiente. Si enim quàm maximè omnis corruptio & generatio ex aliquo, ut ex uno, aut etiam pluribus existit, cur id evenit, & quænam ejus rei causa est? Neque enim id, quod subjicitur, suam ipsius mutationem efficit, neque lignum, v. g. neque æs suæ utrumque mutationis.

nis eſt cauſa, nec lignum quidem lectum, æs verò ſtatuam efficit, ſed aliquid aliud mutationis cauſa eſt. Hoc autem quærere, aliud principium quærere eſt, quod nos dicamus licet, unde eſt principium motûs. Ità Ariſtoteles, 1. *Met. c.* 3.

4. Quantùm ad cauſas internas, poteſt aliquid fieri, nempe virtute creatrice Dei, ut nulla adſit materia: Quemadmodum ex nihilo à Deo facti ſunt angeli vel ſubſtantiæ ſeparatæ, & materia prima, quæ ipſæ res etiam nullam formam agnoſcunt, cùm ſubſtantiæ angelorum ipſæ actus ſint & formæ ſimplices, & materia prima licèt ſit concreata cum forma, imò nunquam ſit ſine forma, forma tamen non eſt cauſa ejus, ſed unà cum ipſa eſt cauſa compoſiti. Sermo autem hîc eſt de forma, ut eſt cauſa formalis.

5. Ariſtoteles, 1. *Phyſ. c.* 7. & 12. *Met. c.* 2. demonſtrat, quicquid fit, ex præſuppoſita fieri materia, & *in* 7. *Met. t.* 22. cauſam efficientem & materialem conjungens, *omnia*, inquit, *quæ fiunt, & ab aliquo & ex aliquo & aliquid fiunt.* Quod quidem veriſſimum de cauſis ſecundis & creatis. Earum enim virtute quidquid fit, materiam vel ſubjectum requirit, ex quo fiat.

6. De forma alia eſt ratio: poteſt aliquid à cauſis ſecundis, & naturalibus etiam fieri, ut nullam habeat cauſam formalem. Nam formas ipſas informantes tum ſubſtantiales tum accidentales fieri, non omnino negari poteſt: formæ tamen non habent cauſam formalem, ſed ipſæ ſunt cauſæ formales corporum naturalium aut compoſitorum per accidens.

7. Verum quidem eſſe cenſemus quod Philoſophus, 7. *Met. c.* 8. de profeſſo diſputat, compoſitum fieri, non formas, & 1. *Phyſ. c.* 8. *t.* 64. τὸ γιγνόμενον, ait, ἅπαν ἀεὶ σύνθετόν ἐστι. Unde & in iſto capite omnia, quæ ſunt, ex materia vel ſubjecto & forma fieri docet: non tamen ſimpliciter negari poteſt, formas quoque ſuo modo fieri. Educuntur enim per generationem de potentia materiæ, & ſic cùm antea non eſſent actu, ſed potentiâ ſolùm, in generatione accipiunt eſſe actu: Quidni igitur fieri quoque dici

poſſent?

possent? Ipse Philosophus, 2. *Phys. t.* 24. dicit generationem esse viam ad formam. Quod Averroes explicat ità: *quòd generatio sit via ad hoc, ut forma fiat.* 3. *Meteor. c.* 8. dicitur terræmotus fieri. 7. *Met. c.* 8. dicuntur quædam & arte & casu fieri, ut valetudinem; ut plura alia loca omittam.

8. An autem & creationem rerum agnoverit Philosophus, & ex nihilo aliquid à Deo factum esse vel fieri posse statuerit, de eo inter interpretes discrepat, quos, qui vult, videat.

REGULA III.

Positâ causâ ponitur causatum, & vice versâ.

1. Posito generante, non ponitur eo ipso quod generatur, propterea quòd id, quod generat est, id quod generatur non est Dum οἰκοδόμος ædificat, domus, quæ ædificatur, non statim est, cùm aliquot mensibus, imò uno vel pluribus annis elapsis demum exsistat. Non ergò positio causæ infert secum positionem & exsistentiam effectûs. II. Dum media pro consequendo fine ponuntur & adhibentur, finis nondum est; sicut sanitas adhuc desideratur, dum medicamenta æger sumit. E. nec posito causato ponitur causa, cùm usus mediorum causarum finis fit.

2. Cùm utrumque tam causam quàm causatum poni, possit bifariam intelligi: 1 in esse absoluto sive quoad res ipsas, quæ causæ & effectus denominantur, secundùm se. 2 In actu secundo, sive quoad esse causæ & effectûs formaliter, facimus pro explicatione regulæ sequentes conclusiones.

3. I. *Positâ causâ formaliter sive in esse causæ, ponitur effectus in esse effectûs, & vice versâ.* Et res evidens est; quia poni causam in esse causæ est eam causare, & effectum poni in esse effectûs est eum causari vel fieri. At impossibile est aliquid causare, ut non sit aliquid quod causetur, & vice versâ, aliquid causari, ut non sit aliquid quod causet: quemadmodum fieri nequit, ut aliquid videat, nec tamen sit quod videatur, ut aliquid calefaciat, nec sit quod calefiat, & vice versâ. Conclusionem hanc significavit

vit Aristoteles, quando 2. *Phys. c.* 3. & 5. *Met. c.*2. causam in actu & effectum in actu simul esse dicit. Et verum est de effectu & causis sic consideratis, quod habetur 2. *post. t.* 56. nempe effectûs præsentis causam esse præsentem, ejus, qui in fuit, causam quæ fuerit, & futuri futuram.

4. Cùm verò quæstio hîc esse possit de effectu vel indeterminatè sumto, quicunque ille sit, vel determinato, tali scilicet vel tali; conclusio ità intelligenda est: Positâ causâ in actu secundo, ponitur aliquis effectus indeterminaté. Ut autem effectus determinatus sive talis ponatur, necesse est, causam poni in determinato, tali scilicet vel tali actu secundo, v. gr. non nisi posito homine in actu scribendi, scriptura efficitur.

5. Dicunt, effectum poni positâ causâ proximâ, non autem positâ remotâ. Quam ob causam etiam demonstratio, cujus medium est causa proxima, non negativè tantùm, sed & affirmativè procedit, illa verò, cujus medium est causa remota, tantùm negativè, quoniam nimirùm sublatâ causâ remotâ effectus quidem tollitur, sed positâ non ponitur: ut anima est causa remota respirationis, si quid animâ careat respirare nequit, sed si vel maximè animatum sit, non necesse est respirare, sicut perspicitur in plantis & nonnullis animalibus.

6. Vera hæc sunt de effectu determinato, nempe illo, cujus respectu aliqua causa dicitur remota. Si autem de effectu indeterminato sermo sit, non opus est istâ distinctione, cùm quavis causâ in actu vel in esse causæ positâ ponatur aliquis ejus effectus in esse effectûs vel in fieri: positâ nimirum sic etiam causâ remotâ ponitur effectus, quia nulla est causa remota respectu alicujus effectûs, quæ non ratione alterius sit proxima. Eâ igitur in actu positâ, si non ponitur effectus, cujus ratione dicitur remota, ponitur tamen ille, cujus respectu est proximâ.

7. II. *Positâ causâ in esse causæ non necesse est poni effectum in esse absoluto.* Quæ in instanti producuntur, illa sunt in suo esse absoluto, quândo causa

corum

eorum ponitur in actu secundo, vel quando fiunt, ut sole illuminante non potest non esse lumen. At quorum productio vel fieri est successivum, illa non semper sunt in esse absoluto vel facto, etsi causa sit in actu secundo, id quod probat argumentum primum §. 1.

8. Sunt, quorum esse est fieri, neque præter fieri aut esse effectûs aliud esse absolutum habent, quale quid est motus. Sed quibus in rebus illa duo esse diversa sunt, de iis sermo est in hac 2. conclusione.

9. III. *Positâ causâ in esse absoluto, nec in esse effectûs vel in fieri, nec in esse absoluto effectum poni necesse est.* Ut etsi sint architectus & fabri, fit, ut non ædificetur domus, ut quando illi dormiunt, ægrotant, aut aliud quid agunt, cùm etiam longum tempus abire possit, ut nulla ab ipsis domus exstruatur: & accidere potest, ut omnia ædificia exstructa ab illis, combusta sint, aut alio modo perierint, ipsis viventibus. Ità Deus ab æterno fuit, nec tamen ab æterno mundus est creatus;& posset is omnes res alias destruere, ipso manente in æternum.

10. Duo sunt causarum genera, nempe causa naturalis & libera: positâ causâ naturali in esse absoluto & præsentibus omnibus ad agendum requisitis, non potest non poni ejus effectus, saltem in esse effectûs, sive in fieri. Et ratio est, quia positâ causâ in actu secundo, ponitur effectus, juxta conclus. 1. sed positâ causâ naturali in esse absoluto cum omnibus ad agendum requisitis, ponitur etiam in actu secundo, cùm non possit non agere, præsentibus omnibus requisitis. Ergò positâ causâ naturali in esse absoluto cum omnibus requisitis, ponitur effectus in esse effectûs sive in fieri.

11. Et quia quædam causæ naturales sunt, quæ requisitis suis ad agendum nunquam destituuntur, ideo etiam iis positis, necesse est poni semper effectum, necessitate naturæ: ut creato sole semper aliqua pars mundi est illuminata, & nunquam ignis est ut non sit calefactio. Dixi autem, *necessitate naturæ*, quia potentia divina aliter res habere potest; ut posset

virtu-

virtute divinâ fieri, ut ignis non calefaceret, quemadmodum in fornace Babylonica ignis sanctos viros non comburebat, Deo subtrahente concursum suum, aut alio modo vim ejus ab ipsis propellente.

12. Causam liberam quod attinet, eâ positâ in esse absoluto cum omnibus requisitis potest non poni effectus, quod patet partim ex suprà dictis, partim ex natura hujus causæ. Non enim ponitur effectus, & quidem in esse effectûs, nisi posita causa in actu secundo. At positâ causa libera in esse absoluto cum omnibus requisitis non necesse est, ut ponatur in actu secundo, quia ejus ratio in hoc consistit, quòd positis omnibus ad agendum requisitis possit agere & non agere. Ergò positâ causâ liberâ in esse absoluto, non necesse est fieri effectum.

13. IV. Posito effectu in esse absoluto nec in esse causæ, nec in esse effectûs, necesse est poni causam. Prior pars patet experientiâ: si enim domus exædificata sit, permanet, architecto & omnibus fabris sublatis. Ex quo & posterior pars evidens, quia causa non potest poni in esse causæ sive in actu secundo, nisi ponatur in esse absoluto; cùm actus secundus in esse absoluto causæ fundetur, & ab eo procedat. Si ergò non exsistente ampliùs causa in esse absoluto potest effectus subsistere, necessariò sequitur, eam etiam subsistere, ut causa non sit amplius in actu secundo.

14. Conclusiones hasce de causa & effectu in esse absoluto consideratis, exposuit Philosophus, *loc.* §. 3. *cit.* hisce verbis, *Quæ* (causæ) *secundum potentiam dicuntur*, (intelligit causam & effectum secundùm esse absolutum, sicut notat etiam Fonseca, *lib.* 5. *Met. c.* 2 *qu.* 18.) *non semper ipsæ simul sunt & non sunt. Non enim domus & ædificator simul intereunt.*

15. Ad primum argumentum §. 1. responsum est. Ad alterum quid dicendum sit, patet ex *regula* 1. §. *ult.* nempe, dum media pro consequendo fine ponuntur & adhibentur, finis nondum est in esse realis exsistentiæ. Verùm tale esse non requiritur, ut finis sit actu causa: Ponitur tamen tunc finis in esse cognito, in quo causalitatem suam exercet. Posito ergò effe-

effectu, ponitur causa in eo esse, in quo est causa.

16. De causa finali: Posito fine, scilicet in actu secundo (ad quod quidem non requiritur ut sit actu in rerum natura, sed sufficit si sit in intentione, quemadmodum ex præcedentib9 patet) non necessariũ est poni aliquem actum externum, vel qui ad exsecutionem pertineat, siquidem cùm aliquis movetur ab aliquo tanquam à causa finali, fieri potest, ut multum temporis intercedat in deliberatione & electione mediorum, antequam ad exsecutionem progrediatur, imò fieri potest, ut propter difficultatem, vel alias ob causas, quæ se in deliberando offerunt, nullus actus externus & nulla exsecutio sequatur: Et sic potest aliquid esse finis, ut vel planè non, vel certè non statim causetur actus externus, & qui ad exsecutionem spectet. Posito verò fine in actu secundo ponitur necessariò aliquis actus internus, qui ejus effectus sit, saltem amor ejus: fieri namque haud potest, quin, cùm aliquid ut causa finalis actu movet agens, in agente amor finis excitetur. De materia & forma videbimus infrà.

Regula IV.

Negatâ causâ negatur effectus, & vice versâ.

1. Trito sermone itá: *Sublatâ causâ tollitur effectus*. Nos maluimus dicere: *Negatâ causâ negatur effectus*: non quòd illud verum esse negemus, aut usum ejus improbemus, sed quia angustius esse hoc nostro putamus. Nam *negari* est *non exsistere*, sive antea exstiterit, sive non: at *tolli* propriè importat *non exsistere, cùm exstiterit*. Quomodo enim dici potest tolli, quod non est vel fuit? Rectiùs autem in illa generalitate regulam proponi indè patet, quòd continet verbum oppositum verbo regulæ præcedentis, quod est *poni*. *Poni* est *exsistere*. Sensus enim est: *Exsistente causâ exsistit effectus*. At τὸ *exsistere*, non tantùm opponitur τῷ *tolli* vel *non exsistere cùm exstiterit*, sed τῷ *non exsistere* in communi, sive exstiterit sive non.

2. Conclus. I. *Negatâ causâ quoad actum secundum*

dum, sive quoad esse causæ, negatur effectus in esse effectûs sive quoad fieri, & vice versâ. Res manifesta est ex regula præcedente, §. 1. Negari enim causam in esse causæ est eam non causare, & negari effectum in esse effectûs est eum non causari vel fieri. At quando non causat aliquid, nec causatur aliquid, & vice versâ. Et hoc est quod Philosophus 2. *Phys. c.*2. & 5. *Met. c.* 2. dicit; *Causa in actu & effectus in actu simul non sunt.* Imò in verbis Philosophi, quando ait, *causa in actu & effectus in actu simul sunt & non sunt.* & hæc & præcedens regula fundantur, quod & Javellus, *lib.*5. *Met. q.* 9. docet.

3. Conclus. II. *Negatâ causâ quoad esse absolutum, negatur effectus in ratione effectûs sive in fieri*, hoc est, fieri non potest. Ratio sumitur ex præcedente conclusione, quia negatâ causâ quoad esse causæ negatur effectus in ratione effectûs. Sed negatâ causâ quoad esse absolutum, negatur etiam quoad est causæ; cùm esse causæ præsupponat esse absolutum, nec causa causare possit nisi sit. Ergò, negata etiam causâ quoad esse absolutum, negatur effectus in esse effectûs.

4. Conclus. III. *Negato effectu in ratione effectûs non negatur causa in esse absoluto.* Ut non necesse est, sutorem non esse, si nullus efficiatur ab eo calceus.

5. Conclus. IV. *Negato effectu quoad esse absolutum, non negatur causa in esse causæ.* Quod perspicitur ex regula præcedente. Si enim domus nondum exsistat, colligi indè nequit, ædificatorem in ea exstruenda non esse occupatum.

6. Conclus. V. *Negatâ causâ quoad esse absolutum, non necesse est negari effectum in esse absoluto, & vice versâ, negato effectu quoad esse absolutum, non necesse est negari causam quoad esse absolutum.* Quod significavit Philosophus *l. cit.* quando ait; *Quæ* (causa & effectus) *secundùm potentiam dicuntur* (intelligit causam & effectum secundùm esse absolutum) *non semper ipsa simul non sunt. Neque enim domus & ædificator simul intereunt.* Contingit enim ædificatorem vivere combustis ædibus, quas exstruxit, & ipsæ possunt durare ipso exstincto.

7. Habet

7. Habet isthæc regula usum in Theologicis. Nostrates contra Pontificios, peccatum originale in baptismo tolli asseverantes, sic argumentantur: Si tolleretur peccatum originale in baptismo, tollerentur quoque fructus & effectus ejus, qui sunt concupiscentia carnis & contra spiritum rebellio. Sed posterius non est, quemadmodum testatur experientia. Ergò, nec prius. Consequentia patet, quia sublatâ causâ tollitur effectus.

8. Hîc respondent, negando majorem. Quid notius, aiunt, quàm cessare frequenter causam stante fructu seu effectu? Comburatur arbor, an ideò marcessent ex ea collecta poma? Percussionis effectum est inflictum vulnus. Manet vulnus, licèt percussio non sit ampliùs.

9. Sed hæc responsio non solvit argumentum. Ea enim nihil aliud evincit, quàm id, quod in conclusione 5. asseruimus, nempe effectum, qui jam factus est, non statim tolli sublatâ causâ. At argumentum nostratium nititur conclusione 2. Sermo enim in eo est de fructibus peccati originis non ante baptismum editis, sed de iis, qui post baptismum sese exserunt. Sublatâ causâ tollitur effectus quoad fieri, id est, fieri non potest. Si igitur in baptismo peccatum originis tollitur, quomodo post baptismum novi ejus fructus dari possunt? Effectûs futuri, necesse est, causam in futuro esse, *ex 2. post. t. 56.*

10. De Fine destinguo: quæ enim in finem referuntur, vel sunt res factæ, ut medicamentum; vel sunt actiones, ut applicatio medicamenti. Negato fine tolluntur actiones quæ ad illum finem referuntur. Quod tamen ità intelligendum est, quòd, cùm unius actionis plures possint esse fines, non negetur statim actio, si unus negetur, sed necesse sit, negari omnes. Potest enim uno fine negato nihilominus actio esse propter alium finem. Ità sæpe fit, ut quis fœminam effœtam in matrimonium ducat. Finis conjugii, qui primarius est, nempe generatio sobolis, hîc locum non habet: ducitur tamen istiusmodi uxor, ídq; licitè, propterea quòd alius adhuc datur conjugii finis.

finis. Sublato fine non eſt neceſſe tolli rem factam propter finem. Ut, ſi aliquod inſtrumentum factum ſit propter aliquem finem, ceſſante fine, non eſt neceſſe ipſum protinus inſtrumentum è medio tolli.

REGULA V.

Cauſa prior eſt cauſato. 1. poſt. t. 11. & 2. poſt. t. 11.

1. Hujus propoſitionis veritatem dubiam videntur facere ſequentia: I. Quia cauſa & cauſatum ſunt relata; relata autem ſimul ſunt naturâ II. Sol eſt cauſa radiorum, & forma eſt cauſa formati; & tamen nec ſol radiis, nec formato forma prior eſt. III. Finis eſt cauſa mediorum, media tamen ſunt eo priora. IV. Philoſophus in locis aliquoties citatis expreſſè ait, *Cauſam in actu, ſimul eſſe cum effectu in actu.*

2. Pro explicatione regulæ dicimus, ſecundùm eſſe abſolutum quandam cauſam tempore priorem eſſe cauſato, quandam non eſſe. Prior pars manifeſta eſt, quia Deus, qui eſt cauſa prima, ab æterno exſiſtit, quamvìs nullus ejus effectus ab æterno fuerit. Imò omnis cauſa libera, cùm poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſit agere & non agere, ſecundùm eſſe abſolutum poteſt tempore ſuum effectum antecedere. Ità & lignum diu antè eſt, quàm lectus ex eo fiat, quod & aliis materiis rerum arte factarum perſpicitur. Materia prima non poteſt quidem exſiſtere ſine omni forma & ut non conſtituat aliquod compoſitum, prior tamen eſt tempore hac vel illâ formâ, hoc vel illo compoſito. Poſteriorem partem probat cauſa naturalis, ſi in primo inſtanti ſui eſſe, habeat omnia requiſita ad agendum, quemadmodum lumen ſoli eſt coævum. Forma nunquam antecedit compoſitum, ſed ſimul atque illa eſt, hæc eſt, niſi quòd anima rationalis poſt mortem ſubſiſtit, etſi tunc nullum ſit compoſitum, quod conſtituat. Quò pertinet locus 12. *Metaph.t.*16. ubi hoc diſcrimen inter cauſam efficientem & formam conſtituitur, quòd illa ante effectum exorta ſit, hæc autem ſimul cum eo exſiſtat.

3. Si autem loquimur de causa formaliter sumta sive in actu secundo, nulla tempore prior est causato formaliter sive in esse causati, sed simul. Et hoc est quod vult Aristoteles, quando dicit, causam in actu, & effectum in actu simul esse & non esse. Sed hac de re in præcedentibus egimus.

4. Quantùm ad prioritatem naturæ, sic omnis causa causato suo prior est. Quinque modos, quibus unum altero prius dicitur, proposuit Aristoteles, *c. 12. categ.* quorum secundo & quinto priora aliqua dicuntur naturâ: & altero horum modorum quælibet causa effectu suo est prior. Nam quædam causa cum suo effectu simul est tempore, & cum eo reciprocatur in essendi consequentia, & de hac scribit expressè Aristoteles ità, *Eorum, quæ secundùm essendi consecutionem reciprocantur, quod quomodocunque est causa, cur alterum sit, meritò prius naturâ dici potest.* Ità sequitur, Homo est: Ergò vera est oratio, quâ dicimus, hominem esse: & vicissim, vera est oratio, quâ dicimus, hominem esse; ergò & homo est. Est autem res quodammodo causa, cur oratio sit vera; vera autem oratio nequaquã est causa, cur res sit. Hominem igitur esse, est prius naturâ, quàm veritas orationis, quâ dicimus, hominem esse. Sic sol est causa luminis sui, ut reciprocetur hîc essendi consequentia; Sol ergò hoc modo est prior naturâ lumine. Quædam autem causa non est cum suo effectu simul tempore, & ab effectu quidem ad causam, sed à causa ad effectum non valet consequentia, ut non sequitur, Ferrum est, ergò gladius vel serra est: Hoc animatum est, ergò respirat: sequitur autem, Gladius vel serra est, ergò ferrum est; Hoc respirat, ergò animatum est. Et in hisce causa est effectu prior naturâ secundò modo, quo Philosophus prius esse dicit, quod non reciprocatur essendi consequentiâ.

5. Inquis: Datur quædam causa ad quam ab effectu non datur consequentia, sicut nec ab ipsa ad effectum, quod evidens est ex regula 3. Quemadmodum non sequitur, Ædificator est, ergò domus est; ità non sequitur, Domus est, ergò ædificator est;

cùm

cùm fieri possit, ut ædificator moriatur ex ædificatâ domo.

6. Sed respondeo: Licèt non sequatur, Domus est, ergò ædificator est; sequitur tamen, Domus est, ergò ædificator eam ædificavit, vel, ergò ædificator est vel fuit.

7. Jam ad argumenta in principio proposita: Ad I. dicit Suarez, causam & effectum, quatenus talia sunt, non esse relata prædicamentalia, sed transcendentalia, & quòd relata dicuntur esse simul naturâ, de illis intelligi, non de his: transcendentalem enim habitudinem non requirere simultatem naturæ.

8. Alii respondent, causam & effectum formaliter sumta, & ut causa & effectus sunt, esse simul naturâ; cùm autem dicitur, causam naturâ priorem esse effectu, id solùm verum esse de causa quoad esse absolutum.

9. Secundum probat, non omnem causam tempore esse effectu priorem, quod quidem conceditur. Sol tempore non est prior lumine suo, nec forma formato; utrobiq; nihilominus est prioritas naturæ.

10. Ad III. quid respondendum sit, perspicuum est ex suprà dictis. Causa est prior causato secundùm illud esse, quod requiritur ad causandum. Esse, quod requiritur ut aliquid sit causa finalis, est esse cognitum. Secundùm hoc certè finis prior est mediis. Est quidem finis in esse reali posterior mediis; verùm in illo non est causa mediorum, sed effectus.

REGULA VI.

Causa notior est Effectu.

1. Aristoteles, 1. *Post. t.* 12. 6. *Top. c.* 3. 1. *Phys. c.* 1. & *t.* 49. & 1. *Eth. c.* 4. & 5. *Met. c.* 11. notiora dicit esse duplici naturâ, quæ & κατὰ τὸν λόγον & ἁπλῶς notiora appellat, & nobis. Nobis notiora esse ea ait, quæ sunt propinquiora sensui; quam ob causam & κατὰ τὴν αἴσθησιν notiora vocat. Naturâ autem, quæ longiùs ab eo absunt.

2. Causa notior est effectu naturâ. Quod enim

prius est id simpliciter & naturâ notius eo quod posterius est, sicut ait Aristoteles, *cit.c.3. l.6. Top.* atqui causa est prior effectu, quemadmodum suprà docuimus. Est igitur causa naturâ notior effectu. Effectus autem sunt notiores nobis.

3. Quod non ità intelligendum est, quasi nonnulla ut causæ, naturæ sint nota; cùm enim natura nihil cognoscat, nihil etiam ipsi notum est, nihil notius aut ignotius; sed intelligendum est ità, quòd dum simpliciter & secundùm naturam propriam res cognoscimus, nonnulla, v. g. causæ, sint notiora aliis, v. gr. effectibus. A quo enim aliquid dependet suâ naturâ & in esse, ab eo etiam dependet in cognosci, si res simpliciter & ut natura ipsarum fert, cognoscere velimus: sed à causa dependet effectus suâ naturâ & in esse; ergò etiam in cognosci dependet effectus à causa, si res simpliciter, & ut naturæ ipsarum postulant, considerare & cognoscere velimus; quod est causas esse naturâ & simpliciter notiores effectibus.

4. Quoniam autem ea humana est conditio, ut cognitio nostra à sensibus originem ducat, & verò sensibus propinquiores sunt effectus quàm causæ, (incurrunt enim effectus in sensus, causis nos latentibus; sicut rusticus etiam videt Lunam obscurari, nec tamen videt, quæ ejus rei causa sit: & symptomata morborum sensibus deprehenduntur, morbis ipsis & causis ipsorum sæpè latentibus) hinc effectus nobis dicuntur esse notiores.

5, Sunt, inter quos Toletus, *l.1. post. c.1. q.1.* qui statuunt, licèt in rebus aliis scientiis subjectis effectus sint nobis notiores, quòd sensibus ferè sint obvii; in rebus tamen mathematicis causas nobis esse notiores effectibus, adeóque in his idem esse & nobis & naturâ notius. Ità lineas omnes à centris æqualium circulorum ad circumferentias ductas esse æquales, notius esse dicunt, quàm super datam lineam triangulum æquilaterum constituere, cùm tamen illud hujus sit causa.

6. Verum Pererius, *l.1. Phys. c.12.* Conimbricenses, 1. *Post.*

1. *Post. c.* 2. *q.* 1. *a.* 6. & alii, veras causas & demonstrationes ex causis in Mathematicis dari negant, usi inter alia testimonio Aristotelis 2. *Eth. ad Eud. c.* 6. ubi asseritur, similitudine quadam esse principia in Mathematicis, & ad exemplum § praecedentis respondent, omnes lineas à centris æqualium circulorum ad circumferentiam ductas esse æquales, non esse veram causam cur latera trianguli sint æqualia, quòd etiamsi nulli circuli essent, vel etiam eos ducere impossibile esset, triangulus posset habere latera æqualia, cùm id triangulo conveniat ex se, & non ex circulo. Sed hæc aliorum judicio permittimus.

REGULA VII.

Qualis causa, talis effectus.

1, Atqui, inquis, 1. Causa est principium communicans esse effectui, ergò etiam effectus est principium communicans esse effectui, nempe sibi ipsi. 2. Causa mundi, nempe Deus, est infinita, ergò etiam mundus est infinitus, si qualis causa talis effectus est. Utrobique consequens est absurdum, antecedens verum: Ergò necesse est, regulam nostram, quâ consequentia fundatur, absurdam esse.

2 Resp. Sensum regulæ eum esse existimo, *Quicquid prædicatur de causa, prædicatur quoque de effectu*, idque verum est, non de eo prædicato, quod est ratio formalis causæ, aut quod convenit causæ secundùm rationem formalem, sed de iis, quæ conveniunt ipsi secundùm entitatem absolutam sive secundùm rem substratam denominationi causæ: sicut *infinitum esse* non competit Deo per hoc, quòd est causa rerum aliarum, sed absolutè per suam naturam. Rationem autem hujus exceptionis hanc do, quòd causa & effectus, ut formaliter sumuntur, opponuntur: sed ratio formalis unius oppositi, sicut & id, quod competit ipsi secundùm rationem formalem, non competit alteri opposito. Atque hinc manifestum est quid respondendum sit ad primum argumentum, nempe communicare esse

effectui est ratio formalis causæ, & propterea de eo regula non loquitur.

3, Porrò regulam intelligendam esse de causa non æquivoca, sed univoca tantùm, & quidem quantum ad prædicata necessaria & essentialia tantùm, ex præcedentibus facilè est intelligere. Cùm enim causa univoca sit ejusdem speciei atque essentiæ cum effectu, necesse est, id quod necessariò & essentialiter de causa prædicatur, etiam de effectu prædicari: unde quia pater est causa univoca filii, & est rationalis, capax disciplinæ, quæ sunt prædicata ei, qui pater est, essentialia, etiam filius est rationalis, capax disciplinæ. Prædicatum verò accidentale, quod causæ convenit, non est necesse effectui convenire, quoniam ea etiam, quæ speciei atque essentiæ ejusdem sunt, in accidentibus convenire necesse non est. Hanc ob causam non sequitur, Pater est doctor, mercator, ergò filius quoque est doctor, mercator.

4. Quoniam autem causa æquivoca cum effectu speciei atque essentiæ ejusdem non est, nè quantùm ad prædicata essentialia quidem necesse est talem esse effectum, qualis est causa: ídque probat argumentum secundum, quandoquidem Deus est causa mundi æquivoca, cùm nè ullius quidem rei causa univoca esse possit.

Regula VIII.

Si affirmatio est causa affirmationis, etiam negatio est causa negationis; & vice versâ, Si negatio est causa negationis, affirmatio est causa affirmationis.

1. Proponuntur isthæc ab Aristotele, 1. *Post.t.* 99. Obstat I. Quòd affirmatio antecedentis est causa affirmationis consequentis, ut si aliquid est homo, licet inferre, quòd sit animal; negatio tamen antecedentis non est causa cur negetur consequens. Nam ex eo, quòd aliquid non est homo, non licet inferre, id non esse animal. II. Obstat, quòd si aliquid non est animal, non respirat, nec tamen propterea, si aliquid

quid est animal, respirat, ut patet in piscibus; & per consequens negatio aliquando est causa negationis, ut nihilominus affirmatio non sit causa affirmationis.

2. Respondeo, distinguendo inter causam inferendi & essendi. Causa inferendi, h. e. id, ex quo aliquid per discursum infertur & colligitur, non semper est causa essendi, h. e. cur illud ipsum sit; quemadmodum constat de effectu, ex quo inferimus causam, & sic est causa inferendi causam, nec tamen est causa essendi causæ. Aristoteles in hac regula loquitur de causa essendi; & de ea valet, non autem de causa inferendi. Et per hoc patet responsio ad primum argumentum, quia non semper affirmatio antecedentis est causa essendi affirmationis consequentis, sed sæpe tantùm est causa inferendi: quemadmodum ex eo, quòd aliquid est homo, necessariò infertur, ipsum esse animal; homo tamen non est causa essendi animalis.

3. Dicendum ulteriùs, regulam non valere de causa remota, quoniam nimirum negatâ causâ remotâ negatur quidem effectus, sed positâ non ponitur: quemadmodum aliquid esse animal est causa respirandi remota: hinc, quia planta non est animal, ideo non respirat: sed si affirmetur, aliquid esse animal, non continuò affirmandum est, ipsum respirare. Et per hoc jam responsum est ad argumentum secundum.

4. Valet itaque regula tantùm in causa proxima, ut si debita qualitatum temperies est causa sanitatis in corpore animalis, negatio quoque ejusdem erit causa negationis sanitatis, sicut & si negatio temperiei debitæ est causa negationis sanitatis, affirmatio quoque ejusdem erit causa affirmationis sanitatis. *Cajet. & Zabarell. in text. Aristot. cit.*

REGULA IX.

Causa non est deterior effectu.

1. Considerabimus hoc in tribus causarum generibus,

ribus. Nam de fine infrà. Quantùm igitur ad causas internas, quæ sunt materia & forma, dicimus, illas simul sumtas & unitas & effectum earum quod est compositum esse ejusdem perfectionis. Ratio manifesta est, quia compositum ex materia & forma & ipsa materia & forma unitæ secundùm rem unum & idem sunt, eadémque omnino includunt: utraque verò seorsim & per se sumta est imperfectior effectu, i. e. materia est imperfectior composito, & forma est imperfectior eodem.

2. Quantùm ad materiam, non novi esse controversiam. De forma, dissentiunt Jandunus, 5. *Met. quæst. 6.* August. Niphus, *l. 7. Met. disp. 5.* & Zimara, *in theor. propos.* 10. éstque sententia Averrois, 2. *Phys. t. 4.* & 7. *Met. t. 7.* Nos contrà ità argumentamur, Quicquid includit totam perfectionem alicujus, ità ut insuper includat perfectionem alterius, id est eo perfectius. Sed compositum totam perfectionem formæ includit, ità ut insuper includat perfectionem materiæ, sicut homo præter animam includit etiam corpus. Ergò est perfectius formâ. Similiter subsumere licet de materia: Compositum includit totam perfectionem materiæ, & insuper perfectionem formæ. Ergò & materiâ perfectius est.

3. Neque verum est quod dicunt, materiam omni destitui perfectione; cùm omne ens reale bonum quid sit, & perfectionem aliquam importet. Quis autem negaverit, materiam esse ens reale? Imò substantia est, ut patet ex 2. *de anim. t. 2.* & aliis locis, quibus Philosophus dividit substantiam in materiam, formam, & compositum; & ex 1. *Phys. t. 52.* ubi substantiam ex non substantiis componi negat: componitur autem ex materia & forma. Pluribus aliis testimoniis ex Philosopho adducendis immorari nihil attinet. Et si materia non est ens reale, ex nihilo aliquid fiet; quod ab universo tum antiquissimorum, tum recentiorum Philosophorum choro pro absurdo semper fuit habitum, qua de re infrà in titulo *de materia.*

4. Nec majoris momenti est, quod aiunt, posito, ma-

materiam in ſe aliquam continere perfectionem, non tamen indè firmiter colligi, compoſitum, quod ex ea & forma conſtat, formâ eſſe perfectius; quandoquidem hoc aggregatum, Deus & mundus, includit perfectionem mundi, quam Deus formaliter non includit, nec tamen perfectius eſt quàm ſolus Deus. Eſt enim magnum diſcrimen. Continetur enim omnis perfectio totius mundi in Deo, ſi non formaliter tamen eminenter: At quod dicunt, perfectionem materiæ in forma eminenter contineri, falſiſſimum eſt. Quod enim eminenter aliquid continet, debet illud poſſe producere, ſicut dicetur reg. ſequenti. At materiam forma non poteſt efficere, ſicut Deus omnes res extra ſe produxit.

5. Militare autem pro compoſiti dignitate omninò videtur & hoc, quòd forma eſt pars compoſiti ſive totius: *At totum & perfectum aut omninò unum ſunt, aut naturâ inter ſeſe affinia.* t.64. l. 3. Phyſ.

6. Nugas agunt Fonſeca, *l.7.Met.c.*3.*q* 2. §.2. & Pererius, *l. 6. phil.nat. c.* 5. dum diſtinguendo oppoſitas in hac quæſtione ſententias conciliari poſſe cenſent. Ille dicit, formam ſi conſideretur ut actus eſt, compoſito perfectiorem, ſi ut actus vel forma informans, h. e. ſecundùm propriam rationem, minùs perfectam eſſe.

7. Quod ut evertamus, præmittimus, actum ſive formam duplicem conſtitui, etiam ab ipſo Fonſeca, 1. *Met.*7.*q* 3. § 6 per ſe exſiſtentem ſive non informantem, cujuſmodi Deum & ſubſtantias ſeparatas eſſe dicit; & informantem, illum nimirum, qui materiam informando compoſitum conſtituit.

8. Jam quando ſtatuit, formam, ut actus eſt, eſſe perfectiorem, accipit actum aut pro informante, aut pro ſubſiſtente, aut ut abſtrahitur ab utroque. Non primo modo, quia ſic formam cedere in perfectione compoſito concedit. Si ſecundo apertè falſum dicit, cùm enim forma, de qua hîc ſermo eſt, quæ nimirum eſt pars compoſiti, non ſit actus per ſe ſubſiſtens, ſed potiùs ipſi opponatur in diviſione, ut actus ſubſiſtens conſiderari nequit. Si tertio, quod omninò

velle videtur, neque ſic ejus determinatio admitti poteſt, propterea quòd actus in communi, ut complectitur per ſe ſubſiſtentem & informantem, non eſt universè perfectior compoſito, aliàs enim & actus quilibet informans eſſet perfectior compoſito, & ſic caderet poſterius membrum conciliationis Fonſecæ, ſed ſecundùm ipſum neceſſe eſt, quendam perfectiorem eſſe, ut ſubſiſtentem, quendam autem imperfectiorem. Quemadmodum ergò malè dicetur, equum eſſe imperfectiorem leone, ut tale animal eſt, id eſt, ut equus eſt, perfectiorem, ut animal, propterea quòd de ratione animalis non eſt eſſe perfectius leone, ſed quoddam perfectius eſt, ut homo, quoddam imperfectius: Sic non rectè aſſeritur, formam, ut actum, eſſe compoſito perfectiorem, quoniam non eſt de ratione actûs, ut per ſe ſubſiſtentem & informantem ſub ſe comprehendit, compoſito perfectiorem eſſe. Taceo, quod voci *actus* in eâ latitudine communis aliqua ratio non reſpondeat, ſed in æquivocis potiùs ea eſſe videatur.

9 Pererius contrà ferè ait, formam conſideratam per ſe ac ſeparatim à materia eſſe eâ ignobiliorem, ut autem habet eſſe in materia, nihil aliud eſſe quàm ipſum compoſitum, quod attinet ad nobilitatem & perfectionem, quæ eſt in compoſito, & ſic vel æqualem nobilitatem & perfectionem, vel etiam majorem habere. Verùm ſupponit Pererius, materiam non modò nihil perfectionis adjungere compoſito, ſed radicem etiam eſſe & ſeminarium cunctarum imperfectionum & defectuum, quæ accidunt rebus naturalibus; quod minimè conceditur, ut patet ex dictis §.3. Aut ſi id verum eſt, cur non potiùs forma ſeorſim à materia conſiderata eſt perfectior?

10 Comparatio autem hæc inter formam & compoſitum inſtituta concernit compoſitum & formam, ex quâ conſtat. Dicimus v. g. bovem eſſe perfectiorem animâ bovis. Fortaſſis enim compoſitum cum alterius rei forma collatum perfectione ſuperabitur, ut ſi lapidem cum anima rationali compares; quod quidem & in omnibus reliquis cauſarum generibus ob-

observandum esse, ut nempe cum suis & non cum alterius causæ effectibus comparentur, manifestissimum est.

11. Cæterùm, cùm materia non tantùm compositi, sed & formæ causa sit, videtur, formam substantialem simpliciter ei perfectione antestare, propterea quòd cùm ejusdem sint generis, forma actus est, materia verò pura potentia, & quidem passiva est. De forma accidentali Suarez contrarium asserit, nempè causam materialem esse simpliciter perfectiorem suo causato, eò quòd forma accidentalis sit.

12. Quantùm ad causam effectricem, aliud dicendum est de causa instrumentali, aliud de principali. Instrumentalis potest imperfectior esse effectu, sicut patet de calore, per quem tanquam per instrumentum generatur substantia v. g. caro. At calor tanquam accidens substantiâ ignobilior est. Dico *potest*, quia non necesse esse videtur ut sit ignobilior, potest enim esse nobilior, quod conspici potest, cùm securi tanquam instrumento ligna finduntur. Causa verò principalis non est imperfectior effectu, & hoc vult nostra regula.

13. Cùm autē causa principalis duplex sit, univoca & æquivoca; univoca est ejusdē perfectionis essentialis cum effectu, ut bos generans cum bove à se genito, calor cum calore à se producto. Et ratio est, quia causa univoca est ejusdem speciei cum effectu. Quæ autem ejusdem speciei sunt, prout colligitur ex Aristotele, 3. *Met. t.* 11. Dixi autem *essentialis*, quia quantùm ad ea quæ non sunt essentialia, causa univoca potest esse perfectior effectu. Potest enim calor ignis, qui octo graduum est, producere calorem longè debiliorem, ut duorum vel trium graduum. Verùm calorem esse tot vel tot graduum, non pertinet ad essentiam ejus.

14. Sed potéstne causa univoca esse imperfectior, quantùm ad aliquod accidens? Ità videtur, quia pater potest generare filium nobilioris ingenii. Dicendum tamen, causam univocam non esse imperfectiorem effectu quantùm ad id, quod est ejus effectus.

Quod

Quòd si homo genitus sit præstantioris ingenii, secundùm id non est effectus hominis generantis, sed id aliunde, ut à virtute astrorum, aut ab alia aliqua causa provenit. Qua de re vide Suarezium, *disp.* 16. §. 2. *n.* 7. & *seqq.*

15. Quantùm ad causam æquivocam, illa est effectu perfectior, ut architectus domo à se exstructa, sol calore à se producto. Et ratio est, quia quæ diversæ speciei sunt, non possunt esse æqualis perfectionis, quod ipsum quoque ex *cit. loc. Arist.* colligitur, & disputat Fonseca, 5. *Met. c.*28 *q.* 14. *s.* 2. Cum igitur causa æquivoca & effectus sint res specie differentes, non potest illa æqualis esse perfectionis cum hoc: ergò vel majoris, vel minoris. Non hoc, quia sic non esset causa principalis, nec contineret effectum eminenter. E. illud. Vid. Conimbricenses, *in* 1. *post. c.* 2. *q.* 2. *art.* 6.

REGULA X.

Quicquid est in effectu, praexsistit in causa.

1. Quò pertinet quod vulgò dicitur, *Quod aliquid non habet, alteri dare non potest.* Proponitur hæc regula de causa efficiente. *Inquis:* In homine reperitur natura animalis quæ tamen non reperitur in Deo, qui est causa hominis. Calor non reperitur in sole, qui tamen est causa caloris. E. non omnis effectus, vel id quod reperitur in effectu, est in causa.

2. Pro solutione hujus dubii & explicatione regulæ, sciendum est, posse aliquid in aliquo reperiri vel contineri dupliciter, formaliter & eminenter. Competit aliquid alicui formaliter, quando ipsi competit ejus ratio formalis sive definitio & conceptus quidditativus, aut aliquid in eo est, cui talis rei ratio formalis competat. Ità ignis est calidus formaliter, quia ratio formalis calidi est, quòd sit corpus affectum qualitate elementari quâ congregantur homogenea & segregantur heterogenea. At ignis est corpus tali qualitate affectum. Eódem recidit, si dicamus, calorem formaliter esse in igne, quia caloris essentia est esse qualitatem elementarem congregativam homogeneorum & segregativam heterogene-

orum. At in igne talis qualitas reperitur. Competit verò aliquid alicui eminenter, quando ipsi non competit talis rei ratio formalis, nec in ea aliquid reperitur, cui ratio formalis ejus competat: est tamen in eo aliquid nobilius cum vi effectiva talis rei: ità sol dicitur calidus eminenter, quia non est aliquid in sole, cui definitio caloris competat (nulla enim in sole qualitas elementaris reperitur) est tamen in eo forma aliqua nobilior, & ità quidem ut calorem possit producere. Sic in Deo est natura animalis non formaliter, quia essentia sive natura animalis includit compositionem, quæ imperfectio quædam est, & proptereà à Deo aliena; sed eminenter, quia in Deo est natura infinitis modis perfectior, cum vi producendi hominem.

3. Hisce præmissis dicimus, effectum & quicquid est in effectu in causa univoca esse formaliter, in æquivoca verò eminenter. Res clara est ex iis quæ modò attulimus: & sic etiam solutum est argumentum propositum in principio.

4. Quod autem de causa univoca diximus, non ità intelligendum est, quasi effectus, & id quod in effectu est, idem numero præexsistat in causa, sed accipiendum est de identitate specifica, quòd nimirum effectus sit idem specie cum causa univoca, & quòd id quod in effectu est, idem specie sit cum aliquo, quod in causa est, quemadmodum calor in aqua productus, est in igne; non idem numero calor est, sed idem specie.

5. *Dicis*: Pater est causa filii, nec tamen quicquid in filio est, est in patre, cùm filius doctissimus patris inertissimi esse possit. *Resp.* Quicquid est in effectu necessariò & essentialiter, illud est in causa univoca, sed quod est in effectu accidentaliter & contingenter, ejusmodi quid est eruditio in filio, id non est necesse ut sit in causa univoca. Ratio patet ex iis, quæ in explicatione regulæ præcedentis diximus. Potest etiam ità responderi: Quicquid est in effectu, quatenus est effectus sive secundùm id, secundùm quod est effectus, præexsistere in causa: at filius quatenus doctus, non est effectus patris.

6. At-

6. Atque ea quæ hactenus diximus, de causa principali diximus, cùm divisio causæ in univocam & æquivocam, usitato modo loquendi, sit causæ principalis. In instrumentali non est necesse, ut vel formaliter vel eminenter exsistat effectus & id quod in effectu reperitur, cùm influat virtute ignobiliori, quàm ad ipsum producendum requiritur.

7. Paucis ista complexus est Fonseca, quando 7. *Met. c. 3. q. unic. s. 2.* ait, *Quod dici solet, causas non conferre suis effectis ea quæ in se ipsis non habent, de efficientibus principalibus, non de internis aut instrumentalibus intelligendum est, eò quòd efficientes principales vel formaliter, vel eminenter ac virtute, continere debeant in se perfectiones suorum effectorum.*

Regula XI.

Impossibile est, aliquem ejusdem causæ effectum æquivocum nobiliorem esse effectu univoco.

1. Proponit hanc regulam Scotus, *l. 9. Met. quæst.* 14. eâque utitur contra sententiam, quam 1. *dist.* 3. *q.* 8. Godofredo tribuit, quòd scilicet objectum, & quidem solum, sit causa principalis actûs intelligendi, anima autem sit tantùm principium passivum respectu ejusdem. Præsupponit autem, intelligere esse quid simpliciter perfectius omni calore genito ab alio calore v. g. calore aquæ, genito à calore ignis. Sit igitur calor ignis intellectûs objectum. Ex sententia Godofredi ille solus producit actum intelligendi in intellectu. At hoc absurdum est, quia intelligere non potest esse effectus caloris in igne nisi æquivocans. Si igitur calor ignis est causa actûs intelligendi, & quidem solus, sequitur, effectum æquivocum caloris esse perfectiorem effectu ejus univoco.

2. Veritas autem regulæ facilè demonstratur ex iis quæ in explicatione regulæ primæ fuerunt proposita. Est enim effectus univocus suæ causæ in perfectione æqualis, æquivocus verò imperfectior. Si enim causa univoca æqualis est perfectionis cum ef-

fectu suo; æquivoca verò suo effectu perfectior est, necesse est etiam effectum univocum in perfectione æqualem esse suæ causæ; æquivocum verò imperfectiorem, vi relatorum. Procedat ergò ab eadem causa effectus æquivocus & univocus. Si effectus æquivocus est perfectior univoco, erit etiam perfectior ipsâ suâ causâ, quia, sicut dictum est, illa causa & effectus ejus univocus sunt æqualis perfectionis. Quod autem est perfectius aliquo, quod est æqualis cum altero perfectionis, id illo altero est etiam perfectius.

Regula XII.

Causa causæ est etiam causa causati.

1. Sensus est hic: Cùm aliquid est causa alicujus effectûs, & effectus ille alterius effectûs est causa, tunc prior illa causa est etiam causa posterioris illius effectûs.

2. Videtur ex hac regula colligi, Deum esse causam peccati. Nam voluntas hominis est causa peccati. Cùm igitur Deus sit causa voluntatis humanæ, sequi videtur, Deum esse causam peccati.

3. Ut regulam explicemus, & difficultatem hanc tollamus, circumspicere oportet exempla, & videre an patiatur instantiam. Certè filius est causa proditionis patriæ, pater est causa filii, nec tamen propterea pater est causa proditionis patriæ: similiter & boni quid agere filius potest, ut illius boni pater causa non sit.

4. Cùm igitur ex jam allatis exemplis constet, non esse regulam universalem, dispiciendum est de limitationibus. Vulgò distinguunt inter causas per se & essentialiter subordinatas, & inter causas accidentaliter subordinatas. Dicunt valere regulam in causis essentialiter subordinatis, non autem in subordinatis accidentaliter.

5. Dicuntur autem, definiente Fonsecâ, 2. *Met. c.* 2. *q.* 1. *s.* 2. ex sententia Scoti, 1. *sent. dist.* 2. *q.* 2. causæ essentialiter subordinatæ, *quælibet duæ causæ ejusdem generis, quæ ità sunt affectæ inter se, ut altera ex natura sua pendeat ab altera in causando*, quo modo omnes causæ

causæ secundæ subordinantur Deo, quoniam concurrit cum actionibus omnium creaturarum, súntque earum actiones secundùm rem ipsius Dei actiones. Causæ verò accidentaliter subordinatæ sunt *qualibet duæ ejusdem generis causæ, quæ ità affectæ inter se sunt, ut altera pendeat aliquo modo ab altera, non tamen in causando*. Tales causæ sunt Anchises & Æneas respectu Juli, dependet Æneas ab Anchise, quia ab eo genitus fuit, non tamen pendet ab eo in gignendo Julo, quia cùm Æneas genuit Julum, ad hoc nullum præbuit concursum Anchises, cùm etiam tunc temporis mortuus esse potuerit.

6. Jam si verum est, quod §. 4. assertum, statim patet cur cùm filius patriam prodit, vel etiam boni quid agit, pater tamen illius proditionis aut bonarum illarum actionum causa dici nequeat, quia scilicet filius in prodenda patria aut in operatione alicujus boni patri essentialiter non subordinatur, cùm pater cum ipso non concurrat ad hujusmodi actiones.

7. Verùm hisce non sublata sed aucta videtur difficultas de causa peccati. Nam causa causæ essentialiter subordinatæ est causa causati, secundùm factam assertionem. Sed Deus est causa voluntatis humanæ, quæ ipsi essentialiter subordinatur in peccando. E. Deus est causa peccati. Minor patet, quia peccatum est operatio: sed, ut dictum, omnis creatura in operando Deo essentialiter subordinatur.

8. Responderi potest, in peccato duo esse consideranda; unum est materiale, nempe actio; alterum formale, quod est defectus & carentia rectitudinis, quæ in actione esse debebat. Homo essentialiter subordinatur Deo in peccando, quatenus peccatum materialiter sumitur, nempè pro actione sive operatione in se, non ut formaliter accipitur. Nam subordinatio essentialis importat dependentiam alicujus ab aliquo in agendo, quemadmodum ex suprà dictis constat. Sed peccatum formaliter sive ut est peccatũ non est actio, sed defectus actioni adhærens; quâ ratione etiam non habet causam efficientem, sed deficientem, nec propriè est causatum. Hinc August.

Augustinus, *lib.* 12. *de Civ. Dei cap.* 7. *Nemo quærat efficientem causam malæ voluntatis: non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa effectio est, sed defectio.*

9 Doctissimus quidam vir limitationem hanc, quòd scilicet regula valeat de causis essentialiter subordinatis, non autem de subordinatis accidentaliter, non judicat esse sufficientem, propter hoc ipsum, quòd pater est causa per se filii, & filius est causa per se suarum operationum, veluti quòd disputat, currit, nec tamen pater harum operationum est causa.

10. Sed exceptio ista limitationem illam non convellit, quoniam aliud est, patrem esse causam filii per se, & filium esse causam per se suarum operationum; aliud, filium esse causam per se & essentialiter patri subordinatam. In prioribus locutionibus comparatur una causa cum uno effectu, in posteriori verò comparatio instituitur inter duas causas, quatenus ab iis unum causatum dependet, quod notavit etiam Scotus, *q. cit.* Posito igitur eo, de quo jam non disputamus, patrem esse causam per se filii, & filium esse per se causam suarum operationum; filius tamen in operando à patre non dependet, cùm operari possit patre mortuo æquè atque quando in vivis est, & propterea non est causa per se & essentialiter patri subordinata.

11. Non tamen diffiteor, alias ob causas nobis non satisfacere adductam distinctionem. Locum enim habet regula in causis essentialiter non subordinatis. Nam si quis suasu & instinctu vel patris vel cujuslibet etiam peregrini hominis patriam prodat, pater quoque vel peregrinus ille habetur pro causa proditæ patriæ, quia fuit causa causæ, id est, fuit causa, cur alter proditionis crimine sese alligarit. Item cùm carnifex jussu magistratûs homicidam decollat, magistratus est causæ decollationis, propterea quòd est causa causæ, id est, causa, cur carnifex ferro caput ipsi auferat, quemadmodum & qui subjicit ignem tecto, combustarum ædium causa est; nihilominus tamen in hisce exemplis subordinatio essentialis non

intervenit, nec enim pater vel peregrinus ille ad proditionem, aut Magistratus ad decollationem, nec qui subjicit ignem ad combustionem ædium concurrit.

12. Hæc certè convincunt in causis non subordinatis regulam procedere. Cùm autem suprà §.3 &6. probatum quoque sit in iis non semper valere, de alia distinctione laborandum erit. Præmitto, aliquid esse causam causæ non essentialiter subordinatæ dupliciter, vel in actu primo tantùm sive quoad esse absolutum, aut etiam quoad fieri ejus, vel ut sit causa cur aliqua causa agat, jubendo, suadendo, agens ad patiens applicando, occasionem præbendo, aptitudinem causæ communicando, cum intentione ut ad actum deducatur, vel saltem ut illa aptitudo sit per se ordinata ad talem actum, aut simili modo, sive sit etiam causa ejus, quoad esse absolutum; vel fieri ejus, sive non. Cùm filius prodit patriam inscio patre, pater est causa causæ, quoad fieri tantùm, quia filius à patre genitus est. Cùm quis promissis vel pecuniâ inductus à peregrino prodit patriam, peregrinus ille est causa causæ, non quoad fieri aut esse absolutum, sed solùm ut sit causa proditionis. Cùm autem filius à patre persuasus id facinoris perpetrat, pater est causa causæ utroque modo.

13. Quando aliquis jubendo, suadendo, agens ad patiens applicando, &c. causa est, cur aliud sit causa, sive ut aliqua causa aliquid agat, tunc causa causæ est etiam causa causati, id quod probant exempla §. 11.

14. *Dicis*: Exempla illa dubio procul intelliguntur de causa efficiente. Efficiens est id quod efficit. Qui suadet, aut jubet aliquid fieri, non efficit ipsum factum, sicut & qui subjicit ignem tecto, non efficit combustionem. Quomodo ergo causæ efficientes horum factorum dici possunt?

15. *Respondetur*, eum qui consuluit aut suadet aliquid fieri, ipse Philosophus, 2.*Phys.c.*3.*&* 5.*Met.c.*2. in causarum efficientium numero collocat. Ubi sciendum, causam efficientem esse duplicem, physicam & moralem. Physica dicitur, quæ revera influit in effectum,

effectum, sicut ignis est causa physica aquæ calefactæ & combustarum ædium, & carnifex actûs decollandi. Moralis, licèt revera non influat, moraliter tamen ipsi tribuitur effectus, ac si revera eum produxisset. Et tales sunt jubentes, consulentes, non prohibentes malum cùm possint ac debeant, applicantes agentia ad patientia, &c. Probat argumentum istiusmodi causas non esse physicas, id Quod concedimus, sunt nihilominus causæ morales.

16. Quando verò aliquid est causa causæ in fieri vel secundùm esse tantùm, & non in hoc, ut agat, tunc causa causæ non est causa causati, id quod probat argumentum §. 3. adductum.

17. Bellarminus, *tom. 4. controvers. generali 2 l. 2. cap.* 18. scribit, propositionem illam, quod est causa causæ est etiam causa causati, ut plurimùm non habere locum in causa universali, quæ adhibet influxum quendam communem & indifferentem ad multa. Hoc si verum est, ut quidem mihi verum esse videtur, & modò latiùs ex ipso Bellarmino deducam, sequitur & in causis per se & essentialiter subordinatis, plerumque locum non esse præsenti regulæ. Nam cùm duæ causæ ità se habent respectu alicujus effectûs, ut una illarum adhibeat influxum communem & indifferentem, altera determinatum, illæ causæ essentialiter sunt subordinatæ.

18. Sed hæc paulò fusiùs sunt declaranda, Bellarmino nobis præeunte. Sic ergò progredior: In subordinatione essentiali, causa causæ vel concursum præbet generalem vel specialem. Si præbet concursum generalem tantùm, non est causa causati, nisi id aliunde sit. *Potest hoc facilè cognosci solis exemplo* (sunt verba Bellarmini) *qui concurrit ad productionem hominis cum homine, sed concursu generali tantùm, quoniam non ideo qui nascitur est homo, quia producitur à sole, sed quia producitur ab homine; Potuisset enim per eundem solis concursum produci bos aut equus, si talis fuisset causa secunda. Et si fortè defectus reperiatur in homine illo recèns nato, nemo refert causam illius in solem, sed in hominem; non tam, quia*

sol

sol sit causa necessaria, quàm quia per solis concursum potuisset homo perfectus procreari, si defectus in causa secunda nullus fuisset. Ità quoque ad actionem voluntatis humanæ concurrit Deus cum libero arbitrio, sed quia Deus generali concursu tantùm adest, non est talis actio, quia à Deo, sed quia à libero arbitrio producitur, & si fortè actio mala est, defectus ad Deum nullo modo pertinet, cùm per ejus concursum potuisset contraria actio æquè produci, atque ea quæ producta est. Hactenus Bellarminus.

19. *Dicis*: Si Deus non est causa peccati, quia concurrit tantùm concursu generali, etiam non erit causa actionis moraliter bonæ, quia & ad hanc tantùm generaliter concurrit.

20. *Resp.* Concurrit quidem ad utramque actionem, bonam & malam, concursu generali, quòd tamen illa Deo tribuitur, non verò ista, duæ juxta Bellarminum sunt causæ. Prima est, quia bonæ à Deo sunt intentæ Dedit enim nobis Deus liberum arbitrium & auxilium generale ideò, ut iis benè & ad vitam secundùm rationem traducendam uteremur, quamvìs permittat, ut secus etiam, si libuerit, faciamus. Secunda est, quia Deus bonas actiones imperat, laudat, ad eas hortatur & invitat: actionem verò malam non intendit neque imperat, sed potiùs vetat, improbat, atque ab ea deterret. Et hoc est, quod dixi (§. 18.) *nisi id aliunde sit*, sicut quòd Deus bonarum actionum causa est, non provenit nudè ex generali concursu, sed ex causis modò allatis.

21. Quòd si causa causæ concurrit speciali ratione tunc ratione istius concursûs quoque simpliciter est causa causati. Ità nullum dubium est, Deum actibus Simsonis & Apostolis in sanandis hominum morbis, speciali auxilio adfuisse, quæ opera propterea ipsi rectè accepta feruntur. Plura circa hanc materiam vide apud Bellarminum, *loc. cit.* & Becanum, *Theol. Schol. part.* 2. *tract.* 2. *c.* 6. *q.* 2.

22. Et hæc quidem de præsenti regula, quantùm ad

ad causam efficientem, de qua quidem plerumque usurpatur. Habet autem & in finali locum, quando inter plures fines unus ad alterum refertur, ut si unus sit ultimus, alteri ntermedius: Sic enim quòd finis est finis, est etiam finis medii ad illum finem; quemadmodum quia expulsio pravorum humorum est finis medicamenti, & sanitas est finis expulsionis pravorum humorum, sanitas etiam ipsius medicamenti finis est.

23. Valet & de causa materiali: quod enim est materia materiæ, est etiam materia materiati, sicut quia propositiones sunt materia syllogismi, & termini sunt materia propositionum, ideo & termini sunt materia syllogismi. In causa formali nullus ejus usus esse videtur.

24. Cæterùm, cùm causam causæ esse causam causati, bifariam possit dici; vel ut duæ illæ causæ ejusdem sunt generis, velut si utraque sit efficiens, vel utraque finis: quo sensu hactenus nos id explicasse, manifestum est: vel ut sint diversi generis, veluti si aliquid sit formalis causa causati, alterum verò sit causa efficiens istius causæ formalis. Quæritur, an etiam sit locus regulæ, quando causæ sint diversi generis?

25. Nos asserimus contra Fonsecam, *l. 5. Met. quæst. 16. s. 6* Primùm enim finis, qui est causa causæ efficientis, ut scilicet efficiens actu causet, est quoque causa finalis ipsius effectûs ab efficiente producti, v. g. scribis literas ad amicum, ut ipsum de fortuna tua certiorem facias. Hîc notitia rerum tuarum, quam amicum habere cupis, est causa finalis quæ facit ut tu actu sis causa & scribas, & per hoc quoq; est causa finalis ipsarum literarum scriptarum.

26. Secundò, quod est causa efficiens vel materialis formæ, ut est actu causa formalis, est quoq; causa efficiens vel materialis ipsius formati; ut id, quod educit formam è potentia materiæ, vel saltem eam materiæ unit, est causa efficiēs formæ, & eo ipso etiā ipsius compositi, cujus illa est causa formalis, sicut & materia, quatenus ex ejus potentia vel forma simpli-

ſimpliciter, vel ſaltem ratione unionis (quod fit in anima rationali) per quam eſt cauſa formalis, educitur, eſt cauſa cauſæ formalis, & per hoc etiam ipſius compoſiti, cujus ipſa formalis eſt cauſa.

27. Dico autem, *ut eſt actu cauſa formalis*, quia quod eſt cauſa efficiens formæ tantùm ſecundum eſſe abſolutum, & non ratione unionis ejus cum materia, per quam (unionem) actu & formaliter eſt cauſa formalis, non ſtatim eſt cauſa efficiens formati, quemadmodum parietem dealbaſſe dicitur, non qui gypſum confecit, ſed pictor qui ipſum parieti illevit. Quanquam enim gypſum non eſt forma parietis albi, quatenus albus eſt, forma tamen illa eſt albedo gypſi, quæ parieti unitur mediante gypſo.

28. Sic cauſa efficiens materiæ non eſt cauſa efficiens materiati, ſicut apes ceram conficientes non ſunt cauſæ efficientes operis arte ex cera facti. Quòd ſi aliquid ſit cauſa materiæ, ut cauſa eſt materialis, quale quidem eſt id, quod materiam formæ unit, de illo idem dicendum eſt, quod de eo, qui eſt cauſa formæ, ut eſt actu cauſa formalis, uniendo nimirum formam materiæ, (per unionem enim & formalis & materialis cauſa actu ſunt hujuſmodi cauſæ) nempe illud etiam eſt cauſa materiati.

Regula XIII.

Idem quatenus idem ſemper facit idem.

1. Vulgatum eſt philoſophorum pronunciatum, quod deſumſerunt ex Ariſtotele, *l. de gen. & corrupt. t. 56.* ubi ait, τὸ αὐτὸ καὶ ὡσαύτως ἔχον ἀεὶ τὸ αὐτὸ πέφυκε ποιεῖν, *idem & eodem modo ſeſe habens ſemper idem facere aptum eſt*, eóque utitur ad probandum generationis & corruptionis cauſam non eſſe motum primi mobilis, quia cùm is idem ſit & eodem modo ſemper ſeſe habeat, non poteſt eſſe cauſa diverſitatis mutationum in hiſce inferioribus, ità ut jam res generentur, jam intereant, ſed requiri aliquid, quod diverſo tempore diverſimodè ſeſe habeat. Id dicit eſſe motum ſolis, qui jam ad nos accedit,

cedit, jam recedit, accessúque generationis, recessu corruptionis causa est. Vide quoque ea quæ Philosophus disputat 8. *Phys. t.* 53. quæ istis non absimilia sunt, & præsenti nituntur axiomate.

2. Quod primariò pertinet ad causas naturâ vel necessariò agentes, non ad liberas: & quæstio ad cujus explicationem Philosophus illud adhibuit, causas naturales concernit, non ex arbitrii libertate agentes, sicuti patet ex §. præcedenti.

3. *Inquis:* Philosophus, *cit. t.* 53. *l.* 8. *Phys.* hujusmodi proponit argumentum: Primus motor nulli mutationi est obnoxius, sempérque eodem modo se habet: ergò semper atque ab æterno motum edidit (si enim jam movet & ab æterno non movisset, aliter atque aliter esset affectus) & per consequens motus & mobile æternum datur. Quod argumentum nititur præsenti regulâ; *Idem eodem modo se habens semper facit idem.* At primus motor, nempè Deus, est agens liberum. In agente libero ergò Philosophus quoque usum ejus agnovit.

4. Verùm nullum sententiæ nostræ ab hoc argumento infligitur vulnus, cùm multi interpretes ex hoc ipso & aliis locis disputent, Aristotelem statuisse Deum non liberè, sed necessitate naturæ movere, inter quos sunt Scotus, 1. *distinct.* 8. *q.* 4. Hervetus, *quodl.* 2. *q.* 4. Quos sequuntur Soncinas, 12. *Met. q.* 19. Javellus, *ibid. quæst.* 10. Conimbricenses, 8. *Phys. c.* 2. *q.* 5. & alii.

5. Videtur autem propositio illa vulgaris, *Idem quatenus idem semper facit idem,* non planè esse eadem cum Aristotelica, cùm Aristoteles non dicat ποιεῖ, *facit,* sed saltem πέφυκε ποιεῖν, *aptum est facere,* & sic Aristotelica de potentia loqui videtur, vulgaris autem de actu. Existimo nihilominus Aristotelis quoque verba de actu esse accipienda, cùm quæstiones, ad quarum determinationem ea adhibet, actum concernant.

6. Porrò non sine causa dicitur, *Idem, quatenus idem, vel eodem modo sese habens.* Nam eadem res, quæ naturâ agit, diversa imò contraria efficere potest, si diversimodè

diversimodè sese habeat, & aliter atque aliter constituta sit, quemadmodum eadem lingua, quæ in constitutione naturali hoc dulce esse judicat, idem ut amarum apprehendit si bilioso humore sit imbuta. Brassica, ut & lenticula, alvum lubricat & sistit, sed non quatenus est eadem: Illud enim facit ratione humidi sive succi, hoc ratione corporis solidi, sicut autor est Galenus, *l. 1. de facul. alien. c. 1. & l. 2. cap.* 44. Rutam & mentam virides flatus excitare & veneris pruritum, siccatas verò flatus discutere,& veneris impetum compescere, scribunt.

7. Sed adhuc obstare videtur. I. Quòd sol vel ignis eodem tempore & eodem modo sese habens induret lutum & liquefacit butyrum, calefacit exteriora corporis, ventriculum & alias interiores partes frigefacit. II. Quòd anima eodem modo affecta, facit ut pulmones dilatentur & contrahantur. Istæ causæ autem sunt naturales.

8. Verùm respondetur, illud *quatenus idem, vel eodem modo sese habens*, ità esse accipiendum, ut non solùm in se idem sit, sed etiam ut Suarez, *dis. Met. 16. s. 6.* §. 12. loquitur, in concursu & in concausis & circumstantiis ad agendum requisitis: vel dicendum, idem & eodem modo sese habens, facere idem, quantùm in se est. Quòd si agens naturale modò agat, modò non agat, id non ad ipsum per se est referendum, sed eò quòd objectum jam cum aliis requisitis est præsens, jam vel ipsum abest, vel aliud quoddam ex requisitis, quam doctrinam paucis complexus est Aristoteles, *l. 9. Met. t.* 18. quando ait, *Aliæ verò potentiæ, de quibus actum est, contradictionis sunt omnes. Quicquid enim movere hoc modo potest, potest etiam non hoc modo, si ratione moveat, quæ verò rationis expertes sunt, eò quòd aliquid adsit & absit* (τῷ παρεῖναι ἢ μὴ) *contradictionis sunt & ipsæ.* Quòd si etiam diversi ejus vel contrarii effectus conspiciantur, non id provenit à causa tali per se, sed à diversitate objectorum, vel aliorum quæ ad agendum requiruntur, quemadmodum patet in exemplo luti & butyri, quorum illud sol vel ignis indurat, hoc liquefacit. Proficisci

ficisci enim hanc effectuum diversitatem ex eo, quòd objecta diversa sunt, vel cœcus videat; indéque satis perspicitur, quòd semper lutum eodem modo se habens indurat, butyrum semper liquefacit; nunquam illud liquefacit, hoc indurat. Quò pertinet quòd stipulæ & alia in ignem conjecta statim comburuntur; linum asbestinum verò & ex eo confectæ mappæ igne non absumuntur, sed potiùs mundantur, sicut scribit Plinius, *l. 19. c. 1.* Quòd sol & ignis corpus calefaciunt, per se est, quòd autem ventriculum & alias partes internas refrigerant, per accidens contingit, & propter aliquod interveniens, quòd scilicet dum cutis calefit, pori ejus aperiuntur, quibus apertis calor internus exspirat, & sic interiora frigesiunt.

9. Quod attinet alterum de contrariis motibus pulmonum ab eodem principio, nempe animâ, effectis; respondet Fonseca, eos fieri propter diversos fines proximos, cùm pulmones ejiciendi calidi aeris causâ comprimantur, attrahendi frigidi extendantur. An forsan aliquid huc facit, quòd in ipso mobili occurrit quædam contrarietas (comprimitur enim dilatatum, dilatatur compressum) aut quòd ab hisce motibus nunquam desistit, sed perpetuò eos efficit, & quidem eodem modo & tenore, nisi ex caloris vehementia vel debilitate aut aliunde varietas aliqua accidat.

10. In causis liberis ex proposito agentibus, non perinde locum habet regula, siquidem illæ eodem modo sese habentes & præsentibus omnibus requisitis possunt agere & non agere, & requisitis eisdem exsistentibus, & eodem modo sese habentibus, possunt diversa agere.

11. Sunt tamen qui & causas liberas præsenti regulæ subjiciunt, arbitrantes hîc quoque, quando eadem causa diversa operatur occurrere in ipsa aliquam mutationem, & sic non planè eodem modo esse dispositam, ut licèt eodem penicillo pictor & Helenam aliquam & strigosam anum exprimat, intervenire tamen hîc diversas in animo pictoris ideas.

12. Verùm quid de ipsis ideis sive conceptibus,

qui in animo pictoris formantur dicemus? An non potest ex mera arbitrii libertate pictor se determinare ad diversas secum concipiendum ideas, ut diversas intuitu earum effingat picturas? Sed plura de hisce alibi.

13. Quòd si quis statuerit, non planè ullum propositionis nostræ esse usum in causis liberis, quantùm ad ea, quæ ad mores pertinent, quòd is v. g. qui ex habitu peccat, semper peccet, nisi materia peccandi deficiat, nec vel in ipso vel extra ipsum reperiatur propter quod continere sese cogatur, cum eo jam non litigabimus.

Regula XIV.

Idem est causa contrariorum.

Constitueramus & hujus regulæ explicationem hoc loco proponere, sed angustia chartæ exclusi in proximam aut aliam quandam sequentium disputationum eam rejiciemus.

Regula XV.

Principium latiùs patet quàm causa.

1. Est enim omnis causa principium, sicut & Aristoteles, *cap. 2. l. 5. Met.* ait: Sed non omne principium est causa. Nam privatio generationis principium est, ut ex 1. *Phys.* constat, non causa. Primum punctum lineæ, signum illud longitudinis seu viæ, ex quo quis moveri incipit, iteneris, aurora diei principium, non causa est. Theologi Latini, ut testatur Thomas, *p. 1. q. 33. a. 1.* Patrem in divinis principium filii asserunt, causam esse negant. Quod nos aliis discutiendum jam relinquimus. Hanc sententiam expresse legimus apud Averroem: Ità enim 5. *Met. comm.* 4. *Causa*, inquit, *est minùs universalis, quàm sit principium, quoniam causa solùm dicitur de quatuor causis: at principium dicitur & de causis & de motùs initio.*

2. Verùm hic se offerunt difficultates ex verbis philo-

philosophi. Nam in modò citato capite, *l.* 5. *Met.* ait, causam totidem modis dici, quot modis dicitur principium. Significat ergò principium & causam æquè latè patere ac converti. Quod & expressè jam antè docuerat 4. *Met. c.* 2. *t.* 3. his verbis, *jam verò ens & unum idem sunt & una natura, quòd mutuo se sequantur, quemadmodum principium & causa.*

3. Loca hæc plurimùm Interpretes torserunt. Viri Doctissimi respondent, nomen *causæ* aliquando latè & impropriè accipi, aliquando strictiùs & propriè. Latè sumit Aristoteles, 12. *Met. t.* 12. privationem *causam* appellans. Imò aliquando causa ipsi communius quid est & latius, angustius autem principium, quod constat *ex lib.* 5. *de gen. animal. c.* 7. ubi ait, *Hoc est principium esse, ut ipsum quidem sit causa multorum, sed ipsius nulla sit superior causa.* Juxta hunc locum omne principium est causa, quia per causam in recto definitur, non tamen omnis causa est principium, quia causæ secundæ non sunt principia, quod ipsarum superior aliqua est causa. Quò pertinet, quod *t.* 19. *l.* 3. *de an.* dicit, *Semper id quod efficit, præstabilius esse patiente, & principium materiâ.* Ubi patet significationem *principii* tam angustam esse, ut cum agente retrò currat, vel saltem ità restrictam, ut materiam non comprehendat. Respondetur igitur Aristotelem in *duobus thes. præced.* citatis locis, vocem *principii* accipere in significatu communi & latiori.

4. Quoniam responsionem *textui* 3. *lib.* 4. *Met.* omninò satisfacere censemus: loco autem *c.* 1. *l.* 5. *Met.* adhiberi commodè posse non videtur, quòd id ratio à Philosopho ibi assignata permittere non videatur, quemadmodum patebit ex §. 20.

5. Visum est adducere explicationem hujus loci, quam Gabr. Vazquez, *p.* 2. *t.* 2. *d.* 139. ex Alex. Alense affert, & dicit, ibi non esse illum sensum, quòd causæ totidem modis dicantur, quot principium; sed hunc, quòd principium præter illos modos, quos ipsis assignavit, dicatur iisdem vel tot modis, quibus vel quot dicitur causa, quos *cap. seq.* proponit.

Ait autem, in textu Aristotelis, esse subintelligendam voculam ἀρχὴ, *principium*, quam in verbis præcedentibus expresserat. Verba Aristotelis hæc sunt, ἰσαχῶς δὲ καὶ τὰ αἴτια λέγεται (supple) ἡ ἀρχή.

6. Hanc verò interpretationem ità deducit: Primùm quidem particula ἰσαχῶς significat idem quod Latinè *æquè*, vel, ut alii reddiderunt, *totidem modis*, vel *toties*. Deinde particula δὲ continuantis est, & significat idem quod *porrò*, sicut aliàs sæpè. At particula καὶ, quæ vim habet conjunctionis copulantis, hîc debet in alio sensu accipi, quem interdum habet, ut periti linguæ Græcæ testantur, pro *perinde atque*, vel pro *atque*, quæ habent rationem comparantis, & hoc præsertim, quia præcedit particula ἰσαχῶς quæ significat comparationem, nempe *totidem modis*, vel *toties*, vel *æquè*. Non ergò sic transferre debemus, *totidem modis autem & causæ dicuntur*, sed ità, *toties vel æquè porrò ac causa dicitur* (supple) *principium*.

7. Atque secundùm hanc explicationem optimè constat ratio Aristotelis quam istis verbis, de quibus controversia est, immediatè subjicit. Ait enim ἰσαχῶς δὲ καὶ τὰ αἴτια λέγεται· πάντα γὰρ τὰ αἴτια ἀρχαί. Quæ ratio non ità quadrare videtur ad expositionem §. 5. traditam; licèt aliàs eam non contemnamus. Quæ enim consequentia, Omnes causæ sunt principia, E. tot modis dicitur causa, quot principia? cùm quamvìs substantia sit ens, non tamen tot modis substantia dicatur, quot ens. Quòd si Aristoteles rationem suam ità formasset; Causa totidem modis dicitur, quibus principium, quia causa & principium sunt idem, aliquid concluderetur. At argumentatio: Causa est principium, E. principium præter modos, qui ipsi sunt assignati, dicitur etiam tot modis, quot causa, satìs est congrua.

Regula XVI.

Omnis causa agit.

1. Visum est in nostris hisce disputationibus de iis quoque agere, quæ pro regulis sive canonibus philosophicis ab aliis habentur, cùm revera non sint: in quibus numeramus præsentem propositionem, quam necessariæ veritatis principium esse nonnulli sibi per-

suaserunt. Hinc respondentes ad hunc syllogismum: Omnis causa agit. Materia non agit. E. Materia non est causa: concessâ majore negant minorē, nec verentur asserere, materiam quoq; agere. Utuntur autem autoritate Scaligeri, qui, *ex. 107 s. 27.* & *l. 2. de pl p. 292.* dicit, *Materiam hoc agere, ut forma exsistat, neq; dignam esse inter causas recenseri, si tantùm patiatur.*

2 Huic sententiæ videtur quoq; favere Arist. qui 2. *Phys. c. 3* & *5. Met c. 2.* inter modos τῶν αἰτίων, complectendo omnia eorum genera, etiam hos proponit, quòd vel sint *ὡς δυνάμενα*, vel *ὡς ἐνεργοῦντα*. Omnis ergò causa, quæ non ampliùs est *δυνάμει* causa, *ἐνεργεῖ*, h. e *operatur* sive *agit*. II. Gubernator in tēpestate negligens necessaria ad conservationē navis, est causa efficiēs naufragii. Non autē agēdo, sed potiùs non agēdo. III. Causa efficiēs habituū sunt crebræ actiones: at illæ non agunt, cùm actionis nulla sit actio.

3. Nos autē dicimus, I. *Materia non agit.* Quod testatur Philosophus, quando, *lib. 1. de gen. & corr. t. 55.* ait, *ἡ ὕλη ᾗ ὕλη παθητικόν*, *materia quatenus materia est principium passivum:* & *lib. 2. t. 53.* *τῆς μὲν γὰρ ὕλης τὸ πάσχειν ἐστὶ καὶ τὸ κινεῖσθαι· τὸ δὲ κινεῖν καὶ τὸ ποιεῖν ἑτέρας δυνάμεως.* *Materiæ est pati atque moveri: movere autem & agere alterius potentiæ.* Instituimus ejusmodi discursum: Si materia agit, fit hoc, aut quatenus educitur forma de ejus potentia, aut quatenus recipit formam in generatione, aut quatenus præsuppositâ generatione intercedit inter eam & formam unio in facto esse, aut quatenus constituit compositum. Consequentiam probo, quia nihil aliud in causatione materiæ considerari aut nominari potest, in quo ejus actio consistat. Sed non agit *primo* modo, quia *potentia* materiæ, ex qua forma dicitur educi, non *est* nisi *passiva*, & sic illam eductionem materia non respicit, nisi per potentiam passivam, sicut norunt & concedunt omnes ii qui norunt, quid sit *formam educi de potentia materiæ:* At quod non respicit aliquid aliter, quam per potentiam passivam, id non dicitur agere, siquidem ut aliquid *agere* dicatur, necesse est ut per potentiam *activam* influat. Non *secundo*; quia

quia *recipere* non est agere sed *pati*. Sed neque *tertio*, quia *unio* non est actio, unitio quidem est actio, sed unio *est terminus actionis*, nempe unitionis scilicet actionis, quâ alterum alteri unitur: terminus autem unitionis non est actio, aliâs actionis esset actio. Non etiam *quarto*, quia materia constituit compositum vel in fieri & sic non agit, quia constituit compositum in fieri non nisi per generationem, quatenus est subjectum generationis: at quod concurrit ad generationem non nisi ut subjectum, id non dicitur agere: vel in facto esse, & neque sic agit, quia constituit compositum, in facto esse non nisi per unionem. Siquidem hoc ipso, quòd materiâ cum forma unitâ, compositum constitutum est, neque ad hoc ulla nova entitas præter unionem requiritur.

4. *Forma non agit. Agere* enim *est dare alicui esse*, non propriam suam, sed *numero* saltem *diversam entitatem* & perfectionem ipsi *exhibendo* vel communicando: At forma dat esse rei, cujus est forma, ut communicet ipsi propriam & eandem, quam ipsa habet, numero perfectionem, non producendo aliam entitatem. Ergò forma non agit. Illustrabimus rem exemplo: Ignis facit aquam calidam agendo, quia aquæ non communicat illum ipsum calorem quem in se habet, sed alium calorem in aqua producit. Calor productus ab igne in aqua, qui est forma aquæ calidæ, etiam facit aquam calidam, non producendo novum calorem in illa aqua, sed quia ipse immediatè unitur cum aqua, tanquam forma cum materia, vel tanquam accidens cum subjecto. Vide Fonsecam, 5. *Metaph.c.* 2. *q.* 2. *s.* 2. Zabarellam *de mente agente c.* 3.

Dicis: Anima agit. Anima est forma, ergò quædam forma agit. Major patet, quia anima intelligit: Item est principium activum, quo moventur membra corporis. *Respondeo.* Una eadémque res diverso respectu potest sustinere diversarum causarum denominationem, & sic anima respectu corporis animati est forma: respectu intellectionis & motûs membrorum est causa efficiens. Anima

agit non quatenus causa formalis, sed *quatenus efficiens est.* Quando autem nos negamus formam agere, loquimur de forma ut forma, scilicet ut causa formalis est. Concedimus formam agere, sed eatenus non habet rationem *formæ*, sed pertinet ad genus causæ efficientis.

5. *Finis non agit.* Loquimur enim de eo quod *propriè* agere dicitur; At ut omnes fatentur, & ii cum quibus nobis res est, finis tantùm metaphoricè agit, idque *in cit. text.* 55. *lib.* I. *de generat. & corrupt.* expressè scribit Aristoteles, quando dicit, Cujus gratiâ cætera fiunt (*quibus verbis finem describit*) activum non est. Quapropter sanitas (*tanquam finis*) non est activa, nisi per *metaphoram.*

6. Sed proponemus argumentum generalius, quod directè contradicat illi propositioni, *Omnis causa agit.* Si omnis causa agit, omnis causa est efficiens, atque ità unum tantum erit genus causarum, neque dabuntur tria distincta à causa efficiente causarum genera. Consequentiam probo, quia quicquid agit, est agens, sicut quicquid ambulat est ambulans, & quicquid videt, est videns, &c. Sed omne agens est causa efficiens, id quod ipse etiam Timplerus, cui plurimùm tribuunt illi qui negotium modò nobis facessunt, *l.* 3. *Met. c.* 2. *q.* 5. profitetur.

7. Quæ ratio etiam probat nec materiam agere, nec formam, nec finem, quia si unum ex his generibus causarum ageret, hoc ipso comprehenderetur sub causa efficiente, neque genus causarum peculiare constitueret, & sic quaternarius generum causarum numerus periret, quem tamen sanctè omnes custodiendum censent.

8. *Omnis & sola causa efficiens agit.* Quòd *omnis* causa efficiens agat, patet ex significatione vocis. *Efficere* enim *est agere:* sicut & effectio est actio. Eo ipso igitur quo aliquid est propriè causa efficiens, agit. Quò facit quòd Philosophi disputant, actionem esse causalitatem, scilicet rationem formalem causæ efficientis. Quod si verum est, nulla causa efficiens esse potest quæ non agat, cùm nihil esse possit si-

ne sua ratione formali, sicut album non potest esse sine albedine. Sunt nonnulli inter quos numerandus videtur Cajetanus, *pag.* 1. *q.* 73. *art* 6. *ad.* 3. qui statuunt, aliquid esse posse causam efficientem alicujus *sine actione*, solùm per naturalem emanationem aut resultantiam, quomodo subjectum aut ejus formam aiunt esse causam proprietatum & accidentium, ut animam suarum facultatum: v. g. intellectûs & voluntatis, formam ignis sic esse causam caloris summi, summum calorem summæ raritatis & levitatis, sicut apertè scribit Zabarella 1. *de propos. necessariis* c. 10. & 2. *de medio demonstrat. c.* 5. imò sic ipse distinguit inter causam efficientem *Internum*, quam vocat, cùm effectus à causa non distinguitur subjecto, sed in ipsa causa aut in eo subjecto est in quo est causa, quomodo τὸ *rationale* statuit esse causam risibilitatis, quomodo voluntas est causa actûs appetendi: & *Externum*, & est id quod effectum extra se in alio subjecto producit, quomodo ignis est causa caloris producti in aqua. Jam asserit causam effectricem internam non agere, & effectum ab ea dependere sine actione, hanc ob causam, quòd nihil agat in seipsum.

Nos *respondemus*, sæpè ea quæ statuuntur à subjecto per naturalem resultantiam prodire, *solâ ratione* distingui à subjecto, quemadmodum localitas est proprietas quantitatis & ab ea solâ ratione distinguitur, idémque forsan verum est de risibilitate, quòd scilicet à rationali non distinguatur secundùm rem. Estque admodum probabilis sententia Scoti & Nominalium *potentias animæ ab anima non differre realiter*. Ex hac igitur parte instantiæ de iis quæ per resultantiam à subjecto prodire dicuntur, non officiunt nostræ conclusioni, quia in hisce illud, quod dicitur causa efficiens per *resultationem* non est vera causa, cùm ad hoc, ut aliqua vera ejus causa sit, requiratur, ut ab eo realiter distinguatur. De calore & similibus quod dicitur, quòd si ejus causa efficiens dicatur esse non *forma* & *natura* ignis, sed statuatur produci ab illo ipso agente externo, quod ignem

ignem generat, ità ut illud *agens*, si sit alius ignis calore suo, aut si sol sit mediante lumine producat summum calorem, tanquam necessariam dispositionem pro forma ignis in subjecto, quod in ignem convertitur; Zabarella expressè scribit, Causam internam non esse propriè dictam causam effectricem: quo posito, nostræ conclusioni non adversatur, utpote quæ de causa effectrice *propriè* dicta loquitur. Quanquam certè, si ut dicunt, anima potentiarum suarum, & forma ignis summi caloris causa efficiens est, ità ut nulla alia particularis causa efficiens eorum propriè dicta sit, omnino necesse esse videatur, hîc intervenire actionem Nam anima potentias suas, si ab ea realiter distinguuntur, & ignis calorem recipit in se tanquam subjectum: Sed *recipere est pati*; & exercetur per potentiam passivam. At *impossibile est passionem esse sine actione.* Quòd si igitur potentiæ animæ & calor ignis fiunt interventu passionis, necesse est etiam causam efficientem adesse, quæ eis agendo det esse. Cùm igitur nullam illi, quos contra disputamus, assignent causam efficientem præter animam à qua potentiæ, & formam ignis à qua calor fluat, necesse est, ut istæ sint causæ efficientes horum effectuum per *actionem*. Rationem, quam Zabarella adfert, quòd *nihil* sc. *agat in seipsum*, infrà considerabimus.

9. Deinde etiam quod dictas affectiones attinet, Suarez, *disp. Met.* 18 *s.*3 quem sequitur Ruveus, 2. *de an. tract. de pot. an. q.* 6. emanationē sive resultantiam illam veram & propriè dictam actionem esse asserit. Alii autem, inter quos Soncinas, 9. *Met. q* 8. Fonseca, 5. *Met. c.*2. *q.* 6 *s.*5. Toletus, 2. *de an. q.* 9. Conimbricenses, *ibid. c.*3. *q* 3. *a.*3. id negant. Sed neque istorum sententia nostram assertionem convellit, quia secundùm eos vera causa efficiens propriorum accidentium non rei essentia est, sed ipsum generans, quod per veram actionem ipsum subjectum, & mediante eo proprium accidens tanquam terminum secundarium necessariò producere statuunt, juxta illud vulgatum, Dans formam dat consequentia formæ, &

hac ratione dici propria fluere vel emanare à natura subjecti, quòd nimirum tantam habeant cum eo connexionem, ut, dum ipsum producit generans, ei necessitas imponatur simul producendi ipsa propria tanquam terminum secundarium. Videatur Collegium Complutense, *disp. phys.* 10. *q.* 7. quod præ aliis, quos vidi, enucleatè hanc rem exposuit.

10. Ad II. respondetur, sermonem hîc esse de causa efficiente, quæ talis est per verum influxum (quâ voce nos idem significare, quod nomine *actionis* existimandum non est, cùm reliquis quoque causarum generibus suo quodam modo influxum adscribamus) & vocatur à nonnullis causa physica. Gubernator ille naufragii causa efficiens dicitur non nisi moraliter, quâ ratione ad hoc genus causæ is etiam refertur, qui non impedit aliquid fieri, cùm possit & debeat impedire, quamvìs in id nullum præstet influxum.

11. Ad III. Actiones crebræ non sunt propriè causa habitûs efficiens, sed potiùs sunt rationes formales, quibus aliquid est causa efficiens, quas scholasticorum filii vocant *causalitates*.

12. Ad id, quod §. 2. ex Aristotele adductũ est, dicimus nomen ἐνέργεια apud Aristotelem non semper significare actionem aut motionẽ; Sufficit unum atq; alterum locum attulisse, *Lib.* 8. *Met. c.* 2. hæc ejus sunt verba: τί δέ ἐστι νηνεμία; ἠρεμία ἐν πλήθει ἀέρος· ὕλη μὲν ὁ ἀήρ, ἐνέργεια δὲ καὶ οὐσία ἡ ἠρεμία, *Quid est serenitas aeris? Quies in multitudine aeris, materia quidem est aer, ἐνέργεια verò & substantia est quies.* Luculentissimum sanè testimonium: Nam ἠρεμία, quæ hîc ἐνέργεια dicitur, non importat suo significatu actionem, non motionem, cùm potiùs sit privatio motionis; neque νηνεμίας essentia, quæ dicitur esse ἠρεμία, consistit in actione, sed ut & ipsum nomen ostendit, & res ipsa est evidentissima, in negatione vel absentia ventorum. Ità & 8. *Phys. cap.* 4. *t.* 32. ἐνέργεια δὲ τοῦ κούφου τὸ ποῦ εἶναι καὶ ἄνω, id est, ἐνέργεια *ejus, quod est leve, est alicubi esse & in loco supero.* At in loco supero esse potest, ut nihil agat.

Quòd

Quod autem de nomine ἐνέργεια diximus, id de verbo ἐνεργεῖν observandum est, quod interdum apud Aristotelem non significat *agere* vel *operari*, sed *actu* aut *reverà esse*, quod vel ex 9. *Met. c.* 3. perspicitur, ubi refellens sententiam Megarensium, qui dicebant actum & potentiam esse idem, & tunc solùm aliquem, cùm actum habet, habere potentiam ad illum actum, cùm autem actum non habet, neque potentiam ad eum habere (ὅταν ἐνεργῇ, μόνον δύνασθαι, ὅταν δὲ μὴ ἐνεργῇ μὴ δύνασθαι) inter alia ad id eos ducit absurdum, quòd si illa sententia vera esset, sequeretur eum, qui sedet, semper sedere, neque unquam fore ut stet, quòd hac ratione, qui ἐνεργεῖ in sedendo, ut Alexand. *ibi loquitur*, id est, actu sedet, non haberet potentiam standi, sed tantùm sedendi : nunquam ergò stabit. Itaque eo loco ἐνεργεῖν in sedendo non significat actionem, sed idem est, quod revera sedere, quemadmodum ἐνέργεια, ut patet ex 9. *Met. t.* 16. licèt actionem vel operationem denotet, ejus usus tamen extensus est ità, ut tàm latè pateat, quàm vox ἐντελέχεια, idémque cum ea significet, nempe id, quo aliquid revera est. Vide plura apud doctissimum Monlorium *in libello de entelechia*, ubi simul locum §. 1. citatum explicat, & egregiè superiùs propositam à nobis doctrinam de actione causarum confirmat.

13. Aristoteles (ait) *tùm* 2. *Phys. cap.* 3. *tùm* 5. *Met. cap.* 2. *ubi tradit varios modos & rationes causarum, inter eos hos quoque adfert :* τὰ μὲν ὡς δυνάμενα λέγεται, τὰ δ' ὡς ἐνεργοῦντα, id est, *aliæ causæ dicuntur, quia esse possunt; aliæ, quia revera sunt. Ubi* ἐνεργεῖν *non potest significare aliquid agere, sed revera esse. Nam si id tantum diceretur de causa efficiente, posset admitti illa interpretatio, idem enim est causam efficientem revera esse, quòd aliquid agere : At vero dicitur de omnibus causis, quamvis Arist. exemplum adferat in causa efficiente : nam paulò inferiùs sic habet :* πάντα δὲ ἢ ἐνεργοῦντα, ἢ κατὰ δύναμιν, id est, *omnia causarum genera, aut quia reipsa sunt, dicuntur esse,*

aut quia esse possunt. Quid igitur est materiam ἐνεργεῖν? non sanè agere, cùm nullam prorsus habeat actionem, sed reipsâ causam esse. Ut æs, antequam ex eo fiat statua, materia est statuæ potestate, facta verò statua dicitur ἐνεργεῖν, hoc est, reverà esse materia. Hæc Monlorius.

REGULA XVII.

Effectus non prædicatur de sua causa; nec, vice versâ, causa de effectu.

1. Ita Deus mundi, Sol caloris causa efficiens est: at dici non potest, Deus est mundus, Sol est calor.

2. Inquis I. Possum tamen dicere, mundus est creatus à Deo, calor est productus à Sole. II. Veræ sunt sequentes propositiones: Eclipsis est interpositio terræ inter Solem & Lunam, tonitru est exstinctio ignis, ira est ebullitio sanguinis circa cor: at interpositio terræ eclipsis, sanguinis ebullitio iræ causa est, sicut ignis exstinctio tanquam causa tonitru ponitur.

3. Respondeo: Bifariam potest aliquid de aliquo prædicari, in recto & in obliquo. In recto prædicari, est simpliciter prædicari, in obliquo verò non est simpliciter, sed tantùm secundùm quid, quæ doctrina est conveniens iis, quæ scribit Aristoteles, 1. *prior. cap.* 37. & ratio est: quicquid prædicatur, est prædicatum enunciationis: at quod prædicatur in obliquo, non est prædicatum enunciationis, licèt contineatur in prædicato, vel sit pars prædicati. Ergò id, quod prædicatur in obliquo, non prædicatur. Major ex terminis nota est. Minor patet: Quilibet enim vel mediocriter Logices gnarus dicet, hujus prædicationis, Mundus est creatus à Deo, prædicatum esse, *creatus à Deo*: id autem, quod significatur hoc ablativo, *Deo* vel *à Deo*, non esse prædicatum sed tantùm in eo includi. Eadem ratio est alterius enunciationis. Regula itaque loquitur de prædicatione simpliciter, quæ est in recto, non de ea, quæ in obliquo, quia, ut dixi, id quod in obliquo prædicatur, non reverà prædicatur.

4. Alterum

4. Alterum quòd attinet, illustris Zabarella, *lib.* 1. *de med. dem. cap.* 9. dicit causas illas prædicari de suis effectibus, non ut causæ sunt, sed ut sunt definitiones: at causam de effectu prædicari non posse in casu recto, ut est causa, posse nihilominus ut est definitio.

5. In qua responsione nos non acquiescimus, propterea, quod allatarum in argumento secundo, §. 2, propositionum prædicata non aliâ ratione definitiones sunt, quàm quâ sunt causæ. Si ergò non prædicantur in recto ut sunt causæ, nec prædicantur ut sunt definitiones.

6. Nos respondemus, illas prædicationes esse improprias. Sermo autem nobis hîc est de prædicatione propria.

7. Sed necdum omne dubium sublatum est. Nam cùm dico, Rationale est risibile, effectus de causa prædicatur in recto, quod probatur, quia hæc est demonstratio: Omne rationale est risibile. Omnis homo est rationalis. E. Omnis homo est risibilis. At in omni demonstratione terminus medius, qui hîc *rationale* est, est causa; & major, qui hîc *risibile*, est effectus.

8. Respondere possumus bifariam: primò adhibendo distinctionem inter causam internam & externam, (cujus distinctionis membris ità utimur, ut non solùm dividunt causam in genere, quomodo materia & forma causæ internæ dicuntur, omnes autem finales & efficientes externæ; sed etiam ut dispescant causam efficientem, & externa dicitur quæ producit effectum extra se & subjectum, in quo ipsa est, qualis causa est architectus respectu domûs, ignis vel calor ejus respectu caloris, quem in aqua producit: interna verò, quando effectus in eo subjecto exsistit, in quo est causa, quomodo ratio est causa risibilitatis) & simul dicendo, aliud esse loqui de causa & effectu, si vel utrumque vel alterum saltem vocabulis abstractis significetur, aliud, si utrumque concreto exprimatur. Quando prius fit, non datur prædicatio inter causam & effectum, sive

causa

causa interna sit, sive externa, ut, ratio vel rationalitas non est risibilitas, sicut nec rationale in concreto est ipsa risibilitas, nec ignis vel calor ignis est calor in aqua ab igne productus: Posterius autem quando fit, inter causam & effectum omnino locum habet prædicatio, saltem si causa sit interna, & sic verum est, si dicatur, Rationale est risibile.

9. Et ratio diversitatis est, quia in posteriori casu id, quod significatur per voces causæ & effectûs in recto, est unum idémque, ut rationale, est animal habens rationem; & risibile, animal habens potentiam ridendi, unum autem idémque animal est, quod rationis particeps est & potentiæ ridendi. At quandocunque aliqua ità se habent (sive causa & effectus sint, sive quæcunque alia inter ea habitudo intercedat) ut id, quod in recto significant, una sit & eadem res, tunc illorum unum de altero in recto prædicari aptum est, quia scilicet τὸ εἶναί ἐστι συγκεῖσθαι καὶ ἓν εἶναι, *esse* (per quod verbum fit prædicatio sive enunciatio affirmativa) *est componi atque unum esse, 9. Met. t. 21.* Hinc rectè dicitur, Album est dulce, quia utrumque in recto significat idem subjectum. Est enim album res affecta albedine, & dulce est res affecta dulcedine. Sed datur una eadémque numero res, quæ utrâque affecta est, ut lac. Quando verò id, quod in recto aliqua significant, non est unum, sed duo diversa, quòd fit tunc, quando aliqua, licèt fortassis in eodem quidem subjecto sunt, abstractis tamen vocibus significantur, ut albedo & dulcedo. Utrumque enim significat qualitatem in recto, sed non est eadem qualitas albedo & dulcedo, sed sunt qualitates diversæ: Subjectum autem, quod idem esse potest v. g. lac, significant tantum in obliquo. Eadem ratio est, si unum abstractum sit, alterum concretum, ut albedo & lac: Namque & hîc, quæ in recto significantur, diversa sunt. Albedo enim est qualitas, lac verò est substantia, & subjectum habens qualitatem. At subjectum & qualitas ejus non sunt eadem entitas. Hinc falsæ sunt prædicatio-

nes

ones, albedo est dulcedo, albedo est lac, vel lac est albedo. Idem asserendum, quando concretis quidem utrumque exprimitur vocibus, ea tamen, quæ in recto significantur, non sunt unum, sed plura, ut sint separata, v.g. Æneas genuit Ascanium, sed non est Ascanius, quia licèt in recto utrumque nomen significat hominem; alius tamen homo est Æneas, alius Ascanius. Quæ igitur ejusmodi sunt, i. e. quæ in recto non unum significant sed duo, illa non affirmari sed negari de se invicem debent, quia τὸ μὴ εἶναί ἐστι τὸ μὴ συγκεῖσθαι, ἀλλὰ πλείω εἶναι *non esse* (per quod verbum fit enunciatio negativa,) *est non componi, sed plura esse* t. cit. Cui loco geminus est *textus lib. 6. Met. c.* 2. τὸ μὲν γὰρ ἀληθὲς τὴν κατάφασιν ἐπὶ τῷ συγκειμένῳ ἔχει, τὴν δ' ἀπόφασιν ἐπὶ τῷ διῃρημένῳ, habeat enim verum affirmationem in conjunctis, in divisis negationem.

10. Huc pertinet, quod objicitur, Deum esse causam efficientem hominis, cùm tamen in mysteriis fidei Christianæ Deus sit homo. Non enim id regulæ adversatur, propterea, quòd propter unionem personalem in Christo, id, quod Deus in recto significat, & id, quod homo, est unum & idem, nempe persona τοῦ λόγου, cùm Deus & homo una numero sint persona.

11. Verùm superior determinatio nondum rem planè expedire videtur. Dicimus enim rectè, ignis calefacit, liquefacit, plumbum scilicet vel ceram, &c. cùm tamen ignis calefactionis & liquefactionis causa efficiens non interna, sed externa sit; siquidem hi motus non in igne sunt, sed extra eum in patiente. Ergò non tantum effectus in concreto prædicatur de causa interna, sed & de externa. Idem patet, cùm dicimus, ædificator ædificat.

12. Responderi potest, effectum esse duplicem, *rem scilicet productam* quæ peractâ actione subsistit, ut domus vel calor aquæ ab igne per calefactionem productus, *& ipsum fieri rei vel motum aut actionem ipsam*, ut ædificatio, calefactio. Prior de causa non

prædicatur.

prædicatur. Non enim ædificator estdomus, neq; rectè dico, Ignis est hoc calidum, monstratâ aquâ, quam calefac.t. Posterior prædicatur in concreto, ut probat argumentum §. *præced.* cujus causa est ea, quæ §. 9. fuit assignata, quòd nimirum effectus hujusmodi voce concretâ activâ expressus, quantum ad id, quod in recto significat, est numero idem cum ipsa causa, sicut ignis & id, quod calefacit, ædificator & is, qui ædificat idem est.

13. Non deest tamen & alius respondendi modus ad ea, quæ §. 4. adducta sunt, quòd nimirum in hac propositione, Rationale est risibile, subjectum non sit causa prædicati; ídque indè constat, quòd rationale nihil aliud est, quàm res habens rationem; risibile nihil aliud, quàm res habens risibilitatem: Unde illa propositio hoc dicit: Res habens rationem est res habens risibilitatem: at res habens rationem non est causa rei habentis risibilitatem, quia res habens rationem, & res habens risibilitatem est una eadémque res: sed unum idemq; non causa est sui ipsius, per *reg.* 1. *tit.* 3.

14. Puto autem sufficere ad demonstrationem, prædicationem effectûs de causa in obliquo, vel causam & effectum per medium & majus extremum importari, & in iis contineri, quod fit, cùm dico, rationale est risibile, sive, res habens rationem est res habens risibilitatem. Ratio enim hîc est causa risibilitatis. Idem dicendum de hisce: ignis calefacit, ædificator ædificat; τὸ calefacit, & τὸ ædificat idem sunt, quod τὸ est calefaciens, & τὸ est ædificans, per 5. *Met. cap.* 7. Calefaciens autem non est effectus ignis nec ædificans ædificatoris, cùm calefaciens sit ipse ignis, & ædificans ipse ædificator. Ergò nec in positis propositionibus prædicata sunt effectus subjectorum: effectus autem, calor, ædificium, vel etiam calefactio, ædificatio, verbis calefacit, ædificat includuntur vel inferuntur.

15. Objicis iterum: Causa non prædicatur de effectu, vel effectus non est causa. Causa efficiens

sive

sive generans Ascanii est homo, nempe Æneas. E. Ascanius non est homo. Quæ conclusio cùm falsa sit, minor vera, majorem falsam esse necesse est.

16. Respondeo: Causa non prædicatur de effectu aut vice versâ, nomine proprio vel individuum significante; prædicatur tamen specifico nomine, ut quando causa est univoca, quia ipsa & effectus non sunt idem numero, sunt tamen idem specie, ut, Ascanius non est Æneas, est tamen homo, sicut ejus pater Æneas est homo: quando autem est æquivoca, inter eam & effectum interdum datur prædicatio sub nomine generico, ut rana à sole genita non est sol, est tamen substantia, sicut sol est substantia; interdum autem nè sub nomine generico quidem prædicatio datur, ut si causa significetur nomine substantiæ, effectus verò sit accidens. Hæc enim nullum genus commune habent. Unde dici potiùs debet, in superioribus illis propositionibus aliquid, quod de causa prædicatur, prædicari quoque de effectu, & vice versâ, quàm causam prædicari de effectu, aut vice versâ. Istæ enim prædicationes, Ascanius est homo, Rana est substantia, non sunt causæ de effectu, sed prior speciei esset de individuo, posterior generis de specie.

17. Ex quibus etiam patet, non plus efficere illos, qui artem esse habitum negant, quòd sit causa habitûs, quàm si quis colligat, Æneam non esse hominem, quòd sit causa efficiens hominis.

Regula XVIII.

Causæ sunt sibi invicem causæ.

1. Ἔστι δὲ τινὰ καὶ ἀλλήλων αἴτια. *Sunt etiam quædam sibi invicem causa*, ait Philosophus, 2. *Phys. t.* 30. & 5. *Metaph. cap.* 2. ídque manifestum est in causa finali & efficiente, per quas illam propositionem Aristoteles quoque declarat. Deambulat enim aliquis sanitatis causâ, & sic sanitas est

causa

causa finalis, quòd deambulet, cujus sanitatis ille ipse, qui deambulat, per hoc quod deambulat, causa efficiens est.

2. Cæterùm cùm aliquid esse causam alicujus causæ bifariam dicatur, primò, ut res quædam est sive secundùm esse absolutum, deinde ut est causa, sive ratione causalitatis, illud evidens esse videtur, finem esse causam finalem efficientis, quoad causalitatem ejus, efficiens verò esse causam finis, quoad esse ejus, sicut docent Albertus Magnus, 2 *phys. tr. 2. c. 6* & Thomas, *in cit. locos Arist.* quos sequuntur plures alii. Primùm patet, quia actio est causalitas efficientis, pérque eam est agens sive efficiens formaliter. Movetur autem ad agendum à fine, éstque finis causa propter quam actio est. Secundum quoque manifestum est, quia finis, quando movetur agens vel efficiens ad agendum, nondum est, postmodum efficitur. Quod ipsum de fine *cujus* intelligendum est, non de fine *cui*. Hic enim præexsistit, neque ab agente efficitur, quemadmodum finis *cui* actûs medendi est æger, qui à Medico & medicamentis non efficitur, sed præexsistens fini *cujus*, nempe sanitati, restituitur.

3. Dicis: Neque finis *cujus* semper efficitur, sed sæpe jam antè exsistit, quæ res clara est in puella, quæ finis est proci. Quæ causa est, quòd finis vulgò duplex constituatur, efficiendus, & obtinendus.

4. Resp. Esse puellæ non est finis ejus qui conjugium ipsius ambit, sed possessio & fruitio. Licèt igitur puella sit tunc, quando quis eam procatur; nondum tamen ejus est possessio & fruitio, sed hæc demum sequuntur. Eadem ratio est reliquorum, quæ dicuntur *fines obtinendi*.

5. Suarez, *disp. Met. 27. s. 2.* finem esse causam efficientis cujusdam secundùm esse, ut actum intelligendi esse causam finalem intellectûs, imò universim potentiam esse operationis gratiâ asserit, & rem imprimis evidentem esse putamus exemplo medicamentorum, quæ sanitatem efficiunt, propter quam tanquam causam finalem facta sunt.

6. Materia quoque & finis sibi invicem causæ esse possunt

possunt. Materia enim est propter compositum, tanquam propter causam finalem, quod compositum vicissim ex materia constituitur. Ità lateres & lapides sunt materia domûs, quæ vicissim ipsorum finis est. Non enim domus est lapidum aut laterum gratiâ, sed hi sunt gratiâ illius, ait Aristoteles, 2. *de part. anim.* c. 1. Partes similares quoque sunt materia dissimilarium, quæ vicissim illarum fines exsistunt; sunt enim similares gratiâ dissimilarium, ut iterum *ibid.* Philosophus dicit.

7. Imò & materiam causam materialem formæ, & formam vicissim causam finalem materiæ esse asserit Suarez: quorum prius indubitatum est illis, qui formam è potentia materiæ educi statuunt, posterius *t.*37.*lib.*2.*de an.* fundari videtur.

8. Existimaverit fortassis aliquis, mutuam inter materiam & finem causalitatem ostendi posse ex eo, quòd conclusio est causa finalis præmissarum, præmissæ verò sunt materia ejusdem, ut patet *ex* 2.*Phys.* *t.* 31. 74. 89, 90. Verùm quid de hoc argumento sentiamus, non difficulter colligi poterit ex iis, quæ §. *ult.* afferentur.

9. Nec obesse nobis hîc arbitramur *c. ult. lib.* 2. *phys.* ubi docetur, finem esse causam materiæ, materiam verò non esse causam finis: quamvis istum locum non hîc, sed infrà *in t. de mat.* simus consideraturi

10. Idem Suarez materiam quoq; & formam sibi invicem causas esse asserit. Sed nobis hac de re jam agere non placet. Et videntur ea, quæ exposita hactenus sunt, sufficere, imprimis cùm Philosophus non dicat, omnes causas aut omnia causarum genera invicem causas esse, sed tantùm, *quædam*, inquit, *sunt sibi invicem causæ*. Id verum est, mutuam causalitatem intercedere nec efficienti cum materia aut forma, neq; inter quascunque causas ejusdem generis.

11. Suaretz negat, mutuam inter formam & finem intercedere causalitatem. Argumentum ejus est, quòd forma consideretur vel ut est finis generationis, vel ut ordinatur ad aliam formam ut finem, sed neutro modo inter finem & formam mutuam exerceri

causalitatem

caufalitatem probat. Verùm quicquid de re ipſa ſit, argumentum ejus nullum eſt, quia poteſt dari tertium disjunctionis membrum. Dixerit enim quis formam conſiderari poſſe quoque reſpectu compoſiti, cujus eſt cauſa formalis, & ut materiam ità & formam referri ad compoſitum ut ad finem. Probationem utriuſq; membri Suarezianam afferre nihil attinet cùm oſtenſum jam ſit, propoſitionem eſſe morbidam.

12. Cauſas ejuſdem generis non eſſe ſibi invicem cauſas, ut efficiens non poſſe eſſe cauſam efficientem ſui efficientis, neque materiam cauſam materialem ſuæ materiæ, &c. ea *loc. Ariſt.* §. 1. *cit.* confirmari poſſe docent, quòd ibi dicat Ariſtoteles, quaſdam eſſe ſibi invicem cauſas, ſed non eodem modo. Verba hæc ſunt; *Sunt etiam quædam ſibi invicem cauſæ, ut labor eſt cauſa firmæ corporis conſtitutionis, atque hæc eſt cauſa laborandi, non tamen eodem modo, ſed hoc eſt cauſa ut finis, illud autem ut principium motûs.*

13. Verùm nemo non intelligit, illam determinationem, *non tamen eodem modo*, non reſpicere niſi iſtud exemplum de labore & firma corporis conſtitutione. Nec video, quomodo indè probari queat, in univerſum non poſſe cauſas ejuſdem generis ſibi invicem eſſe cauſas: quamquam certè res ipſa certiſſima eſt ejúſque firmiſſimam probationem vide apud Suarezium, ut & illius quod de efficiente reſpectu materiæ & formæ §. 8. aſſeruimus.

14. *Dicis* I. Si quædam ſunt ſibi invicem cauſæ, idem erit eodem prius & poſterius; prius quidem, quatenus eſt illius cauſa, poſterius autem quatenus illud viciſſim ipſius eſt cauſa, & ipſum eſt illius effectus; imò idem prius erit ſeipſo, quoniam prius priore, eſt prius poſteriore.

15. *Dicis* II. Vapores ſunt materia pluviarum & pluviæ viciſſim vaporum. Præmiſſæ ſunt materia concluſionis, ut antè vidimus ex Ariſtotele. Sed concluſio eſt viciſſim materia præmiſſarum, quatenus ex quæſtione unà cum termino medio tanquam materiâ

præmiſſæ

præmissæ constituuntur: quæstio autem & conclusio non materiâ, sed τρόπῳ tantùm differunt, quemadmodum de propositione & problemate asserit Aristoteles, 1.*Top.c.*4. Ergò quædam sunt sibi invicem causæ in eodem genere.

16. Ad I. dicimus, Finem ut actu est in rerum natura, esse effectum & posteriorem aliis causis, posteriorem, inquam, tempore vel ordine naturæ generantis; ut verò esse suum potentiâ obtinet, vel etiam ut habet esse cognitum sive objectivum in intellectu esse causam & illis priorem & quidem in ordine naturæ intendentis. Quin secundùm esse cognitum aut ut est potentiâ est prior seipso quoad esse reale. Absurdum est idem esse tum alio tum seipso & prius & posterius secundùm idem esse & eodem prioris & posterioris genere; diverso autem genere aut secundùm esse diversum inconveniens non est.

17. Ad II. dicimus, Non esse eosdem numero vapores qui ex pluvia efficiuntur cum iis qui sunt ejusdem materiæ, utì patet. Idem censemus dicendum de terminis quæstionis vel conclusionis & præmissarum. Cùm enim in conclusione & præmissis fiat repetitio eorundem terminorum, quomodo sunt iidem numero termini? Accedit, quòd nec quæstio nec conclusio sint eadem numero oratio, nec iisdem numero constent terminis. Quando autem Philosophus affirmat, quædam sibi invicem causas esse, id vult, nempe eandem numero rem quæ aliam causat, ab eadem vicissim causari.

REGULA XIX.
Causæ possunt coincidere.

1. Ità Philosophus, 2.*de anim.t.*36 docet, animam esse causam in triplici causarum genere, nempe formam, finem, & efficientem. Forma est respectu corporis viventis, ut plantæ, animalis, quod cum materia tanquam actus cum potentia constituit. Finem esse ait respectu materiæ, quoniam nimirum partes corporis animati gratiâ animæ tanquam ejus instrumenta facta sunt. Efficiens est operationum vel motuum,

tuum, qui viventibus competunt, ut motus progressivi, nutritionis, accretionis, actus sentiendi,&c. Patet igitur eandem numero rem causam esse formalem, finalem, & efficientem, si non eodem, diverso tamen respectu, sicut ex dictis patet. Imò formam, quæ est principium corporum naturalium, universim docet esse finem generationis, 2. *Phys. t.* 14. & 23. & *l.* 5. *Metaph. t.* 5. *Text.* 7. 2. *phys.* dicit, formam, finem,& efficiens sæpe in unum coire.

2. *Inquis:* Modò dictum est eandem numero rem tria illa causarum genera denominare. At in jam *cit. t.* 70. id traditur tantùm de forma & fine, una numero res, forma, & finis esse potest. Causam efficientem verò cum hisce, rem eandem specie quidem, non tamen numero esse, dicitur.

3. Respondeo, in *cit. textu*, Aristotelem loqui de de eodem numero, effectu, & generatione ejus. Hoc modo eadem numero res est & forma, & finis, quemadmodum eadem numero anima est forma bucephali, & finis generationis ejusdem: at principium effectivum bucephali non est illa ipsa ejus anima, sed anima alterius equi, qui ipsum genuit. Hisce tamen non obstantibus anima bucephali est principium effectivum in generando alio equo.

4. Sed quæri potest, An & materia cum fine & reliquis causis possit coincidere? Quod negandum videtur. Si enim id fieri quoque posset, cur Aristoteles omissâ materiâ de tribus tantùm causarum generibus affirmasset?

5. Monlorius, *in præfat. in prior. Anal.* de fine & materia circa quam,& quidem ejusdem rei, affirmat. Docet enim argumentationem Logicæ esse & materiam, & finem. *Neque obstat*, inquiens, *quod dicit Aristoteles*, 2. *Phys. materiam & finem non posse unum & idem esse. Nam materia ex qua quippiam efficitur, de qua ibi agit Aristoteles, diversa est à fine ejus effectionis. Argumentatio verò non est ejusmodi materia Logica, sed in qua versatur Logica, & de qua efficiendi tradit præcepta.* Cui sententiæ cur non calculum nostrum adjiciamus, non videmus.

6. Ex-

6. Existimamus insuper, id asserendum esse de materia in qua, vel ut sumitur pro subjecto formarum accidentalium, & id quoq; eodem respectu, ut homo est & subjectum actûs medendi & finis *cui*. Imò non veremur statuere, omnia quatuor causarum genera eandem rem denominare. Eadem enim anima rationalis est causa formalis hominis, est finis generationis, efficiens quoq; & materia in qua est actuum suorum, ut & habituum.

Regula XX.

Cujus causa bona est, id ipsum bonum, & cujus causa mala est, id ipsum malum.

1. Quò pertinet illud *Matth. 7. Omnis arbor bona, bonos fructus facit; & mala arbor, malos.* Atqui non sequitur *inquis*, 1. Deus est causa Diaboli, & est bonus, E. Diabolus est bonus. 2. Hic sutor est bonus, E. calceus ab eo factus est bonus.

2. Dicimus ad veritatem regulæ, requiri ut bonitas competat causæ quatenus est causa, sive ut non competat causæ in ordine ad effectum per accidens, & ut sit sermo de effectu, quatenus est effectus sive secundùm quod à causa producitur: Item, ut cætera sint paria. Quæ verò proponuntur *à Dd. Coloniensibus in summulam Petri Hispani tract.* 5. Jam respondeo ad 1. Diabolus est bonus quatenus effectus Dei; est autem effectus Dei ratione suæ substantiæ quâ utique bonus est. Fuit etiam Diabolus in quantum effectus Dei, bonus moraliter, in bonitate enim morali à Deo fuit productus. Quod autem jam malus est, per accidens est, & ut malus, non est Dei effectus. Ad 2. Aut est sermo de bonitate *morali* in antecedente, aut de *bonitate* & perfectione *artis*. Si prius, non valet consequētia: propterea quòd bonitas moralis non competat sutori quatenus sutor, nec facit aliquid ad effectionem calcei, sed ad hoc opus planè per accidens se habet; Si posterius, & cætera sint paria, bona est consequentia: quàm ob causam semper in antecedente & consequente oportet

præ-

prædicatum hoc *bonum* eodem modo accipi, & non in antecedente de morali bonitate, in consequente de bonitate artis. At inquis: Si vel maximè in antecedente sit sermo de bonitate *artis*, nulla tamen est consequentia, quia sutor bonus potest calceum facere malum & deformem, sicut & architectus bonus malam domum, vel propter materiam non satis idoneam, vel quia ità ipsis placet. Resp. Dixi, *si cætera sint paria*, h. e. si & materia & alia requisita ad producendum effectum rectè & benè sese habent. Quando igitur materia non est satis idonea, tum cætera non sunt paria. Potest etiam dici, quando quis est bonus artifex, tunc opus est ejus esse bonum in quantum ab artifice est. Est autem opus v. g. calceus aut domus ab artifice ratione *formæ*, non materiæ. Quòd enim arbitrii sui libertate, artifex bonus interdum efficit opus non bonum, nullo in materia vitio exsistente, puto, nè hîc quidem cætera esse paria. Nam omnis artifex operatur secundùm formam quandam, quam de opere producendo in animo concepit, eáq; *idea* vocatur. Unde Aristoteles, 7. *Metaph. t.* 23. scribit, ex domo fieri domum, eam scilicet quæ constat ex materia, ex ea quæ materiæ expers est. Quando jam architectus bonam non efficit ex eo quod ità placuit, & necesse est eum non formasse conceptum operis boni & perfecti in sua mente, & sic cætera non sunt paria. Hæc instantia de artifice bono malum opus efficiente, non urget, si regulam intelligamus de effectu *in potentia*: causæ bonæ effectus semper potest esse bonus.

NB. *Adjecimus tres regulas sequentes, quarum maximus etiam usus est in genere causarum.*

Regula.

Propter quod unumquodque tale est, illud magìs tale est. Aristoteles 1. *post. text.* 15.

1. Ejusdem propè sensus est illud, quod habetur 2. *Metaph. t.* 4. *Unumquodque est maximum, secundùm quod aliis inest, quod est ejusdem nominis & rationis,*

tionis, τὸ συνώνυμον, sicut ignis calidissimus est propterea quòd est causa caloris in aliis.

2. Pertinere autem nostram regulam ad doctrinam causarum, indè manifestum est, quòd quando aliquod prædicatum convenit subjecto propter aliam causam, hîc comparatur subjectum & causa in illo prædicato, quod est ejus causæ effectus, & dicitur tale prædicatum ipsi causæ magìs convenire.

3. Est, qui regulam istam restringit ad solam causam finalem propterea quòd τὸ & solam causam finalem significet: sed rationem hanc nullam esse vel ex solo *textu 7. lib.1. poster.* palàm est: Ibi enim, cùm doceat Philosophus, scire esse cognoscere causam propter quam non solùm finem denotari, cùm scientia non solùm fiat per causam finalem, iis etiam notum est, qui vix primis, ut aiunt, labris doctrinam demonstrationis gustarunt. Multa alia loca brevitatis causâ non adducimus.

4. In eadem sententia est Petrus Hurtadus de Mendoza, *disp. Log.* 11. *sect.* 3. §. 1?. Nam *in efficiente in quid* est falsum, Homo enim est creatura propter Deum, E. & Deus est magìs creatura. Item *in causa formali* est falsum, ut, Homo est propter animam, E. ipsa anima magìs erit homo. Item *in materia* est falsum, ut, Cathedra est propter lignum, E. lignum est magìs cathedra. *In sola finali* est verum. Est enim bona hæc consequentia, Medicina amatur propter salutem, E. magìs amatur salus.

5. Javellus, *comp. log. tract.* 11. *c.* 2. planè contrariam fovet sententiam, & statuit de sola causa efficiente procedere. Nam de finali fallere, hoc ostendit exemplo, quia non sequitur, Homo deambulat propter sanitatem, ergò sanitas magis deambulat.

6. Verùm utraque sententia adversatur Aristoteli, prima quidem quia *citato text.* 15 1. *post.* ubi istam regulam proponit, ità argumentatur, *Propter quod unumquodque est, illud magìs est.* Et conclusio cognoscitur propter principia, ergò principia magìs cognoscuntur. Principia verò sive præmissæ in demonstratione non habent rationem causæ finalis sed effi-

cientis. Et Philosophi verba quæ *ex 2. Metaph. text. 1. in* §. 1. adduximus,& eundem ferè sensum habent cum nostra regula, etiam de causa efficiente esse accipienda evidens facit exemplum de igne, qui est causa efficiens caloris in cæteris.

7. Secundam nempe Javelli explicationem etiam contra Philosophum esse indè patet, quòd Philosophus,*cit.text.* 15.ait,Semper enim *propter quod unumquodque tale est, illud est magìs tale*, ut propter quod amamur, illud magìs amatur: quod certè causam finalem concernit.

8. Manifestum autem est ex dictis §. 4. *&* 6. ut & ex hoc, quòd non sequitur, Homo est ebrius propter vinum. ergò vinum est magìs ebrium, & similibus exemplis, non ità nudè & simpliciter regulam esse intelligendam, sed certam requiri explicationem. Plerique in hoc consentiunt, debere prædicatum, in quo duo inter se per præsentem regulam comparantur ambobus inesse, hoc est, utrique competere,& de utroque prædicari. Nam non requiritur ut revera & subjectivè insit,perspicuum est ex adducto illo exemplo Aristotelis,id magìs diligimus, propter quod diligimus: ut magìs diligimus sanitatem quàm medicinam; quia medicinam propter sanitatem diligimus. Hìc certè dilectio neque in medicina inest revera, neque in sanitate, sed in homine diligente. Sufficit igitur etiam denominatio extrinseca.

9. Atqui, inquis, non sequitur, Paries est albus propter pictorem, ergò pictor est magìs albus, cùm tamen albedo non parieti solùm, sed & pictori insit. Resp. Prædicatum in quo causa & effectus comparantur debet ità causæ competere, ut *se non habeat per accidens* ad effectum, sed ut per ipsum causa in effectum influat. Hinc nihil obstat, quo minùs sic colligam, Aqua est calida propter ignem, ergò ignis est magìs calidus, quia calor ità igni inest, ut ignis per calorem suum aquam faciat calidam. At in modò allato exemplo, albedo per accidens inest pictori,neq; per suam albedinem dealbat parietem, quod vel exinde constat, quòd Æthiops æquè illud præstare potest.

10. Utrumque nempe & id,quod octavo,& id quod præcedenti §. 9. diximus, paucis complexus est Cajetanus, *in cit. text.* 15. 1. *post.* asserens, necesse esse ut nomen effectûs reflectatur super causam, hoc est, ut effectus apponatur causæ, & de ea affirmetur positâ conjunctione *quia*, aut aliâ causali loco præpositionis *propter*, ut cùm dico, Luna est lucida propter solem, ergò sol est magìs lucidus. Reflexio in antecedente ità sit, Luna est lucida, quia sol est lucidus. Quod cùm verum sit, rectè infertur solem esse magìs lucidum. Egregium documentum,& quo observato multas difficultates & instantias quibus circumveniri per hanc regulam incauti solent, repellimus. Ità enim non valet, Homo est ebrius propter vinum, ergò vinum est magìs ebrium, quia ebrium esse non competit utrique extremorum : Vinum enim non est ebrium, & si fiat reflexio hoc modo, Homo est ebrius quia vinum est ebrium, tunc apertè falsum est.

11. Quidam occupatus in hoc Syllogismo, *Propter quod unumquodque tale est, illud magis tale est.* Atqui *Imperator habet suam dignitatem propter proceres imperii:* ergò, *Proceres magìs habent dignitatem*, dicit regulam procedere in causis naturalibus non in voluntariis, & idcirco mirum non esse, istam argumentationem fallere, cùm proceres vel subditi sint autores dignitatis imperatoriæ, tanquam causa voluntaria.

12. Verùm non opus est istâ distinctione & limitationum multiplicatione : Facilis est responsio ex iis quæ §. 8. & 9. diximus : vitium nempe hoc est, quòd *proceres summam dignitatem*, postquam eam Imperatori contulerunt, *ampliùs non habent*; sicut populus Romanus habebat summam potestatem, quando tamen eam in principem contulit eam non retinuit. Deest igitur, quod diximus, *Prædicatum*, in quo fit comparatio, *utrique extremorum inesse*.

13. Eodem morbo laborant omnia alia argumenta, quibus autor ille regulam in *voluntariis causis* non valere probare conatur. Hinc etiam sumitur respon-

ſio ad argumenta Mendozæ, & Javelli, & id quod §. 8. objectum fuit, in illis enim prædicatum non convenit utrique, ſiquidem non convenit cauſæ: & ſi reflexio illa Cajetani inſtituatur, antecedens redditur falſum: Neque enim Deo eſſe creaturam, nec animæ hominem eſſe, nec ſanitati deambulare, nec vino ebrium eſſe competit. Et ſi dicas, Homo eſt creatura propterea quòd Deus eſt creatura. Petrus v. g. eſt homo propter animam, id eſt, quia anima eſt homo. Homo deambulat propter ſanitatem, id eſt, quia ſanitas deambulat. Homo eſt ebrius propter vinum, id eſt, quia vinum eſt ebrium, omnia falſa ſunt. Ità etiam ſe habet exemplum de cathedra, ſi quis enim monſtratâ cathedrâ ligneâ diceret, hoc eſt cathedra, quia lignum eſt cathedra, non concederetur, quia cur aliquid ſit cathedra, cauſa non eſt lignum.

14. Verùm neque dum ſatìs explicatus regulæ ſenſus eſſe videtur: Obſervatis enim iis quæ hactenus attulimus, adhuc dantur inſtantiæ; Nam filius eſt homo propter patrem: & hic homo diligit mundum propter Deum: item homo videt propter oculum; nec tamen pater eſt magìs homo, nec ille qui mundum non diligit propter Deum, magìs non diligit, nec oculus magìs videt quàm homo.

15. Propter hæc & alia, Toletus alias inſuper proponit limitationes, quarum prima, *prædicatum debere recipere magis & minùs*; quæ limitatio etiam eſt Alberti Magni, Tartareti, Zimaræ, Zabarellæ, Conimbricenſium & multorum aliorum. Et hanc ob cauſam illam argumentationem, Filius eſt homo propter patrem, ergò pater magìs eſt homo, fallere dicunt. Homo enim tanquam ſubſtantia non recipit magìs & minús. 2. Regulam non valere *in effectibus privativis*, quam Toletus dicit eſſe Lovanienſium. Hanc ob cauſam non eſſe ſanam illam collectionem, Ille non diligit mundum propter Deum, ergò mundum magìs non diligit. 3. Debere eſſe *diverſa prædicata* in utroque extremo comparationis, & propterea non procedere, Homo videt propter

pter oculum, ergò oculus magìs videt. Hæ igitur ſunt reſponſiones Toleti ad argumenta §. duobus præcedentibus propoſita.

16. Verùm enimvero hæc paulò accuratiùs examinanda ſunt. Agemus priùs de ſecunda conditione, quòd in ea res præ reliquis planè videatur. Dico igitur eà nihil opus eſſe, hæc certè argumentatio eſt optima, Non faveo huic homini propter ſcelera, ergò ſceleribus magìs non faveo. Ubi tamen æquè eſt *effectus privativus*, ut cum Toleto loquar, atq; cùm dico, Non amo mundum propter Deum, ergò Deum magìs non amo. Cur autem in hoc exemplo non procedat, & ſit conſequens falſum, antecedente vero, res clara eſt ex antea dictis, quia ſcilicet ſi reflexio Cajetani adhibeatur, antecedens eſt falſum: Si enim dicas de eo, qui mundum non diligit propter Deum; hic mundum non diligit, quia Deum non diligit, falſum dicis. Ille enim potiùs ideò non diligit mundum, quia Deum diligit, in hoc igitur prædicatum, *non diligi*, non competit utrique extremorum: Mundo quidem competit, ſed non Deo.

17. Contra primam conditionem diſputant producendo hoc exemplum, Diſcipulus eſt doctus in ea re quia præceptor eſt doctus in ea re: ergò præceptor magìs eſt doctus ſeu doctior in ea re. Hîc licèt *doctum eſſe* recipiat magìs & minùs, & nullum alium requiſitum deſit, antecedens poteſt eſſe verum, & conſequens falſum: poteſt enim fieri ut uterque eandem rem æquè calleat.

18. Hi igitur duplicem ſenſum regulæ faciunt, quorum uno τὸ *magìs* intelligitur de *intenſione*, ità ut magìs eſſe ſit *intenſiùs eſſe*: Altero, magìs eſſe eſt *majori jure* eſſe: In priori ſenſu communiter accipitur, & hoc modo aſſerunt, ad veritatem regulæ requiri, ut prædicatum recipiat magìs & minùs. At iſti, rejecto hoc ſenſu, propterea quòd in eo nullo deficiente alio requiſito poteſt argumentatio inferre conſequens falſum ex vero antecedente, ſicut ex §. præcedente patet, cùm non neceſſe ſit, præceptorem

esse intensiùs doctum, licèt propter ipsum discipulus doctus sit. Posteriorem acceptant & urgent, ità, ut sensus regulæ sit: Quod est causa ut aliud sit, id majori jure est. Hoc modo jam aiunt nihil falsi inferri, sed legitimas esse has argumentationes, Filius est homo propter patrem, ergò pater magìs, id est, majori jure est homo. Discipulus est doctus in ea re, quia præceptor in ea est doctus, ergò præceptor est magìs, id est, majori jure est doctus in ea re.

19. Sed neque hic sensus ab omni ictu tutus est: Offert enim hujusmodi se instantia, Hic homo amat vetulam uxorem propter nummos; Ergóne majori jure nummos amat? Præterea hæc explicatio non videtur attingere vim argumenti, ad quod Aristoteles, *text.* 5. *l.* 1. *post.* regulâ nostrâ utitur. Cùm dicit, conclusionem esse notam propter principia, & propterea principia esse magìs nota, hoc non velle videtur, quòd principia majori jure sint nota.

20. Sunt, qui cùm & ipsi statuant propter instantiam §. 17. allatam regulam non posse intelligi *Metaphysicè* de majori formæ intensione, dicunt *Topicè* esse accipiendam de majori probabilitate, hoc modo, Propter quod unumquodque tale est, illud ipsum tale esse magìs probabile est. Bonas igitur esse has sequelas, Discipulus est doctus propter præceptorem, ergò magìs *probabile* est, præceptorem esse doctum. Filius est homo propter patrem, ergò magis *probabile* est, patrem esse hominem. Ratio limitationis est, quia Dialectica argumentatio est probabilis, Ergò omne etiam istius principium cum limitatione illa intelligi debet.

21. Verùm, etiam de hac explicatione dubito an satisfaciat. Aristoteles, *tex.* 16. *l.* 1. *post.* hanc regulam de præmissis & conclusione syllogismi demonstrativi usurpavit, & docuit, necesse esse præmissas magìs cognosci & credi, propterea quòd propter eas conclusiones cognoscamus & credamus: At in syllogismo demonstrativo ejúsque præmissis & conclusione non attenditur probabilitas; neque vult philosophus præmissas esse notas; probabiliùs est conclu-

conclusionem esse notam, sed docet præmissas natura in se & simpliciter esse notiores: Similiter qui dicit, Illud propter quod amamus magìs amari, non hoc vult, probabilius esse, id amari, sed perfectiùs & majori amore amari.

22. Sed nec ratio hujus limitationis concludere videtur: puto enim aliud esse principium aliquod esse *probabile*, aliud, ipsum *loqui de probabilitate*, ità scilicet ut in eo aliqua vox exponenda sit per vocem *probabile*. Posito enim, omne principium argumentationis Dialecticæ esse probabile, non statim tamen de probabilitate intelligendum est ità, ut in eo *vox quædam* per probabilitatem sit exponenda. Nam hoc est principium argumentationis Dialecticæ, Comparativus præsupponit positivum, sive, Quod est magìs tale, illud est tale, ut aqua est frigidior aere, ergò est frigida. Hoc principium probabile est, nec tamen necesse est, ut comparativus vel τὸ *magìs* exponatur per *magìs probabile*, sicut non est sensus, cùm aqua dicitur magìs frigida quàm aer, quòd probabilius sit, aquam esse frigidam; sed intelligitur de *intensione*, quod intensiùs frigidum sit, cùm hoc ipso tamen stat, propositionem illam esse probabilem. *Probabile* enim *est id, quod est intensiùs tale, absolutè esse tale*. Hinc ergò non sequitur, Hoc principium, Propter quod unumquodque tale est, illud magìs tale est, est Dialecticæ argumentationis principium. Ergò, intelligendum est cum limitatione probabilitatis, hoc est, τὸ *magìs* idem est, quod *magìs probabile*, quia posito quod τὸ *magìs* significet *intensiùs*, vel *majori jure*, hoc non obstaret, quo minus ipsum principium posset esse probabile. Taceo non necesse esse, ut omne principium argumentationis Dialecticæ sit probabile: potest enim altera propositio Syllogismi Dialectici esse necessaria, modò altera sit probabilis, sicut docet Fonseca, *l. 7. instit. c. 6*.

23. Ut autem meam sententiam ulteriùs de secunda conditione explicem, ex hactenus dictis constat, autores eos illam introduxisse motos hoc & simi-

similibus argumentis: Filius est homo propter patrem, sive quia pater est homo, ergò pater magìs est homo. Docent enim hoc argumentum non procedere cùm antecedens verum sit, consequens falsum, propterea quòd homo non recipiat magìs & minùs, id est, non sit capax intensionis & remissionis. At mihi non opus esse videtur, ut ad hoc confugiamus: puto enim ipsum antecedens, quod communiter pro vero habetur, falsum esse. Filius enim non propter patrem sed ex propria natura, & per hoc, quòd constat ex corpore organico & anima rationali est homo. Est enim homo prædicatum personæ filii essentiale & quidditativum, quod propterea ipsi non convenit per aliquam causam externam. Ità ipse Zabarella, *de scient. natural. constit. c.* 10. quando inquit, Quamvìs filius sit à patre genitus, non est tamen homo à patre, sed à sua forma.

24. Quod attinet illud argumentum §. 17. propositum, quo secunda illa conditio rejiciebatur; salvo aliorum judicio existimo, & hîc antecedens esse falsum, siquidem ad ejus veritatem requiritur ut præceptor sit causa proxima, adæquata, & propter quam: quemadmodum nec ullum dubium est, quin de hujusmodi causa Aristoteles in regula nostra loquatur. At talis causa non est præceptor in posito exemplo; ad comparandam eruditionem præter præceptorem requiritur in discipulo ingenium, attentio, & frequentia actionum, quibus imprimis & tanquam causa proxima, habitus & eruditio comparatur. Certè causâ proximâ positâ ponitur effectus: At dato præceptore, qui tam eruditus sit, fieri potest, ut discipulus non tam eruditus evadat. Et hoc est quod suprà §. 13. diximus, nempe lignum non esse causam cur aliquid sit cathedra: quamvìs enim sit causa materialis cathedræ, non tamen est causa propter quam.

25. Unde arbitror non necessarium esse ad veritatem regulæ ut prædicatum intensionem & remissi-

missionem recipiat, quamvìs etiam nullam causam videam, cur aliquid excludatur. Certè cùm Aristoteles, *cit. t.* 4. *l.* 2. *Metaph.* illam regulam proposuisset, addit ignem esse calidissimum, quòd aliis causa sit caloris. Calidissimum certè per intensionem est. Et cùm dico, Aqua est dulcis propter mel, ergò mel magìs est dulce. Potest autem & magìs aliquid dici nullâ interveniente intensione, sicut substantia prima, maximè etiam inter secundas, species magìs quàm genus substantia dicitur ab Aristotele, *cap. de Substant.* Et rectè videtur ità colligi: Substantia secunda est substantia propter primam, ergò prima est magìs substantia. Et hanc ob causam dixi non necessarium esse ad veritatem regulæ, ut prædicatum intensionis & remissionis sit capax.

26. Quantum ad tertiam conditionem, quòd nimirum prædicatum non debeat esse idem numero in utroq; extremorum, malim audire alios. Videtur non repugnare unum idémque numero prædicatum duobus convenire, sed uni magìs quàm alteri, propterea quòd per ipsum alteri conveniat, quemadmodum albedo est extensa, quia subjectum est extensum, & ità quidem, ut eadem sit extensio per quam subjectum & albedo extenditur. Neque tamen negandum videtur, *extensum esse*, magìs convenire subjecto, quia ipsi magìs per se convenit, albedini autem planè per accidens.

27. Hæc si ità se habent, nescio quid ad illud argumentum, Homo videt propter oculum, E. oculus magìs videt, sit respondendum, nisi dicemus Aristotelem in nostra regula non voluisse comparare inter se principium *quod* & principium *quo*, respectu unius effectûs sive prædicati, quemadmodum impræsentiarum oculus est principium *quo* visionis, homo principium *quod*, sed contulisse inter se duo, quorum utrique aliquod prædicatum competat, sed ità ut illorum unum sit principium & causa propter quam alteri prædicatum competat, illud alterum autem non sit causa ejus prædicati.

28. Forsan quis de eo quod §. 26. diximus, ad-

hæc dubitaverit & regesserit instantiam illam contra tertiam conditionem: Albedo est extensa propter subjectum, E. subjectum est magis extensum, esse nullam, propterea quod neque hic consequens concedendum sit, cùm magis extensum esse, sit extensius esse, ut longius vel latius esse, sicut magis calidum esse, est calidius esse: fieri autem posse, ut albedo extensa sit propter subjectum, neque tamen subjectum sit extensius, cùm albedo per totum subjectum secundùm longitudinem & latitudinem possit esse porrecta.

29. Quod si verò quis illam locutionem, Subjectum magis esse extensum, concedendum putet, & existimet, magis tale id etiam dici posse, quod per se & immediatè tale est, cùm alterum sit per accidens & mediatè tale, ille forsan & hanc locutionem, Oculus magis videt quàm homo, admiserit, non hoc sensu, quòd intensius videat, sed quòd videre oculo magis competat, quia ipsi immediatè competat, homini autem mediante oculo. Sed hæc omnia aliorum judiciis submitto.

30. Toletus, cùm proposuisset quatuor limitationes, nempe præter 3. posteriores, de quibus à §. 15. egimus, illam quam §. 8. & 10. explicavimus, ait sub prima limitatione reliquas claudi, quòd tamen quantis difficultatibus obnoxium sit ex hactenus dictis patet, quæ nostra explicatio duobus illis §. proposita eadem est cum Themistii, quam his verbis tradit, *Semper*, inquit, *id quod pluribus tribuitur sicut alteri propter alterum tribuatur, necesse est ut illi magis competat, per & propter quod alteri communicatur:* Nullam aliam limitationem addit, & sunt multi alii docti sc. viri qui in uno hoc acquiescunt, nec aliâ limitatione opus esse existimant.

REGULA.

Cujus omnes causæ sunt universales, illud ipsum est universale.

1. Proponimus hoc propter quoddam argumen-

tum quod olim in exercitio disputandi pro sententia Huberi à doctissimo quodam viro fuit propositum, illud ità habet, Cujus omnes causæ sunt universales, illud ipsum est universale. Sed omnes causæ electionis sunt universales (h. e. *extendunt se ad omnes homines*) nempè dilectio Dei & meritum Christi, E.& ipsa electio erit universalis(h.e. *extendet se ad omnes homines*:) si regestum fuerit ad minorem, etiam fidem esse electionis causam, quæ tamen non sit universalis (h. e. *non sit omnium hominum*.) Inter alia respondit, fidem non esse causam electionis, nisi instrumentalem. At omne instrumentum sequitur suum principale, nec tanquam imbecillius determinare potest principale tanquam fortius. Voluit nimirum majorem esse veram de principalibus.

2. Solutio hujus argumenti consistit in intellectu majoris illius, an nimirum ad veritatem ejus sufficiat, si causæ principales sint universales, an verò requiratur etiam universalitas causæ instrumentalis, quod posterius quidem nos affirmamus. Nam causa principalis non potest agere & effectum producere deficiente instrumento, quemadmodum faber non potest secare, deficiente serrâ, aut dolare lignum, deficiente dolabrâ, neque potest pullus excludi nisi præsente sufficiente calore. Hinc argumentor: Si nulla causa principalis potest producere effectum, cujus datur etiam aliqua causa instrumentalis, nisi adsit instrumentum, neque causæ universales possunt producere effectum universalem, cujus quædam datur causa instrumentalis, nisi & ipsa sit universalis: Est enim par ratio: Sed prius est verum, quemadmodum constat ex dictis. E. & posterius.

3. Nec obstat, quod dicitur instrumentum sequi causam principalem, hoc enim non ità intelligendum est, quasi ubicunque est causa principalis, ibi actu etiam sit instrumentum ejus, cùm utique causa principalis esse possit, ut instrumentalis ipsam deficiat. Sed ità intelligendum est, quòd nimirum instrumentum eo moveatur motu, quo ipsum agens principale movet, & ad illum effectum producendum inserviat,

ad

ad quem producendum à causa principali adhibeatur, si ad eum inservire aptum sit. Quod dicitur, instrumentum non determinare causam principalem, duplicem hîc determinationem considerare possumus, una est, quoad speciem actionis vel effectûs, ut nimirum effectus sit talis speciei, & sic videtur instrumentum determinare causam principalem. Ut enim faber secet, serrâ opus est, nec dolabrâ id fieri potest; ut dolet dolabra requiritur, nec serrâ fieri potest, quamvis non negemus principalem causam hoc modo determinare instrumentalem, quia dolare hoc vel illo modo lignum artifex dolabrâ potest. Potest instrumentis suis modò arcam efficere, modò lectum, modò mensam, sed quicquid de hac determinatione sit, de ea hîc non est sermo. Non enim quæstio hîc est de specie aut qualitate effectûs, sed de universalitate quæ per universale exercitium fit: altera igitur determinatio est, quantum ad exercitium; & sic etiamsi non semper instrumentum determinet causam principalem, ut ità dicam, positivè, quia præsente instrumento non necesse est ut agens principale operetur, sicut in agentibus liberis manifestum est, potest enim faber præsente serrâ & omnibus ad secandum requisitis non secare; determinat tamen semper negativè, quia nimirum agens principale agere non potest absente instrumento, sicut ex antè dictis constat; quemadmodum vicissim agens principale determinat instrumentum, cùm nec instrumentum operari possit nisi operante causâ principali. Atque ità quando omnes causæ principales sunt universales, ad effectum tamen etiam instrumentalis requiritur, determinat utique causa instrumentalis principales quantùm ad exercitium, quia effectus eorum non potest esse universalis, nisi & instrumentalis causa sit universalis. Ponamus exemplum: Jubeat princeps singulas literas simul scribi ad singulas civitates sibi subjectas, adsit justus scribarum numerus, adsit sufficiens copia chartæ, atramenti, & aliorum requisitorum, sed non omnibus sit calamus, certè effectus hîc non erit universalis, hoc est, non

ad

ad omnes civitates simul poterunt singulæ exarari literæ propter defectum instrumenti.

4. Nec quicquam ad rem facit, quòd agens instrumentale sit debilius, principale fortius; nam & causa secunda & particularis est debilior, prima autem & universalis fortior, & tamen causa secunda & particularis determinat primam & universalem, id est, 1. quoad speciem effectûs; cùm enim Deus ad omnes effectus concurrat, ut cum leone ad generandum leonem, cum bove ad generandum bovem; quòd jam ejus actione & concursu bos generatur & non leo, jam leo & non bos, hæc determinatio à leone & bove tanquam causis particularibus provenit. 2. quoad Exercitium, quia Deus tunc influit ad productionem leonis, cùm leo ad generandum se applicat, non autem influit ordinariè quando se non applicat.

5. Dixit etiam vir ille doctissimus fidem non posse determinare dilectionem Dei & meritum Christi tanquam causas universales, quòd iis sit posterior, posterius autem non posse determinare prius. Sed contrarium patet ex dictis. Causæ enim secundæ sunt posteriores primâ, quam tamen determinant, sc. in agendo. *Reliqua quæ circa propositum argumentum disputari poterant Theologis relinquimus.*

Regula.

Omnis effectus per accidens reducitur ad causam per se.

1. Nonnulli explicant de Causa prima, nempe Deo, propterea quòd ille ad omnia, quæ respectu causarum secundarum effectus per accidens esse possunt, concurrat tanquam causa per se. Ità Pererius, *l.* 3. *phys. c.* 3.

2. Quantum ad causas secundas & particulares, dicunt, *effectum per accidens reduci ad causam per se*, non quæ sit causa per se illius sed alterius, cum quo effectus per accidens conjungatur, ut cùm fodiens terram ad faciendum sepulcrum invenit thesaurum; inventio

inventio thesauri, qui est effectus per accidens, refertur ad illum qui fodit, tanquam causam per se. non quòd sit causa per se inventionis thesauri, sed quòd per se fossionis ad efficiendum sepulcrum. Ità Pererius, *ibid.* & Suarez, *disp. Metaph.* 19. §. 7.

3. Sciendum autem duplicem esse causam per accidens: Vel enim est talis *ex parte causæ*, quando nimirum alicui, quod quantùm ad formale suum conjungitur cum causa per se, asscribitur effectus, quomodo Musicus dicitur curare aut efficere statuam, propterea quòd ille ipse homo, qui statuarius est aut medicus etiam artem musicam calleat. Unde effectus huic causæ per accidens respondens potest dici effectus per accidens respectu causæ, ut effectio statuæ respectu musici: Vel *ex parte effectûs*, quando nimirum aliquid dicitur causa alicujus, quod cohæret cum effectu ejus per se, quomodo qui lapidem tollit impositum uteri in aqua, est causa per accidens, cur uter sursum moveatur; qui motus potest dici effectus per accidens ex parte effectûs. Hæc distinctio est vulgatissima & fundamentum habet in Aristotele, 2. *phys. c.* 3. *&* 5. *&* 8. *Metaph. t.* 32. *&* 5. *Metaph. t.* 2.

4. Manifestum est eos, qui §.1. & 2. regulam nostram explicarunt, tantùm locutos de *effectu per accidens* ex parte effectûs. Videtur autem omninò effectus etiam per accidens reduci posse ad causam particularem, quæ sit hujus ipsius effectûs causa per se, quod non dubito, quin semper fieri possit, in effectu per accidens ex parte causæ: quemadmodum statua est effectus per accidens, si dicatur esse effectus Musici, vel Musicus eam dicatur facere: Effectus autem per se est, si dicatur esse effectus statuarii, vel statuarius dicatur eam facere. Ità motûs uteris in aqua sursum ex parte effectûs, nempe respectu ejus qui tollit lapidem, sed levitas uteris est causa illius motûs per se.

5. *Dicis:* cùm tegula de tecto cadens Petrum prætereuntem vulnerat, aut cùm terram fodiens invenit thesaurum, sunt hi effectus per accidens, qui tamen

ad

ad nullam causam particularem per se, quæ ipsorum causa per se sit, referri possunt, cùm hîc nulla sit causa particularis, nisi tegula & is qui fodit, hæ autem sunt causæ per accidens illorum effectuum, ut omnes admittunt.

6. *Resp.* Causa per accidens est duplex: quædam est talis per accidens ratione *influxûs*, sive *effectûs in se*, quia in eum per se & suâ virtute non præstat influxum, quomodo se habet removens lapidem, ad motum uteris sursum: quædam dicitur talis *ratione concursûs ejus & alterius rei*, vel etiam ratione intentionis agentis, cùm aliâs quantum ad influxum revera & per se causa sit effectûs. Hujusmodi sunt causæ per accidens eæ de quibus §. *praced.* 5. Nam tegula suâ vi & immediatè infligit vulnus Petro: Dicitur autem *causa per accidens* propterea quòd per accidens est, Petrum tum, cùm tegula decidit præterire. Sic per accidens est, quòd Petrus invenit thesaurum, propterea quòd præter ejus intentionem & scientiam fit: Interim physicè loquendo & quantùm ad ipsum actum inveniendi, non minùs vera causa est, quàm si studio quæsitum thesaurum inveniret. Indicat hanc distinctionem Suarez, *disput. Metaph.* 17. §. 4.

7. Quantùm ad prioris generis causas per accidens, §. 4. diximus, quomodo earum effectus referantur ad causam *per se:* quantùm autem ad eos, qui sunt effectus causarum *per accidens*, posterioris generis, de quibus §. 5 dubium movebatur, illæ ipsæ causæ, quarum illi effectus per accidens esse dicuntur quatenus ab iis non intenduntur, aut ratione concursûs cujusdam, sunt ratione influxûs in se & physicè loquendo eorum causa per se, & propterea non opus est ut alia causa per se illorum assignetur.

8. Dicis iterum: Medicus vel musicus curatur per accidens, quatenus nimirum accidit ut æger, qui curatur, sit simul medicus & musicus. Medicus tamen vel musicus nullius causæ respectu curatur per se. Resp. Hîc non est effectus per accidens, effectus enim est curatio medici vel musici: At curatio est effectus

per

per se illius medici, qui musicum vel alium medicum curat. Quòd autem dicitur medicum vel musicum per accidens curari: τὸ *per accidens* est differentia tantùm prædicationis & non effectûs, hæc enim prædicatio, Medicus vel musicus curatur est per accidens.

9. Ergò inquis: etiam tantùm est prædicatio per accidens cùm dicitur musicus curare, & musicus tunc non erit causa per accidens curationis (*quod est contra* §. 3.) Par enim ratio esse videtur.

10. Resp. Ille qui curat est causa simul curationis & subjectum, de quo verbum *curare* prædicatur, & propterea tum causa per se & per accidens, tum subjectum prædicationis per se & per accidens esse potest, prout diversimodè concipitur, aut diversis nominibus significatur. Hinc cùm dico, Medicus curat, & illa prædicatio est per se, & medicus per se est causa curationis: At cùm dico, Musicus curat, est & prædicatio & causa per accidens, sed ille qui curatur non est effectus medici aut curationis, verùm est tantùm subjectum quod curatur, & de quo prædicatur verbum *curari*. Unde prout diversimodè concipitur & diversis nominibus significatur etiam dicitur, vel æger sanatur, vel medicus sanatur (*si simul medicus sit*) prædicatio per se est vel per accidens; non autem effectus per se aut per accidens.

TIT. IV. continens REG. VI. *circa doctrinam Materiæ.*

POstquam regulas eas proposuimus quæ doctrinam causarum in genere concernunt, vel saltem per hoc generale nomen causæ *sunt concepta; sequitur*

sequitur ut ad species causarum accedamus: & primò quidem regulas de materia subjungemus.

REGULA I.

Quicquid habet materiam, habet etiam formam; & vice versâ, Quicquid habet formam, habet etiam materiam.

1. Contra primam regulæ partem arguitur, quòd quælibet forma habet materiam, nempe *in qua*, & tamen non quælibet forma habet formam, aliâs enim progressus daretur in infinitum. Item scientia habet materiam *circa quam*, nempe scibile ipsum, nec tamen scientia formam habet, sed potiùs ipsa est forma scientis.

2. Quod si respondeas, regulam esse intelligendam de materia *ex qua*, nondum per omnia satisfacis, quia quælibet forma naturalis (exceptâ animâ rationali) habet materiam ex qua, sicut calor educitur è potentia aquæ, cùm aqua calefiat, quæ propterea dici potest materia ex qua caloris.

3. Contra secundam partem objicitur, quòd materia prima habeat formam, cùm ex mente Philosophi, 1 *phys.* materia prima licèt ex se quidem sit informis, semper tamen sit sub aliqua forma: at quis asseret materiam primam habere materiam.

4. Nos aliqua præmitimus priùs, deinde sensum regulæ determinabimus, ex quibus solutio simul eorum, quæ objecta sunt patebit. 1. *Ratione compositionis*, quatenus ex ea aliquid componit, sicut bos componitur ex anima & corpore, illâ tanquam formâ, hoc tanquam materiâ. 2. *Ratione eductionis*, quatenus nimirum è potentia ejus aliquid educitur, illud autem quod educitur, est forma. Unde materia ex qua hoc modo sumta dicitur respectu formæ, ut corpus bovis respectu animæ ejus.

5. Sciendum 2. Aliquid habere formam posse dupliciter

pliciter dici: 1. *Essentialiter*, sive ità ut ex forma sit compositum, quomodo homo habet animam. 2. *Accidentaliter*, sive ità ut forma non sit de ejus essentia, quomodo corpus dum ipsi anima unita est, rectè dicitur habere animam, & paries albedinem.

6. Quibus præmissis dico, primam regulæ partem esse intelligendam, de materia *ex qua*, quatenus ex ea aliquid componitur, Quicquid componitur ex materia, componitur etiam ex forma, i.e. quicquid habet materiam ex qua componitur, illud etiam habet formam ex qua componitur. Argumenta §. 1. & 2. proposita loquuntur non nisi de materia *circa quam*, *in qua* & *ex qua*, quatenus aliquid ex ea educitur, de quibus concedimus regulam non valere.

7. Altera pars regulæ loquitur de eo quod habet formam essentialiter, scilicet, quod est ex forma compositum: Quicquid habet formam essentialiter, essentialiter etiam habet materiam: vel, Quicquid ex forma compositum est, compositum etiam est ex materia, sicut homo compositus ex corpore & anima, & statua ex ære & certa figura: Materia prima *accidentaliter* habet formam, cùm forma de ejus essentia non sit. Et sic probat argumentum, §. 3. regulam fallere in iis quæ *accidentaliter* habent formam, quod concedimus.

Regula II.

Materia est cognoscibilis per analogiam.

1. Subjecta natura (materia prima) inquit Philosophus, 1. *phys. t. 69.* est scibilis per analogiam, nempe ad materiam sensibilem rerum artificialium. Cognoscitur autem materia prima per analogiam & habitudinem ad materiam sensibilem dupliciter: 1. Quoad *exsistentiam*, hac ratione; quia in mutatione accidentali semper requiritur aliqua materia, ut ad efficiendum lectum requiritur lignum, ad statuam æs, aurum, vel lapis: hinc colligitur etiam in mutatione substantiali, quâ corpus physicum generatur, requiri subjectam materiam. 2. Quoad *essen-*

tiam, hoc modo; ſicut ſe habet materia rerum artificialium ad res artificiales v. g. æs ad ſtatuam, lignum ad lectum; ità ſe habet materia prima ad corpus naturale. Sed æs non eſt actu ſtatua, nec lignum eſt actu lectus, utrumque tamen habet potentiam ad formas rerum harum artificialium, & ad hoc, ut hujuſmodi res ex eo fiant: E. etiam materia prima nullum corpus naturale eſt actu, habet tamen potentiam ad formas eorum recipiendas, & ad hoc, ut res naturales ex eo fiant, ſicut expreſsè explicat Philoſophus, *l. c.* vide Zabarellam, *lib.* 2. *de materia prima, cap.* 4. & 5.

Regula III.

Materia eſt ingenerabilis & incorruptibilis.

1. Hanc proprietatem tribuit materiæ Philoſophus, 1. *phyſ. t.* 82. his verbis, *Incorruptibilem*, inquit, *& ingenitam neceſſe eſt ipſam eſſe.* Si enim fiat, ſubjici aliquid oportet primum, ex quo inexſiſtente fiat, hoc autem eſt ipſius natura, quare erit antequam fiat.

2. Solùm autem hoc pronunciatum verum eſt de materia prima. Nam materiam ſecundam, quale eſt lignum reſpectu menſæ, & æs reſpectu ſtatuæ, generari poſſe & corrumpi manifeſtum eſt.

3. De materia prima ex adductis Philoſophi verbis ità argumentamur: Quicquid poteſt generari & corrumpi, ejus neceſſe eſt dari aliquam materiam. Sed materiæ primæ non datur materia, E. non poteſt generari aut corrumpi. Major patet, quia omnis generatio & corruptio præſupponit materiam, & quicquid generatur ex materia generatur, quemadmodum & quicquid interit, in materiam vel ſubjectum quoddam interit, ſicut demonſtrat Philoſophus, 1. *phyſ.* Manifeſta etiam eſt minor, quia, ſi materia prima haberet materiam, non eſſet prima materia, nam materia ejus eſſet prior, cùm omnis materia prior ſit materiato.

4. *Inquis*, Ariſtotelem in allegato textu aſſerere, mate-

materiam partim interire, partim non interire. *Resp.* Materia consideratur dupliciter: 1. *Secundùm se*, & ut importat ad formas & res ipsas naturales, & sic non interit. 2. *Ratione adjunctæ privationis*, quæ privatio, quando adveniente formâ perit & cessat, ideo & ipsa materia ratione hujus privationis quodammodo interire dicitur. Quæ responsio fundamentum habet in ipso Philosopho, *lib. cit.*

5. Quamvis autem materia prima nec generetur nec corrumpatur, non tamen ideo non incepit esse, incepit enim & facta est per creationem, quandoquidem cum ipsis corporibus à Deo concreata est, & si Deus voluerit omnia corpora naturalia in nihilum redigere, ipsa quoque ampliùs non erit.

6. Sed posset aliquis objicere: Incorruptibile nobilius est corruptibili. Si ergò materia incorruptibilis erit nobilior ipsis corporibus naturalibus sublunaribus, utpote quæ corruptioni obnoxia. *Resp.* 1. Majorem veram esse *cæteris paribus*, quando incorruptibile non exceditur in cæteris prædicatis à corruptibili, incorruptibile nobilius est corruptibili: At verò corpora naturalia excedunt materiam primam in aliis prædicatis, h. e. habent prædicata majoris perfectionis, quàm materia, cùm præter materiam, & formam includant. 2. Potest dici: Incorruptibile nobilius esse corruptibili non *simpliciter*, sed *secundùm quid*, nempe in incorruptibilitate, & hoc modo consequens non videtur esse absurdum. Potest enim aliquid aliquo ignobilius esse simpliciter ut tamen secundùm quid in certo nimirum tertio fit nobilius, sicut homo simpliciter nobilior est lapide, in duratione tamen lapis hominem excedit: & sic etsi materia sit simpliciter ignobilior corporibus naturalibus, non tamen absurdum est, si dicamus esse nobiliorem in perpetuitate.

Regula IV.

Materia appetit formam.

1. Præsupponendum hîc est, duplicem esse appetitum,

titum, Innatum & Elicitivum. Appetitus innatus, ut habet Fonſeca, 1. *Metaphyſ. c.* 1 *q.* 1. *ſ.* 3. eſt inclinatio ab autore naturæ indita, quâ unaquæque res abſque ulla prævia cognitione, in bonum propenſa eſt. Elicitivus eſt potentia, quâ aliquid prævia aliquâ cognitione ſuâ fertur in bonum, aut quod bonum videtur eſſe. In hoc autem appetitu ſunt duo: Unum eſt actus primus, ſive facultas ipſa appetendi: Alterum eſt appetitio ipſa, ſive actus ſecundus, qui vocatur *appetitus elicitivus.* At in appetitu innato hæc duo diſtingui non poſſunt, non enim fertur appetitus innatus in bonum, aliquam actionem eliciendo, ſed iſte appetitus eſt ipſa potentia, quatenus ſumitur in ordine ad ſuam perfectionem.

2. Unde potentia naturalis eſt appetitus naturalis, non cujuslibet actûs reſpectu, ſed tantùm reſpectu actûs qui eam perficit; aqua enim habet potentiam receptivam caloris, non tamen habet appetitum ad eum, cùm potiùs illum exhorreſcat.

3. Appetitus elicitus propriè dicitur appetitus, & diſtinguitur in ſenſitivum & rationalem. Ille reſpicit bonum in ſenſu cognitum, éſtque propterea communis omnibus animalibus, ſicut bos eſuriens appetit gramina. Hic reſpicit bonum intellectu cognitum, quomodo appetit homo bona honeſta, ut honeſta; éſtq; inter animalia homini proprius. Appetitus innatus dicitur ſic metaphoricè, & per quandam analogiam, ſicut partim ex dictis conſtat, partim ex dicendis erit manifeſtum.

4. Poteſt quidem & appetitus elicitivus dici innatus, generali quadam ratione, quatenus non eſt acquiſitus, ſed cum ipſa natura incipit, & naturalem importat inclinationem ad ſuum objectum & actum, quia tamen ſimul eſt principium eliciendi actum appetitionis, & fertur in bonum ſub ratione boni, atque ità propriiſſimè vocatur appetitus, ideo ab innato, qui metaphoricè ſic appellatur, contradiſtinguitur. Vide Durandum, *l.* 4. *diſt.* 49. *q.* 8. Fonſecam, *l. c. ſ.* 2. & 3. Suarezium, *diſp. Metaph.* 1. *ſ.* 6. §. 3. & *ſeqq.* Petrum

Hur-

Hurtadum de Mendoza, *disp. Phys.* 2. *s.* 3.

5. His præmissis Aristoteles, 1. *Phys. t.* 88. asserit materiam appetere formam, ut fœmina marem, & turpe pulcrum. Estque hæc communis & constans peripateticorum sententia.

6. Unicus ferè Scaliger, *exer.* 6. *s.* 1. huic Aristotelis sententiæ contradicit, denegátque materiæ omnem appetitum ad formam. Argumentum ejus est: Quod materia habet illud non appetit. Sed materia habet omnes formas. E. eas non appetit. Est enim, ut ipse loquitur, *exercit.* 317. appetitus, soboles privationis. Major probatur, quia quod quis habet, illud non appetit. Minorem probat hisce verbis: Hæ namque materiæ individuatæ partes sunt materiæ primæ quæ una est. Quantùm percipio, hoc vult dicere, etsi particulæ materiæ in individuo, quarum alia est materia hujus lapidis, alia illius; alia hujus hominis, alia illius, & ità consequenter, non habent per se sigillatim omnes formas, materia prima tamen, quia est totum quoddam ex illis particulis constans, habet omnes formas.

7. Sed hæc ratio Scaligeri admodum infirma est. 1. Nego majorem, & ea quæ pro ejus confirmatione afferuntur: Appetitûs, quatenus appetitus est, objectum est bonum in sua latitudine, sive absens sit sive præsens. Falsum itaque est appetitum esse sobolem privationis, & id solum appeti quod abest, sive, quod non habemus. Distinguat Scaliger *inter appetitum in communi*, & *inter appetitum desiderii*, sive desiderium ipsum, cui appetitui desiderii opponitur complacentia, sive appetitus complacentiæ, quam Latini ut ipse dicit, *exer. citat.* vocare potuissent *acquiescentiam*. Appetitus desiderii est boni absentis, & sic soboles privationis; appetitus complacentiæ est boni præsentis, & ejus quod possidetur. Ex quo patet appetitum in communi & de se esse boni, simpliciter & indifferenter se habere ad præsens & absens, sive ad id quod habetur, & id quod non habetur. Videatur Antonius Ruvius, *l.* 1. *Phys. c.* 3. *tract.* 1. *q.* 6. *n.* 46.

8. Quæ quidem differentiæ propriè & primò sunt appetitûs elicitivi, sensitivi scilicet & rationalis; nihilominus tamen sicut nomen *appetitûs* metaphoricè & per quandam analogiam innato tribuitur : ità & differentiæ appetitûs per analogiam appetitui innato possunt accommodari. Est igitur appetitus desiderii (loquimur de innato) ipsa potentia naturalis quatenus comparatur cum sua perfectione quam non habet. Appetitus complacentiæ est eadem potentia comparata cum perfectione sua, quam actu habet : appetitus autem simpliciter, hoc est, ut abstrahitur à desiderio & complacentia, est eadem potentia, comparata ad suam perfectionem, non attendendo an præsens illa sit, an absens : Sicut eruditè explicat Gabriel Vazquez, *part.* 2. *disp.* 34.

9. 2. Ad minorem dico, 1. Etsi materia prima ut est totum vel unum quoddam per aggregationem, habet omnes formas in specie, tamen non habet omnes in individuo. 2. Quælibet particula materiæ primæ non habet omnes formas actu sed unam tantùm, verbi gratiâ, illa particula quæ est materia hujus lapidis, formam lapidis tantùm habet, quælibet igitur posset alias formas appetere, si vel maximè appetitus solùm esset boni absentis, quin revera appetit absentes appetitu desiderii, præsentes appetitu complacentiæ. Ex dictis propono pro Aristotele argumentum : *Cui inest potentia receptiva formæ : tanquam suæ perfectionis , ei inest appetitus formæ*, Siquidem appetitus innatus,ut explicavimus,nihil aliud est quàm potentia sumta in ordine ad suam perfectionem. At *materiæ inest potentia receptiva formæ* , tanquam suæ perfectionis, utì constat. E.

Regula V.

Materia est pura potentia.

1. Dicis : Pura potentia est expers omnis actûs. Sed

Sed materia non est expers omnis actûs, E. non est pura potentia. Major probatur : quia purus actus est, qui est expers omnis potentiæ. E. & pura potentia est expers omnis actûs, par enim est ratio. Minor probatur, quia materia prima habet actum, quem Scotistæ vocant *entitativum*, qui nihil aliud est, quàm exsistentia: quâ de re alibi diximus.

2. Pro explicatione sciendum, cùm materia dicitur *potentia*, intelligi potentiam *passivam*. Ejus enim natura in hoc consistit, quòd sit passiva, quemadmodum ex *tex. 55. l. 1. de ortu & interitu*, & *tex. 53. l. 2. suprà tit. 3. reg. 20. conclusione primâ citatis*, manifestum est. Cùm autem dicitur *pura potentia* significatur eam nullam habere formam, sive actum formalem, essentialiter nimirum, & ex sua natura. Licèt enim materia semper sit sub forma aliqua, nulla tamen forma est de ejus natura & essentia, quemadmodum & in explicatione *regulæ* 1. *hujus tit.* diximus. Ut aliquid dicatur pura potentia passiva non est necesse ut omni actu simpliciter careat, sed sufficit si careat omni actu formali. Cujus ratio est, quòd potentiæ passivæ non quilibet, sed actus formalis tantùm opponatur. Omnis enim potentia passiva, quatenus talis, est actûs formalis receptiva. Unde cùm actus entitativus distinguatur ab actu formali non est absurdum materiam primam dici *puram potentiam*, scilicet *passivam*, & tamen habere actum entitativum.

3. Corpora naturalia habent etiam potentiam patiendi, sicut in aqua est potentia recipiendi calorem, & in lapide est potentia ad motum deorsum, sed non lapis, nec aqua, nec ullum corpus naturale est pura potentia passiva, quia quodlibet corpus naturale intrinsecè & essentialiter includit aliquam formam sive actum formalem, per quem est tale corpus naturale.

4. Ex quibus perspicuum est, quid respondendum sit ad argumentum oppositum. Major enim

non

non est vera nisi de actu qui opponitur illi potentiæ. Cùm igitur potentia de qua hîc sermo est sit passiva, & verò potentiæ passivæ opponatur tantùm actus formalis, major non erit vera nisi de actu formali, pura potentia passiva est expers omnis actûs formalis, & hoc modo minor est falsa. Est enim materia ex sua natura omnis formalis actûs expers. Quæ responsio confirmatur, si puram potentiam cum puro actu conferamus: purus actus non excludit omnem potentiam, sed tantùm passivam, stat enim cum activa; cùm Deus qui purus actus est, perfectissimam potentiam activam habeat; quòd si purus actus non omnem excludit potentiam, quid mirum si pura potentia quoque non omnem excludat actum. Manifestum autem est sermonem esse de materia prima. Nam secunda, ut lignum, lapis, intrinsecè & essentialiter aliquam formam habet, sicut apud omnes constat.

REGULA VI.

Ex non ente nihil fit.

1. Ità Aristoteles, 4. *Metaph. text.* 20. *&* 11. *Metaph. cap.* 5. & alibi: sed contrà est quod 5. *Phys. text.* 4. *& multis aliis in locis*, docet, generationem esse mutationem ex eo quod non est. Ex non ente ergò aliquid generatur secundùm Aristotelem.

2. Sciendum *Non ens* sumi bifariam: 1. Negativè, pro eo quod ità non est, ut nec detur aliquod subjectum, quod habeat potentiam ad ipsum, & ex quo ipsum fieri possit, quomodo ante mundi creationem omnes creaturæ erant non entia. 2. Privativè, quod quidem non ens quia non est actu, interim est in potentia, ità ut detur aliquod subjectum, quod realem potentiam ad ipsum habeat.

3. Quibus præmissis tres facio conclusiones: quarum I. *Ex non ente privativè sumto fit aliquid*

viribus naturæ, ex homine enim potentiâ, fit actu homo, ex verme potentiâ generatur vermis actu; sed homo potentiâ & vermis potentiâ non sunt entia: non enim sunt actu: at quod actu non est, illud non est, per Aristotelem, *9. Metaph. text. 7.* & hanc conclusionem docuit Aristoteles loco in §. 1. citato.

4. II. *Ex non ente negativè sumto nihil fit per generationem naturalem*; sive, viribus naturæ: id quod ex professo docet & demonstrat Aristoteles, 1. *Phys.* Quandocunque enim aliquid producitur & fit, sive fiat per generationem naturalem sive per effectionem artis, oportet semper materiam aliquam substerni ex qua fiat, quemadmodum ut homo generetur aut bos, non generatur nisi ex semine, ut lectus efficiatur aut statua, non efficitur nisi ex ligno aut ære.

5. III. *Ex non ente negativè sumto aliquid fit per creationem*; sive, per potentiam Dei. Cujus conclusionis veritas non solùm ex sacris constat, sed & ratione philosophicâ alibi à nobis demonstrata fuit. Notabiliora sunt verba Bonaventuræ, 2. *dist.* 1. *q.* 1. *Cùm dicitur*, inquit, *aliquid ex nihilo fieri, potest intelligi tripliciter; aut enim* causaliter, *ut ex patre filius*; *aut* ordinaliter, *ut de mane fit meridies*; *aut* materialiter, *ut ex ferro cultellus. Primo modo verum est, ex nihilo nihil fieri; secundo & tertio modo verum est secundùm naturam, sed falsum est supra naturam per virtutem infinitam, quæ* (non alligatur ordini) *nec indiget fulcimento materiæ: Ità faciliter potest aliquid produci ex nihilo, sicut de aliquo.*

TIT.

TIT. V. continens REG. V. *circa doctrinam Formæ.*

REGULA I.

Positâ formâ ponitur formatum.

1. DUplex hîc adhibenda distinctio est: I. Forma est duplex, *Materialis*, & *Immaterialis*. Materialis dicitur, quæ à materia dependet in *esse*, in *fieri*, & in *operari*. Immaterialis quæ extra materiam subsistere apta est, quales est anima rationalis. reliquæ omnes materiales sunt.

2. II. Repetenda & accommodanda hic est distinctio sæpius tradita, scilicet formam considerari posse, cùm *secundùm esse absolutum*, tum *respectivè*, & ut actu causa formalis est.

3. Jam facio tres conclusiones: I. *Positâ formâ quavis, ut est actu forma*, sive materialis sit, sive immaterialis, *ponitur formatum*; quod quidem perquam manifestum, quia poni formam, ut est actu forma, est ipsam poni ità, ut informet materiam, sive ut sit unita materiæ. Est enim unio cum materia actus secundus & ratio formalis formæ. At positâ unione formæ cum materia, ponitur necessariò formatum, quemadmodum posito, animam rationalem corpori organico uniri, non potest non esse homo.

4. II. *Positâ formâ materiali*, secundùm esse absolutum, *ponitur formatum*. Ratio: quia positâ formâ, secundùm quod informat materiam, ponitur formatum, conclusione præcedenti. At positâ formâ materiali secundùm esse absolutum, ponitur etiam secundùm quod informat materiam. Ergò positâ formâ materiali secundùm esse absolutum, ponitur materiatum. Minor probatur, quia forma materialis esse & entitatem suam obtinere nequit, nisi sit in materia, eámque informet, quemadmodum anima

bovis in rerum natura esse nequit, nisi sit in corpore bovis, & illud animet. Loquimur autem de eo, quod materialiter fieri & non fieri potest. Multi namque autores gravissimi statuunt posse formam materialem per potentiam Dei *extra* materiam subsistere.

5. III. *Positâ formâ immateriali* secundùm esse absolutum *non statim ponitur formatum.* Ratio est, quia forma immaterialis potest extra materiam subsistere: formatum autem non ponitur, nisi forma sit in materia. Ità post mortem hominis forma actu est in rerum natura, nec tamen tunc homo est.

REGULA II.

Quicquid est, per suam formam est.

1. Ad ravim hoc multi omnibus in disputationibus ingeminant: *Quicquid est, per suam formam est:* & loquuntur de forma sive causa formali *propriè* dicto.

2. Sed id non est simpliciter verum, argumentamur itá: Quicquid est, per suam formam est. Deus est, ergò Deus per suam formam est. Conclusio est absurda: quia Deus non habet formam; tum quia sic aliquid esset prius in Deo, cùm omnis forma tanquam causa prior sit formato; tum quia si Deus formam haberet, per quam esset, necesse est ipsum etiam materiam habere, & compositum esse. Absurda igitur est altera præmissarum, non minor; ergò major.

3. Sed dicunt de ente *finito* se loqui: Ens finitum omne esse per suam formam. Sed & hoc absurdum esse, eâdem facilitate ostenditur. Omne ens finitum per suam formam est. Atqui omnis forma est ens finitum. Ergò, Omnis forma per suam formam est. Conclusio est absurda. Nam si omnis forma per suam formam est, daretur progressus in infinitum. Minor vera est. Ergò major erit absurda. Potest instantia dari ab ipsa *materia*, quæ in se *præcisè*, & à forma considerata, est; est tamen in se, & præcisè considerata non est per suam formam, cùm sic formam non habeat.

at. Item ab *Angelis* inſtantia ſumi poteſt: Illi enim entia finita ſunt, & cùm ſint ſimplicia, ex materia & forma non conſtant, & per conſequens, per ſuam formam eſſe non poſſunt.

4. Limitaverit quis propoſitionem ità, Quicquid eſt, per ſuam formam eſt, ſi *habeat formam:* vel quicquid eſt compoſitum ex forma, illud per ſuam formam eſt. Sed hæc res clarior erit & ulteriùs determinabitur infrà, *in reg.* 4.

5. Nonnulli per converſionem ſimplicem dicunt: Per quodcunque aliquid eſt, illud forma ejus eſt. Sed nec hoc ità *nudè intellectum* eſt univerſale. Nam per differentiam ſpecificam, imò etiam per ſuam eſſentiam, eſt aliquid, & tamen nec differentia, nec eſſentia rei eſt idem cum forma rei, proprè loqui ſi velimus.

REGULA III.

Formæ quantò dant eſſe nobilius, tantò ſunt nobiliores.

Habet hoc Armandus de Bello Viſo, *l.* 2. *term. c.* 40. cujus verba hæc ſunt: Hæc forma (*ſubſtantialis*) eſt in quadruplici gradu, quia quædam formæ ſubſtantiales ſunt, quæ *ſolùm* dant *eſſe*, ut formæ omnium inanimatorum; ut forma lapidis & hujuſmodi: quædam ſunt, quæ dant *eſſe* & *vivere*, ut formæ vegetabilium, ſc. plantarum: quædam ſunt quæ dant *eſſe, vivere,* & *ſentire*; ut formæ animalium, & dicuntur animæ ſenſitivæ: quædam ſunt quæ dant *eſſe, vivere ſentire,* & *intelligere,* ut animæ hominũ, quæ rationales dicuntur; & *quantò dant eſſe nobilius tantò etiam ſunt nobiliores*, propterea quòd anima rationalis ſummum obtinet gradum inter omnes formas. *Hac Armandus.*

REGULA IV.

Forma dat eſſe rei.

1. Quia præcedenti regulâ diximus, *unam formam dare eſſe nobilius quàm alteram*, ideò non poſſumus non id explicare quod dicitur, *formam dare eſſe rei.*

 2. Sciendum

2. Sciendum autem, duplex apud Philosophos dari esse, nempe esse *essentiæ* & esse *exsistentiæ*. *Illud* est idem quod primò in re concipitur, & abstrahitur ab exsistentia quatenus quodlibet in sua est essentia etsi non exsistat in rerum natura, juxta regulam 5. *tit.* 1 Essentiæ rerum sunt perpetuæ. *Hoc* est esse actu in rerum natura extra nihil, competítque rebus creatis, non ab æterno & necessariò, sed contingenter & in tempore, quemadmodum licèt hæc propositio ab omni æternitate fuerit vera, Homo est animal rationale; hæc tamen, Homo exsistit, vel animal rationale exsistit, ante mundi creationem non fuit vera.

3. Porrò cùm dicitur formam dare esse rei, potest hoc intelligi vel de *materia* sive subjecto cui inest, vel de *composito*. Thomistarum sententia est, materiam quidem habere essentiam etiam actualem & realem, ut per se & seorsim à forma consideretur, & ità formam non dare materiæ essentiam sive esse essentiæ, exsistentiam tamen habere à forma, sive quod idem est, formam dare materiæ esse exsistentiæ; eo modo quo dat albedo esse albo, & per eam aliquid est album. Alii tamen rectiùs statuunt, *materiam esse ens actu in rerum natura, & habere exsistentiam propriam, & non à forma acceptam.* Cujus sententiæ sunt Scotus, 2. *dist.* 12. *q.* 2. ejúsque discipuli, eámq; sequuntur Pererius, *l.* 5. *physſ. cap.* 3. Toletus, 1. *physſ. q.* 13. Mendoza, *disput. physſ.* 2. *ſ.* 6. & alii.

4. Veritas hujus regulæ indè conspicitur, quòd essentia actualis & exsistentia, secundùm rem non differant, sed unum & idem sunt essentia actualis & exsistens. Quod licèt Thomistæ non concedant, demonstratum tamen sufficienter est à Soario, *disp. Metaph.* 31. *ſ.* 6. & Mendoza, *disp. Metaphyſ.* 8. *ſ.* 4. Si ergò quod concedunt Thomistæ materia prima habet essentiam actualem propriam, & non à forma acceptam, necesse etiam est, concedant, eam habere exsistentiam propriam, & non à forma acceptam.

5. Sed quicquid sit de distinctione exsistentiæ ab essentia actuali, nos ità argumentamur: Si materia suam habet exsistentiam à forma, sequitur, materiam

quoties

quoties materia formam amittit, & novam recipit, toties interire & de novo produci. Consequens est absurdum, propterea quòd materia est incorruptibilis & ingenerabilis, sicut suprà audivimus. Consequentia probatur, quia rem produci, est accipere eam exsistentiam; & interire, est amittere exsistentiam: rem autem produci, est extra causas eam constitui; & interire, est desinere esse extra causas. *Plura de hac controversia videantur apud alios.*

6. Quantùm ad compositum, formam illi dare esse tum essentiæ tum exsistentiæ, quemadmodum albedinem dare, esse album; & animam dare, esse animatum, nullum planè videtur esse dubium.

7. Verùm, idem etiam de materia dicendum videtur. Est enim causa interna, & pars essentialis, & in conceptu quidditativo compositi includitur, imò & reliquæ causæ dant esse rei. Definitur autem causa in communi, quòd sit *principium per se, influens esse in alio*, id est, communicans & dans esse alii: sic ignis dat aquæ, tanquam causa efficiens, & cuilibet alii rei calefactibili apposito, esse calidum; & cur serra sit ferrea, id provenit à fine, siquidem aliàs eâ ad secandum uti non possemus. Quòd si igitur omnes causæ dant esse rei, cur, inquiat aliquis, id de forma peculiariter pronunciatur?

8. Dixerit quis, quantùm ad *efficientem* id fieri propterea quòd illa non dat esse composito, nisi mediante formâ, quatenus eam è materia educit, aut saltem cum materia unit; vel propterea quòd efficiens causa non dat esse essentiæ, ut ab exsistentia præscinditur; sed solùm esse exsistentiæ. Efficiens enim non dat rei esse, nisi producendo eam. Sed quid aliud est, rem producere, quàm eam constituere extra causas, & in rerum natura? At hoc ipsum est facere rem exsistentem, siquidem per exsistentiam est aliquid formaliter extra causas in rerum natura. De *fine* responderi posset, eum non dare esse realiter, sive per influxum realem, sed tantùm per intentionalem.

9. Quantùm ad *materiam*, quia illa in rebus di-

versarum specierum est, eadem forma autem cuilibet speciei est propria, materia tantùm *dat esse confusum* & indeterminatum, forma verò *determinatum* & specificum, quemadmodum materia elementorum est eadem, formæ verò diversæ; & sunt elementa quatuor corpora, specie differentia, éstque unum ignis, alterum aqua, &c. non propter materiam, sed propter formam. Has igitur ob causas formæ videtur attribui, quod det esse rei, & non etiam aliis causis.

10. Verùm ut de materia imprimis dicam, illa licèt sæpe sit communis, & non det rei esse tale & specificum, sed id solùm dat forma, in quacunque materia reperiatur, sicut albedo dat album; dispositio medii cum extremis facit syllogismum, quæcunque fuerit materia. Estque res clara in materia prima quæ de se *est communis & apta, ut cujuslibet compositi naturalis pars sit:* id tamen non experimur esse perpetuum. Nam sæpe compositum aliam peculiarem requirit materiam, quemadmodum de serra patet, cujus forma consistit in esse dentato, materiam oportet esse ferrum; sic & simum pro forma curvitatem importat, materia & subjectum est solus nasus. Videatur Philosophus, 7. *Metaph. c.* 5. ubi duo accidentium genera nominat, nimirum *respectiva* quædam, quædam verò *absoluta*. Nec solùm in hisce accidentalibus res ità sese habet, sed & in substantialibus. Nam ad constitutionem hominis, præter animam rationalem, requiritur materia certis organis prædita. In hisce sanè non sola forma, sed & materia dat esse specificum, imò nec materia per se & seorsim, nec forma per se & seorsim; sed utraque simul & cum altera dat esse proprium & specificum. Si enim charta aut lignum ità dentatum sit ut serra, non erit serra, sed ferrum adesse oportet: quemadmodum videre est apud Aristotelem, 2. *physs. t.* 88. Sed, neque si ferrum sit, non tamen dentatum sit, serra erit. Utrumque igitur simul dat esse serræ: sic etsi ponamus animam informare materiam simplicem & nullis organis distinctam, sive possibile hoc sit sive non, non esset tunc homo. Quòd igitur homo est, & esse hu-

humanum habet, id & materiæ & formæ ſimul acceptum referendum eſt. Videtur ex iſtis perſpicuum, interdum ſolam formam, in materia tamen conſtitutam, dare eſſe ſpecificum; interdum ambas, nempe materiam & formam ſimul.

11. Quantùm ad *finem*, etſi ille non exercet ſuam cauſalitatem niſi *intentionaliter*, neſcio an propterea negari debeat, quòd det eſſe rei. Certè quod ſerra debeat eſſe ferrea, id dat ipſi finis, nempe ſectio, ad quam comparatur, quemadmodum docet Ariſtoteles, *cit. t.* 88. *l.* 2. *phyſ.*

12. Forſitan hæc eſt ratio, cur communiter dicatur, formam dare eſſe rei, quòd forma eſt quaſi complementum & ultimum id, quo poſito in materia, eo ipſo & ſine ullo medio res conſtituitur in eſſe ſpecifico: reliquæ autem cauſæ, quia formâ ſunt priores, ſaltem naturâ, cùm ipſa forma ab iis dependeat, non ſunt ultimum id, quo poſito res ſive compoſitum ponatur, ſed debent quaſi exſpectare formam, quâ præſente ipſa res habet ſuum eſſe.

13. Clarum autem eſt ex §. *6.* hanc regulam intelligendam eſſe de eo, quod habet formam, ſive de compoſito, quod ex forma conſtituitur. Nam quod formam non habet, quomodo ipſi forma dare poteſt eſſe. Videtur etiam ex iis quæ hactenus diximus præcedentem regulam itá intelligendam, Quicquid eſt per ſuam formam eſt, nempe ad eſſe ſpecificum, vel per formam tantùm, vel per formam & materiam ſimul.

REGULA V.

Forma eſt indiviſibilis.

1. Præſupponendum eſt hîc duplicis generis eſſe formam: quædam eſt *ſubſtantialis*, ut anima; quædam *accidentalis*, ut color, albedo. 2. Repetenda eſt diſtinctio formæ in *materialem* & *immaterialem*. 3. Sciendum, poſſe hîc dubium eſſe de quadruplici diviſibilitate; an ſc. forma ſit diviſibilis, an indiviſibilis. 1. In partes eſſentiales *phyſicas*, quæ ſunt materia &

forma. 2. In partes essentiales *logicas*, quæ sunt genus & differentia. 3. In partes *integrales*, sive quantitativas. 4. Ratione *intensionis* in gradus. Jam pro explicatione regulæ, ponemus sequentes conclusiones.

2. I. *Nulla forma est divisibilis in materiam & formam.* Ratio, quia forma non constat ex materia & forma, E. nec in eas dividi potest.

3. II. *Forma est divisibilis in genus & differentiam.* Quicquid enim habet genus & differentiam, illud est divisibile in genus & differentiam. Sed forma habet & genus & differentiam. Ergò. Minor probatur: Animæ genus est actus, differentia ejus sumitur in ordine ad corpus organicum, id quod patet ex Aristotele, 2. *de anima c.* 1. definiente animam, *quòd sit actus corporis organici.* Albedinis genus est, color; differentia est, disgregativum visûs.

4. Intelligendam tamen hanc conclusionem volo de *forma concepta sub conceptu specifico.* Nam quæ concipitur sub ratione summi generis, vel etiam conceptu transcendente summa genera, ut si dicam, qualitas, accidens, &c. ea sic concepta non constat ex genere & differentia, & sic neque in ea dividi potest.

5. III. *Forma, à materia dependens, est divisibilis in partes integrales.* Hoc modo, ipsa quantitas est essentialiter & per se divisibilis: ratione autem quantitatis etiam aliæ formæ materiales sunt divisibiles; & est res clara de formis accidentalibus. Divide enim chartam albam in partes, & ipsam albedinem simul diviseris: quantùm ad substantiales, de iis quæ sunt rerum inanimatarum, plantarum, item & insectorum, non minùs videtur esse perspicuum. Diviso enim lapide in duas partes, utraque pars est formaliter lapis: absciffo ramo ab arbore, & arbor manet animata & ramus, cujus evidens argumentum est, quòd ramus terræ intrusus frondescit: Dissectâ item lacertâ, utraque pars animali motu movetur, & sic vivit. Sequitur ergò, formas dictarum rerum dividi ad divisionem totius. De formis animalium perfectorum

fectorum, res est magìs controversa; eas dividi negant Albertus Magnus, 1. *de anim.* 2. *& l.* 2. *c.* 7. Bonaventura, 1. *dist.* 8, *in part.* 2. *dist.* *q.* 3. Thomas, *part.* 1. *q.* 76. *a.* 8. *& alibi.* Cajetanus, *ibidem.* Vielmius, *in lib. de sex dieb. l.* 26. Bannes, *de generat.* *c.* 5. *q* 5. judicántque hanc sententiam probabilem Conimbricenses, 2. *de anim. q.* 8. Nos tamen cum Scoto, 4. *dist.* 44 *q.* 1. Durando, 2. *dist.* 8. *q.* 3. Soncinate, 1. *metaph. q.* 11. Javello, *ibid. q.* 4, Toleto, 2 *de anima q.* 5. Anton. Ruvio, *ibid. tract. de modo quo anima informet. q.* 3. Petro Hurtado de Mendoza, *disp.* 2. *de anima s.* 4. asserimus & has animas esse divisibiles. Rationes & explicationem hujus sententiæ vide apud autores modo allatos.

6. Dixi autem, *forma à materia dependens*, ut excipiatur anima rationalis, quæ est forma immaterialis.

7. IV. *Nulla forma substantialis est divisibilis in gradus*; sive, *Nulla forma substantialis intenditur & remittitur*, teste Aristotele dicente, Substantiam non recipere magìs & minús.

8. V. *Aliqua forma accidentalis potest dividi in gradus*, h. e. potest ex tendi & remitti. Itá dum aqua calefit ab igne, calor intenditur, frigus remittitur, dum verò ab igne remota refrigescit, frigus intenditur, calor remittitur, & aliqui ejus gradus corrumpuntur.

9. Dixi autem, *aliqua*, quia non omnis forma accidentalis intenditur & remittitur, sicut in quantitate & figuris perspicuum. Sed hac de re alibi plura.

10. Verùm contra nonnulla ex dictis objici potest, 1. Contra distinctionem formæ, in substantialem & accidentalem, Accidentia non habent formam. E. Non datur forma accidentalis. 2. Contra conclusionem tertiam, Quicquid non est quantum, non est divisibile in partes quidditativas. Nulla forma substantialis est quanta, Ergó. Minor probatur, quia quantitas est affectio materiæ. 3. Contra conclusionem quartam est, quæ ex sententia Averrois, *l.* 3. *de cælo t.* 67. quod sequitur & defendit Zabarella,

rella, *l.* 3. *de mistione*. Formæ elementorum in mistione intenduntur & remittuntur, formæ autem elementorum sunt substantiales.

11. *Resp.* Ad 1. Negando consequentiam: Aliud siquidem est forma accidentis, aliud forma accidentalis. Cùm dividitur forma in substantialem & accidentalem, non appellatur forma accidentalis, quæ sit constitutiva accidentis: sed quæ in aliquo prædicamento accidentis.

12. Ad 2. Forma non est quanta per se, & sic non est divisibilis in partes quidditativas per se, est tamen quanta per accidens. Extenditur autem ad extensionem ipsius quantitatis, & hoc modo etiam dividitur.

13. Ad 3. 1. Ipse Zabarella distinguit, & dicit intensionem & remissionem duobus fieri modis, uno sine variatione speciei, quod propriè dicatur suscipere magis & minùs; quod patet de calore, qui cùm intenditur vel remittitur, manet essentialiter calor, & hoc modo concedit, nec formas elementorum, nec ullam aliam substantialem recipere intensionem & remissionem; secundò, cum mutatione speciei, & sic statuit formas elementorum, & per consequens aliquas substantiales, intendi & remitti. Illa sententia Averrois & Zabarellæ controversa adhuc est, & à pluribus exploditur, nec data distinctio consistere posse videtur, de qua videantur alii.

TIT. VI. continens REG. VII. *circa doctrinam* *Abstracti & Concreti.*

CUm abstractum forma sit concreti, vel saltem se habeat ut forma, & concretum ut formatum, rectè Titulus

tulus de Abstracto & Concreto, *illi qui de* Forma *est subjungitur.*

REGULA I.

Si abstractum prædicatur de abstracto, etiam concretum prædicatur de concreto.

Ut: Physica est scientia, E. Physicus est sciens. Medicina est ars, E. medicus est artifex. Albedo est color, E. album est coloratum. Absolutè hæc regula vera est, nec ullam, quod ego scio, patitur instantiam.

REGULA II.

Si concretum prædicatur de concreto, etiam abstractum prædicatur de abstracto.

1. *In prædicationibus accidentalibus non habet locum.* Album est dulce, & homo est sciens, non tamen albedo est dulcedo, nec humanitas est scientia. Quin nec in omnibus essentialibus videtur valere, cùm non valeat in iis quæ prædicantur *essentialiter*, sed in *quale.* Verum enim est, cùm dico, Homo est animatus, falsum autem si dicam, Humanitas est anima. Perpetuæ autem veritatis est, *in prædicationibus quidditativis*, sive in iis, quæ prædicantur in quid.

2. Unde etiam Aristoteles, 2. *Top.* c. 4 in problematibus de genere, quod in quid prædicari nemo non novit, locum quendam proposuit de conjugatis (quæ ab aliis rectiùs dicuntur *cognata*) qui duas hasce continet regulas, docens, Si propositum dicatur de proposito, tanquam genus, etiam cognatum dici de cognato, h. e. si abstractum sit genus abstracti, etiam concretum concreti genus esse; & vice versâ, Si concretum concreti genus sit, etiam abstractum abstracti genus esse. Idémque asserit de casibus: Si enim casus sit genus casûs, necesse est etiam abstractum

ctum abstracti, & concretum concreti genus esse. Et si in hisce unum sit genus alterius, etiam necesse est casum casûs genus esse. Si autem horum unum non est genus alterius, nec reliqua erunt genera reliquorum, ut si justitia scientia est, & justè agere sit scienter agere; & justus erit sciens: & si logicè disputare est artificiosè disputare, logicus erit artifex, & logica ars.

3. Cæterùm, quod de prædicationibus accidentalibus, imò quibuscunque quæ in quale sunt, diximus, sciendum est, prædicationes hujusmodi duplicis esse generis: In quibusdam enim abstracta ipsa, vel subjectum & prædicatum, quantum ad formale differunt *realiter*; ut homo est sciens, est animatus: Scientia enim est accidens, realiter ab homine & humanitate distinctum, & anima est pars hominis & humanitatis realiter ab iis distincta: Interdum *ratione* tantùm, ut quantum est divisibile, divisibilitas enim secundùm rem est ipsa quantitas, interim quia essentia est primus rerum conceptus, & verò divisibilitas non est de primo conceptu quantitatis, cùm primus conceptus quantitatis consistat in extensione, sive in hoc, quòd habeat partem extra partem, quem conceptum sequitur eóque posterior est divisibilitas (*ex eo enim quòd aliquid partem extra partem habet immediatè & sine additione alicujus secundùm rem distincti sequitur, quòd divisibile sit in hujusmodi partes*) ideo divisibile esse, potest dici accidens quantitatis, voce Accidentis latè sumtâ, ut opponitur essentiæ, & sumitur pro omni eo, quod cùm de re prædicari possit, de ejus essentia est.

4. Jam dico, Regulam veram esse de *omnibus prædicatis etiam accidentalibus*, & quibuscunque *in quale*, in quibus abstracta solâ ratione distinguuntur, quemadmodum utraque vera est, quantum est divisibile, & quantitas ejus est divisibilitas.

5. Scotus, 1. *dist.* 5 *q.* 1. August. Niphus, 3. *Metaph. disp.* 2. Cajetanus, *de ente & essentia c.* 4. Antonius Ruvius, *tract. de prædicat. abstractorum* §. 15. & ex parte etiam Suarez, *disp. Metaph.* 6. *s.* 10. istas propositiones,

propositiones, Humanitas est rationalitas, Animalitas est rationalitas, habent pro falsis:quorum sententia si vera est,securim impingit nostræ doctrinæ hactenus traditæ. Nam 1. Regula non erit universim vera de iis quæ prædicantur in quid. Cùm enim dico, Homo est animal,prædicatur concretum de concreto in quid, nec tamen licebit prædicari abstractum de abstracto, Humanitas est animalitas. 2. Convellitur id quod §. præcedenti diximus, regulam locum habere in omnibus iis, *quæ prædicantur in quale*,etiam accidentaliter, modò abstractum distinguatur solâ ratione, nam in hisce prædicationibus, Humanitas est animalitas,Animalitas est rationalitas,termini differunt solâ ratione,& concedentibus nonnullis ex citatis autoribus,cùm tamen ipsæ falsæ sint;hæ autem, Homo est rationalis, Animal est rationale sint veræ; sequitur aliquando prædicari concretum de concreto in prædicationibus in quale, & quando abstracta solâ ratione distinguuntur, aut abstractum non possit prædicari de concreto.

6. Verùm nos cum Mendoza, *disp. Log.* 13. *s.* 3. adductas propositiones,& omnes alias,in quibus subjectum & prædicatum solâ ratione distinguuntur, pro veris habemus. Quod ut paucis explicemus & probemus, sciendum, in propositionibus affirmativis, quemadmodum constat ex Aristotele, 9. *Metaph. t.* 21. copulam significare *identitatem prædicati cum subjecto.* Hinc igitur in quacunque propositione affirmativa prædicatum, secundùm rem, idem est cum subjecto, illa vera est. Sed in adductis propositionibus affirmativis, & omnibus in quibus prædicatum & subjectum solâ ratione distinguuntur, subjectum & prædicatum, secundùm rem,idem sunt, quod quidem de adductis propositionibus jam præsupponimus, & à nonnullis ex citatis autoribus conceditur, alibi autem à nobis probatur, veræ igitur ejusmodi propositiones erunt.

7. Neque est quòd quis dicat, ad veritatem propositionis affirmativæ non sufficere *identitatem realem terminorum*, sed requiri quoque identitatem *rationis*.

Nam

Nam si hoc ità esset, nullæ prædicationes essent veræ, nisi identicæ, ut homo est homo, albedo est albedo, in reliquis omnibus enim terminis si non realiter, tamen ratione distinguuntur. Unde istæ prædicationes falsæ essent, Homo est animal, est rationalis, Albedo est color, quæ longè sunt absurdissima. Hac de re ex professo infrà in *titulo de propositionibus*, ubi etiam, sicut & in *titulo de toto & partibus*, rationibus autorum §.1.citatorum satisfaciemus. Vide interim Mendozam, *loc.cit.*

8. Quod igitur §. 1. asseruimus, regulam non habere locum in prædicationibus accidentalibus, nec in aliis quæ sunt in quale, intellectum volumus de iis, in quibus abstracta realiter distinguuntur, idque probant exempla ibi proposita.

9. Constat autem ex iis, quæ §. 2. ex Aristotele adduximus, has duas regulas extendendas quoque ad ipsos casus, qui, & quodammodo sub concretis comprehendi, aut ad ea reduci possint.

Regula III.

Cui inest abstractum, de eo prædicatur concretum

1. Hoc non esse universale, docet ipse Philosophus, 2. *top. c.* 1. hisce verbis: Quare non satis est probare, esse albedinem aut justitiam, ut probetur esse albus, vel justus, & certè albedo est in æthiope, neque tamen æthiops albus dici potest. Similiter & in aqua tepida calor est, quæ tamen calida dici nequit. Sic & color est in albedine, est enim genus albedinis, at secundùm Aristotelem, 4. *phys. t.* 23. genus in specie esse dicitur; non tamen dicitur rectè albedo colorata.

2. Nos dicimus I. non intelligendum esse nostrum pronunciatum de eo abstracto, quod ità alicui inest, ut de eo in quid prædicetur, quomodo species est in individuo, & genus in specie & individuo, cui enim abstractum hoc modo inest, de eo non concretũ, sed abstractum ipsum prædicatur, ut albedo dicitur color, non autem colorata, medicina ars, non artifex.

3. II. In

3. II. In rel'quis, ut procedat, tres requiruntur conditiones, quarum 1. Ut ſi abſtractum, ſive forma capax ſit intenſionis & remiſſionis, ſit *extenſa ultra medium*. Eſt autem communis philoſophorum ſententia, quamlibet formam quæ intenſionem & remiſſionem recipit, intenſiſſimam & in ſumma perfectione eſſe, ſi habeat 8. gradus; ut igitur, abſtractum, ſive forma, ultra medium in ſubjecto, oportet ut ad minimum quinque habeat gradus, quòd ſi tres tantùm, vel etiam quatuor habeat, non prædicatur concretum ejus de ſubjecto. Cujus ratio eſt, quod forma, quæ gradus habet intendíque poteſt, & remitti, habeat contrarium vel oppoſitum, & quot gradus deſunt uni oppoſitorum ad ſummum in ſubjecto, tot adſunt gradus alterius oppoſiti. E. quia contraria non ſimul prædicantur de ſubjecto; hinc ſi una qualitas ſit in ſubjecto infra medium gradum, v. g. ſi ſit trium graduum, & altera ſit ultra medium, v. g. ſit quinque vel ſex graduum, tunc jure concretum perfectiùs & intenſiùs denominat ſubjectum, quoniam à principaliori fit denominatio. Quòd ſi utrumq; extremorum æqualibus gradibus in ſubjecto ſit, quod fit quando utrumque eſt quatuor graduum, non eſt major ratio, cur unum magìs denominet quàm alterum, neutrum igitur denominabit, h. e. neutrum concretum de ſubjecto prædicabitur, ut ſi ſit in aqua calor trium vel duorum tantùm graduum, inerit frigus quinq; vel ſex graduum; frigida igitur aqua dicitur non calida.

4. (2.) Conditio eſt, ut exſiſtat *abſtractum in toto ſubjecto, aut majori ejus parte*, niſi ſit ex iis formis quæ ſibi vendicant determinatam ſubjecti partem. Hinc licèt albedo in æthiope ſit, æthiops tamen non dicitur albus, quia albedo non extenditur per totum corpus æthiopis, nec per majorem ejus partem, ſed tantùm dentibus ineſt.

5. Ut autem hæc meliùs intelligantur, notandum, *ex Metaph. 6. c. 1. & 7. Metaph. c. 5.* formas à quibus aliquid denominatur eſſe in duplici differentia: quædam *determinant* ſibi certam ſubjecti partem, ità tamen, ut in illa parte eſſe poſſint & non

etiam

etiam in aliis, ſicut criſpitudo tantùm capillis accidit, ſimitas naſo, viſio in oculo tantùm eſt, auditio in aure: quædam *non reſpiciunt determinatè* unam partem, ſed ità ſunt in una parte ut etiam aliis inesse aptæ ſint, talis eſt albedo, quæ quamvìs dentibus æthiopis tantùm inſit, poteſt tamen & aliis partibus inesse. Hæ poſteriores formæ debent exſiſtere in toto ſubjecto, aut majori ejus parte, ut concreta de ſubjecto prædicentur: at formæ prioris generis etſi uni tantùm parti ſubjecti inſint, tamen concreta de eo prædicantur, quemadmodum rectè dicimus, Hic homo eſt criſpus, ſimus, videt, audit.

6. (3.) Tertia conditio eſt, ut *forma brevì non tranſeat, ſi naturâ ſuâ diutiùs permanere poteſt*; cujus conditionis defectu non dicitur ruber, qui ex verecundia ruborem; nec pallidus, qui ex metu pallorem contraxit: tranſeunt enim citò hæ qualitates in hoc caſu, cùm poſſint habere ex natura ſua perfectius & permanentius eſſe, ſub quo ſubjecta denominant, ſicut patet in roſa, & mortuo. Deſumitur iſta doctrina ex Philoſopho, qui *c.8. categor.* Quæ facilè diſſolvuntur, *inquit*, paſſiones, dicuntur, non qualitates; non enim per haſce *quales* dicuntur, neque enim erubeſcens ob verecundiam *rubeus*, nec pallens ob timorem *pallidus* appellatur, ſed *aliquid paſſus* potiùs eſſe dicitur.

7. Dixi autem, *ſi poteſt ſuâ naturâ diutiùs manere*, quia ſi ejus natura ſit citò tranſire, ipſique repugnet diutiùs ſubſiſtere, denominabit nihilominus ſuum ſubjectum, qua de cauſa ſonus etſi ſtatim diffluat, tamen ſubjectum *ſonans* indè dicitur, quia ejus natura eſt, ut citò tranſeat, nec perfectiorem & permanentem eſſendi modum habere poſſit. Proponunt has conditiones Conimbricenſes & alii interpretes circa locum Ariſtotelis modò citatum.

8. Intelligenda verò hæc ſunt de *prædicatione ſimpliciter*: Simpliciter prædicari eſt, nullo alio addito prædicari, ſicut habet Ariſtoteles, *in fine 2. top.* ut, Deum colere, ſimpliciter honeſtum eſt, quia ſi dicas, Deum colere eſt honeſtum, nullo addito, verum dicis,

cis. At quod non nisi cum aliquo addito est, vel prædicatur, id non prædicatur simpliciter, sed secundùm quid, ut patrem immolare, non dicimus honestum esse, sed cum addito, apud Triballos. Ut igitur concretum simpliciter prædicetur de eo, cui abstractum inest, necesse est, tres adductas conditiones adesse, quemadmodum ex hactenus dictis constat: Nihil enim impedit, quo minùs concretum prædicetur de subjecto, cum addito, vel secundùm quid, quando non omnes adsunt, quemadmodum cùm dico, Æthiops est albus secundùm dentes; nec video inconveniens, si dicam hanc propositionem, Hæc aqua (*cui calor trium tantùm graduum inest*) est calida calore trium graduum, esse veram.

9. Notanda autem ulteriùs aliqua sunt: I. Cùm regula loquatur de concreto deducto ab abstracto, quod *alicui inesse* dicitur, cavendum nè pro concreto ab aliquo astracto deducto, habeamus id, quod ab eo deductum non est. Unde non sequitur, Dormienti inest visus. E. Dormiens est videns, sive videt. Nam *videns* non est concretum deductum à visu, qui est potentia naturalis, sed à visione, quæ est potentia illius actûs: inferendum erat, E. est visivus.

10. II. Non est sumendum concretum *extrinsecè* denominans, siquidem illud non prædicatur præterea de aliquo, quòd abstractum ipsi insit, cùm aliàs nè esset quidem concretum extrinsecè denominans. Hinc non sequitur, Oculo inest visus, E. oculus videtur: quia *videri* est concretum extrinsecè denominans: illud siquidem dicitur videri, non cui visio inest, sed quod est subjectum visionis quæ in oculo est. Vide Du. Trieu, *tract.* 1. *p.* 1. *c.*1. *art.* 6. *& tract.* 4. *p.* 1. *c.* 2.

11. III. Debet abstractum *eo modo inesse, quem importat concretum.* Quamvìs enim post mortem anima sit in aliquo Ubi: illud Ubi tamen non dicitur animatum, propterea quòd animatum esse importet, ut in aliquo sit anima, tanquam forma. Quamvìs item in marsupio sit aurum (*quod licèt simpliciter concretum sit, tamen respectu hujus concreti, au-*

reum,

reum, est abstractum, vel abstracti rationem habet, propterea quòd minùs concretum est aurum, quàm aureum, sicut minùs calidum respectu magìs calidi, habet rationem frigidi) marsupium tamen non dicitur aureum, quia aureum non dicitur simpliciter ab auro, aut ab eo, quòd aurum quovis modo in aliquo est, sed quòd ex auro constat.

12. *Dices*: Cùm aurum sit in marsupio, & marsupium non dicatur aureum, quodnam ergò concretum de auro deductum de eo prædicabitur? *Resp.* Non semper impositum est nomen concreti, quo significetur abstractum hoc vel illo modo inexsistere, & ità fit impræsentiarum; Unde dicendum, Cui inest abstractum, de eo dicitur concretum, *si ipsi respondeat aliquod concretum impositum, ad significandum ipsum quod tali vel tali modo inest.*

Regula IV.

Ab inesse ad prædicari, valet consequentia.

1. Potest etiam ità dici, *Ab inesse, ad esse*, valet consequentia; quia quando aliquid de aliquo prædicatur, tunc unum dicitur esse alterum: quemadmodum animal non prædicatur de homine, nisi dicendo; Homo est animal.

2. Proponere autem regulam hîc volui propter magnam convenientiam quam habet cum præcedenti, quod indè patet, quia præcedentis nullus est sensus alius quàm hîc, *Ab inesse abstracti ad prædicationē concreti*, de eo cui abstractū inest valet cōsequentia. Unde etiam omnia ferè, quæ circa illam regulam nota fuerunt, in hac quoque observanda sunt; sunt tamen non planè eadem hoc ipso, quòd *illa loquitur de inesse abstracti & prædicatione concreti*: hæc autem *de inesse alicujus non determinando, abstractum sit, an concretum*, & de prædicatione ejus, quod inest, non determinando, in concreto prædicetur, an in abstracto; quamvìs sæpe si abstractum dicatur inesse, in prædicato sumendum sit concretum.

3. Hanc

3. Hanc ipſam ob cauſam exceptio illa quam §. 3. *regulæ præced.* propoſuimus, hîc omittenda eſt: poteſt enim omne id, quod ineſt, tanquam ſpecies individuo, de eo prædicari cui ineſt, ſi non in concreto, tamen in abſtracto, ſicut ex §. *citat.* conſtat.

4. Vocat autem Ariſtoteles ab ineſſe argumentari ad prædicari, 3. *top.* 2. τὸ ἀντιστρέφειν τὴν ἀπὸ τινὸς οἰκείαν ὀνομασίαν, *reciprocari ab aliquo proprium appellationem*, propterea quòd hîc id, quod, quando aliquid alicui ineſſe dicimus eſt ſubjectum, poſtea fit prædicatum, quemadmodum explicat Alexander, ut patet, cùm dico, Animal ineſt homini, E. homo eſt animal: quanquam converſio iſta planè non eadem eſt cum illa de qua Ariſtoteles, 1. *poſt. c.* 2.

5. Docet autem Ariſtoteles ἀντιστροφὴν ſive converſionem hanc, h.e. conſequentiam hanc *ab ineſſe ad eſſe*, ſive prædicari, eſſe neceſſariam & perpetuam in genere, definitione, & proprio. Si cui ineſt animal, illud eſt animal; & ſi cui ineſt, eſſe rationale, illud eſt homo; & ſi cui ineſt, eſſe ſuſceptivum Grammaticæ, erit ſuſceptivum Grammaticæ. In accidentibus autem ait, non eſſe hanc converſionem, ſive conſequentiam neceſſariam: quemadmodum non ſtatim, ſi æthiopi ineſt albedo, eſt albus; aut ſi aquæ calor ineſt, eſt calida; ſicut conſtat ex explicatione *regulæ præcedentis.* Huc ergò referenda ſunt omnia, quæ §.3. circa *præcedentem regulam* attulimus.

6. Verùm ſupereſt adhuc aliqua difficultas, quæ ex hactenus dictis dilui nequit. Nam eſſe ſpirituale ſive incorporeum ineſt homini; eſſe enim animæ rationalis, eſt, eſſe ſpirituale & incorporeum: Eſſe autem animæ rationalis ineſt homini, quis negarit? Interim homo non eſt ſpiritualis, & incorporeus. Poteſt hæc objectio ità formari: Quod ineſt illi, quod alteri ineſt, idipſum etiam illi alteri ineſt. Sed ſimplicitas & ſpiritualitas ineſt animæ, quæ ineſt homini. E. & ipſa ſimplicitas &

ſpiritualitas ineſt homini : homo autem non poteſt dici ſimplex aut ſpiritualis, quod directè adverſatur *regulæ præcedenti.*

7. Dicendum, poſſe aliquid alicui ineſſe dupliciter: 1. *Immediatè*, quod ſcilicet ita ineſt, ut non inſit priùs alteri, de quo affirmetur ; & quod ſic ineſt, ſemper prædicatur de eo, cui ſic ineſt ; obſervatis iis, quæ hactenus in hiſce duabus regulis notavimus. 2. *Mediatè*, & quæ ſic inſunt, eorum nonnulla non tantùm prædicantur de iis, quibus immediatè, ſed & de iis quibus mediatè inſunt ; ut intellectio, vel intelligere, immediatè ineſt animæ, & mediante animâ, homini ; diciturq; anima non ſolùm intelligere, ſed & homo : Quædam autem denominant tantùm ea, quibus immediatè, & non illa quibus mediatè inſunt ; quoniam nimirum repugnat ea de hiſce prædicari, quemadmodum eſſe accidens, ineſt calori immediatè ; & quia calor ineſt igni, ideò etiam accidens, vel eſſe accidens, ineſt igni, calor tamen ſolus eſt, & dicitur accidens, non autem ignis, quòd id naturæ ignis repugnet. Ità docent Occam, *l.* 1. *diſt.* 9. *q.* 2. & Gabriel, *ibidem a.* 3.

8. Hinc patet reſponſio ad objectionem §. 6. propoſitam : Veræ ſemper ſunt regulæ de iis quæ inſunt, *reſpectu eorum, quibus immediatè inſunt* ; obſervatis propoſitis requiſitis : Sed non veræ ſunt obſervatis etiam omnibus aliis requiſitis, *reſpectu eorum, quibus mediatè inſunt.* Poteſt enim inter ea, quæ inſunt, & ea, quibus inſunt mediatè, aliqua intervenire repugnantia, ut prædicatio impediatur; ſpiritualitas, & ſimplicitas, vel eſſe incorporeum, immediatè inſunt animæ, & propterea de ea prædicantur, dicitur enim anima ſimplex, ſpiritualis, incorporea ; quòd autem de homine ea non prædicantur cauſa eſt, quòd ipſi tantùm mediatè inſunt, & ità quidem ut hominem eſſe ſpiritualem, incorporeum, &c. involvat contradictionem.

9. Diximus autem in §. 2. ſi abſtractum inſit alicui, ſæpe ſumendum eſſe in prædicato concretum; id

id quis sibi explicari postulet, ut sciat quando in exsistente abstracto ipsum abstractum, quando concretum prædicari possit aut debeat. Verùm id ex parte constat ex §. 2. *reg. præced.* ex professo autem tradetur infrà in *titulo de propositionibus.*

REGULA V.

De quo prædicatur concretum, ei inest abstractum: Vulgò, *Dici de aliquo, requirit inesse:* Sive, *A prædicari ad inesse, valet consequentia.*

1. Quamvis hoc posterius sit aliquo modo universalius, cùm ad prædicationem abstracti de abstracto se etiam extendat; sed non videntur esse universaliter vera. Nam interdum, ut aliquid de aliquo prædicetur, necesse est ut abstractum ipsi insit, quemadmodum nihil album, vel calidum dicitur, nisi cui albedo, vel calor insit. Sæpe tamen id non requiritur, ut paries dicitur videri, & pecunia amari; & tamen nec visio parieti, nec amor pecuniæ inest. Dantur enim denominationes non solùm intrinsecæ, sed etiam extrinsecæ.

2. In prædicationibus quidditativis, imò in omnibus *essentialibus* universim verum esse videtur, id quod de aliquo prædicatur, ipsi inesse. Quod enim est de essentia rei, id non potest esse extra rem: at in *accidentalibus* id non semper ità esse ex §. *præced.* constat.

3. Sed unde novimus, inquis, quando, ut concretum de aliquo prædicetur, necesse sit abstractum ipsi inesse, & quando non necesse sit? Puto respondendum esse ad definitionem concreti; importat inexsistentiam abstracti in ipso, sicut justus dicitur cui justitia inest, calidum dicitur cui calor inest. Interdum ex expositione nominis concreti perspicitur non necesse esse, ut ipsi concretum insit, ut videri dicitur id, circa quod visio versatur; & calefaciens,

faciens id à quo calor efficitur. In prioribus igitur ut aliquid de aliquo prædicetur, *debet abstractum inesse*, non in posterioribus. Loquimur autem de *prædicatione propria*. Nam calidum est idem, quod habens calorem, vel id cui calor inest: Sol dicitur calidus, etsi ipsi calor non insit, sed id impropriè fit.

4. Sed potest forsan & alius regulæ sensus ostendi. Aristoteles verbum *inesse* de iis usurpat, quæ non revera insunt, quemadmodum constat ex 4. *Phys.* ubi dicit esse aliquid in aliquo, sicut res Græcorum in rege, & omnia in primo movente: item esse aliquid in aliquo ut in fine 2. *magn. moral.* c. 12. ait, Cognosci & amari esse in rebus animæ expertibus. Cognoscere autem & amare in animatis. Certum tamen est quòd res dicuntur amari & cognosci per denominationem extrinsecam, & quòd cognitio & amor, per quæ aliquid dicitur cognosci & amari, non sunt in rebus inanimatis quæ cognoscuntur & amantur, sed tantùm in animatis, quæ dicuntur cognoscere & amare. Videtur autem in hoc posteriori loco, aliquid *alicui inesse*, idem esse, quod aliquid *alicui competere* vel *convenire*. Hoc ergò modo explicaverit quis regulam, & dixerit, ut aliquid de aliquo dicatur requiri, ut ipsi conveniat.

5. At *inquis*: Hoc ipsum *aliquid alicui convenire*, est aliquid de aliquo prædicari, & per consequens, si in regula nostra *inesse* hoc modo explicetur, sensus erit, ut aliquid de aliquo prædicetur, requiritur, ut de eo prædicetur; quod ineptum.

6. *Resp.* Nego, aliquid alicui convenire, vel competere, esse formaliter idem, quod aliquid de aliquo prædicari: prædicari enim importat actum intellectûs, quo termini inter se componuntur: at competit aliquid alicui præciso omni actu intellectûs, quemadmodum igni competit calefacere, præciso omni actu intellectûs, & nemine cogitante. Habet se igitur hoc, quod dico, Aliquid alicui convenire,

venire, sicut fundamentum, propter quod aliquid de aliquo prædicatur.

7. Sciendum autem nos hactenus semper locutos de eo quod *verè* prædicatur, sive ità, ut *propositio vera sit*. Nam quodlibet potest de aliquo prædicari, sive affirmari, sicut possum dicere, corvum esse album, & nivem nigram; sed non potest quodlibet de quolibet prædicari, ità, ut prædicatio vera sit.

Regula VI.

Abstractum est forma concreti.

1. Dupliciter sumitur vocabulum *formæ*. I. Pro *forma informante*, ut constituit aliquod genus causarum. II. *Pro ratione per quam aliquid est & denominatur*.

2. Jam dico I. *Quoddam abstractum est concreti forma in prima significatione, quoddam non est*. Prima pars patet, de anima & albedine, hæc enim sunt abstracta animati & albi, quod constituunt, ut formæ informantes id quod animatum dicitur & album. Eadem ratio est caloris respectu calidi, justitiæ respectu justi, & cæterorum. Altera pars etiam manifesta est 1. In visione, quæ visi, & calefactione, quæ calefacientis, abstractum est, at nec visio visi, nec calefactio calefacientis forma informans est. Omnis enim forma informans est in re quam informat, at visio est extra rem visam, & calefactio extra calefaciens. Idem dicendum de omnibus abstractis, respectu concretorum extrinsecè denominantium. 2. In abstractis substantiarum completarum. Humanitas enim & animalitas non sunt formæ informantes hominis & animalis, quorum abstracta sunt, sed potiùs important totam eorum essentiam ex materia & forma compositam. 3. Materia est abstractum materiati, & tamen non est forma, quæ informat materiatum, sed potiùs id, quod à forma informatur.

3. II. *Omne abstractum est concreti forma, in secunda significatione*. Omne enim abstractum est id, à

quo concretum denominatur, quemadmodum à visione aliquid videri, à calefactione calefaciens, ab humanitate homo, à materia materiatum dicitur.

Regula VII.

Abstractum est prius concreto.

1. Est enim abstractum id, *per quod concretum formaliter est*, ut per albedinem, album; per humanitatem, homo: at omne id, per quod aliquid formaliter est, prius eo est.

2. Sciendum autem *prius* duplici modo dici: *Re* & *Ratione*. Re prius dicitur, citra *operationem intellectûs*, quod prius, sive nemine cogitante. Ratione autem, quod tantùm ex *imperfecto* nostro *modo* cognoscendi prius est: nempe quando aliquid est prius aliquo ità ut ab eo secundùm rem differat, tunc est etiam prius secundùm rem; quando ab eo solâ ratione differt, tunc etiam ratione prius est.

3. Dico autem abstractum interdum esse re ipsâ prius concreto, interdum ratione, quod quidem ex §. *praeced.* erit evidentissimum, si ostenderimus non semper re, sed interdum ratione solùm à concreto abstractum distingui.

4. Picus Mirandulanus, *l. de Ente & Uno c.* 3. inter abstractum & concretum id discriminis facit, quòd illud per se tale sit, & non ab alio: Concretum autem sit tale beneficio & participatione alterius, nempè abstracti, quemadmodum lucens, luce lucet; & candidum, candore candidum est, candorem autem à se ipso & nullius participatione candorem esse ait. Hinc statuit ens ut pro concreto sumitur, importare aliquid alieni, & esse id, quod esse ((*tanquam abstractum suum*) participet, atque indè concludit, Deum non esse ens sumtâ hâc voce, pro concreto, quia in Deo nihil est alieni, neque est per participationem. Quam opinionem quisquis perpendet, sine dubio colliget, Mirandulanum statuisse, abstractum à concreto semper, secundùm rem differre. Ejusdem sententiae est Scaliger

liger, qui & ipſe, *exercitat.* 261. *ſ.* 6. negat Deum rectè dici ens, omnipotentem, juſtum, &c. Quia, ſi hæc & alia concreta de Deo rectè dicerentur, eſſet in Deo aliud ab ipſo, & ipſo prius, nempe abſtractum.

5. Nos concedimus, ſæpè abſtractum à concreto realiter differre, ut apparet in exemplis à Mirandulano adductis: nam candidum idem eſt, quod habens candorem, ſed habens candorem realiter differt, à candore; nam per *habens candorem* ſignificatur ſubjectum candoris; ſubjectum enim candoris eſt id, quod candorem habet, ſed ſubjectum candoris verbi gratiâ charta realiter differt ab ipſo candore. Eadem ratio eſt lucentis ſive lucidi, reſpectu lucis. Atque hæc cauſa eſt cur in ejuſmodi accidentibus, nec abſtracta de concretis, aut ſubjectis ſuis; nec concreta aut ſubjecta de abſtractis *verè* prædicari poſſint: omnes enim hæ prædicationes, Candor eſt candidus, candidus eſt candor, charta eſt candor, pro falſis habentur: quòd ſi inter hæc non intercederet diſtinctio realis, iſtæ prædicationes eſſent utique veræ, quemadmodum conſtat ex §. *6. reg.* 2.

6. Non dubito tamen, quin non rarò, etiam *ſolâ ratione* abſtractum & concretum diſtinguantur: Deus, pater, filius, in divinis concreta ſunt, Deitas, paternitas, filiatio, abſtracta quis negaverit? ſed differtne Deitas à Deo, paternitas à patre, filiatio à filio realiter? Diciturne Deus *Pater* per participationem paternitatis? Clara etiam res eſt extra Deum. Quantitas eſt diviſibilis per diviſibilitatem, tanquam per abſtractum, dico hîc abſtractum & concretum ſecundùm rem, eſſe idem, & non plus quàm ratione diſtingui. Nam diviſibile nihil dicit aliud quàm ſubjectum in recto, & diviſibilitatem in obliquo, ſicut candidum importat ſubjectum in recto, & candorem in obliquo. Videatur Philippus Du Trieu, *tract.* 1. *pag.* 1. *cap.* 1. *a.* 5. *&* 6. Subjectum per ſe & immediatè eſt diviſibile, & quantitas, adeo, ut ſi quantitas per ſe exſiſteret

extra omnem substantiam, adhuc esset divisibilis. Dico autem divisibilitatem à subjecto secundùm rem non differre, quia ablatis omnibus quæ cogitari possunt, tanquam à quantitate secundùm rem distincta, adhuc quantitas est & manet divisibilis.

7. Ex quibus jam evidens est assertio nostra §.3. proposita. Quæcunque enim ità priora sunt aliquibus, ut re ipsâ ab iis differant, illa re ipsâ ipsis sunt priora: At nonnulla abstracta ità sunt priora suis concretis, ut re ipsâ ab iis differant. E. nonnulla abstracta re ipsâ sunt priora concretis. sicut &, Quæcunque ità sunt priora aliquibus, ut solâ ratione ab iis differant, illa sunt ratione ipsis priora. At abstracta quædam isto modo sunt priora concretis. E. abstracta quædam ratione sunt priora concretis. Major est desumta ex §. 2. Minor constat ex §. 5. *&* *6*.

8. Satìs autem perspicitur ex §. 4. scire non omne abstractum re ipsâ differre, & aliud à concreto, ipsóque prius & per participationem tale esse, non parvi rem esse momenti. De sententia Scaligeri & Mirandulani, an de Deo ens & concreta alia rectè prædicentur, alibi egimus.

9. Dicis: Omnis forma secundùm rem differt à formato. E. & omne abstractum secundùm rem differt à concreto. *Resp.* Antecedens verum est de *forma informante*, & quæ est causa propriè dicta; sed de forma, sumta pro ratione à qua aliquid *formaliter denominatur*, non est universaliter verum, sicut patet de divisibilitate quæ est forma à qua quantitas denominatur divisibilis. *Ab unitate abstracti non potest inferri unitas concreti; nec ex illius multiplicatione, hujus.*

TIT.

TIT. VII. continens REG. XIII. *circa doctrinam Finis.*

POstquam jam regulas de causis internis explicavimus, progredimur ad externas inter quas fini *primum tribuimus locum.*

REGULA I.

Omnis finis est bonum quid.

1. Significavit hoc Aristoteles, 1. *Ethic.* 1. *&* 7. 2. *Phys. t.* 31. 5. *Metaph. c.* 2. & pertinet huc illud vulgatum, *Nemo intendens ad malum, operatur.*

2. Obstat, quòd explere libidinem, possessio bonorum alterius, sunt mala; & tamen fines sunt, illud libidinosi, hæc avari. E. quidam *fines* sunt mali. E. quædam, quæ *fines* sunt, mala sunt.

3. Pro explicatione hujus regulæ, & responsione, sciendum: Cùm dicitur malum esse finem, posse dupliciter intelligi: 1. Ut malum sumatur *materialiter*, pro re quæ est mala. 2. *Formaliter*, & quatenus malum est; sive ità, ut malitia sit ratio, sub qua, & per quam aliquid potest esse finis. Priori modo conceditur, malum posse esse finem, sive quosdam fines posse esse malos; idq; probatur §. *praced.* Neque verò hoc nostræ adversatur regulæ, nulla siquidem est consequentia, Quidam finis est malum quid; E. non omnis finis est bonum quid: Quandoquidem unum & idem, simul bonum & malum esse potest, 1. *In diversis generibus bonorum & malorum*, quod enim est malum moraliter, potest esse bonum physicè; sicut vitam conservare, est physicè bonum, quamvìs aliquando possit esse malum in genere

morum, ut si quis vitam hanc præferat saluti patriæ, aut etiam animæ, ità potest esse aliquid malum, ut malum opponitur bono honesto, quod tamen est bonum jucundum, quale est stuprum & expletio libidinis; vel utile, qualis est possessio alienorum bonorum. Ità etiam distinctio hæc notanda est, inter bonum *verum* & *apparens*. Potest igitur aliquid esse revera malum ut apparenter sit bonum.

5. Quantùm ad posteriorem modum, quo de modo formaliter sermo est, negamus malum posse esse finem: hoc modo intelligatur cùm dicitur omnem finem esse bonum quid, hic enim est sensus, quòd nimirum licèt id, quod finis est, possit esse interdum bonum & malum; nunquam tamen sit finis quatenus malum est sive sub ratione mali, sed quatenus bonum sive sub ratione boni. Argumentamur ità, Quicquid appetitur est bonum. Omnis finis appetitur E. omnis finis est bonus. Item, Sub qua ratione nihil appetitur, sub ea ratione nihil est finis: Sed sub ratione mali nihil appetitur, sed quicquid appetitur, appetitur sub ratione boni. Ergó Minor prioris probatur ex eo, ut & major posterioris Syllogismi, quòd, *finem esse*, est appeti, cùm causalitas, sive ratio formalis finis sit, movere & allicere ad se appetitum, motione quadam metaphoricâ, quod ipsum est appeti. Major prioris & minor posterioris Syllogismi est apud autores concessa, excepto Ochamo qui 3. *sent. q.* 13. *d.* 3. statuit voluntatem posse velle & appetere malum, nempe etiam formaliter sumtum; & nescio an quis alius ejus sequatur sententiam, quam passim apud autores discussam vide, & refutatam.

6. Manet igitur certum & firmum, *omnem finem esse bonum*, si non moraliter, tamen physicè; si non ut honestum, tamen ut jucundum; si non revera, tamen apparenter. Ità enim expressè Aristoteles, 2. *phys. loc. cit.* de *Fine* loquens: Differat autem nihil, inquit, idem dicere bonum, & apparens bonum; & ratio est, quia voluntas nihil appetit tanquam finem, nisi per hoc, quòd ipsi proprium, & à facultate cognoscente. E. perinde est, quoad rationem appetitûs,

tûs, five id quod appetitur, & eft finis, fit revera bonum, five non: modò à facultate cognofcente tanquam bonum cognofcatur.

Regula II.

Finis & bonum funt idem.

1. Eft hæc trita fermone fententia, & defumitur ex Ariftotele, *locis præced. reg. citat.* fed vera effe non videtur: I. Quia bonum formaliter in perfectione confiftit cuilibet rei debita, vel in hoc, quòd una res cum altera convenit; at finis ratio confiftit in motione metaphorica voluntatis; vel in hoc, quòd ejus gratiâ aliquid fit. II. Quia non omne bonum eft finis. Si enim bonum aliquod fit incognitum, bonum quidem eft, fed non finis, cùm, ut aliquid finis fit, & exerceat caufalitatem caufæ finalis, requiritur ut fit cognitum.

2. Pro explicatione præfentis regulæ fciendum, *Idem* poffe duobus modis dici. 1. *Formaliter*, cui apud Ariftotelem, 1. *phyf. t.* 21. & 1. *de ortu & interitu* opponitur, diftingui τῷ λόγῳ & τῷ εἶναι, *definitione & effentiâ.* Unde, quæ fic idem funt, eandem definitionem, vel rationem formalem habent: ut enfis & gladius. 2. *Materialiter*, five fubjectivè, & fic idem funt, quæ in eodem funt fubjecto, & denominativum & denominatum, vel duo denominativa, quibus refpondet unum denominatum, quomodo juxta Philofophum *l. c.* albus & muficus funt idem, quando idem homo, qui albus eft, artem etiam muficam callet. Quâ ratione etiam idem funt, fi quis dicat, voca mihi Petrum, & voca mihi illum fimum & crifpum, fi Petrus fimus aut crifpus fit.

3. Nunc dico, I. *Finis & bonum non funt idem formaliter:* Hoc probat argumentum primum §. 1. Dico II. *Finis & bonum funt idem materialiter*, five fubjectivè, quoniam nimirum eadem res & idem fubjectum eft, quod bonum eft, & finis dicitur, cùm, ut præcedens regula docet, nihil habeat rationem finis, nifi bonum.

 4. Argumen-

4. Argumentum primum §. 1. non est contra nos, sicut patet ex §. *praeced.* Quantùm ad secundum, negatur haec consequentia, Non omne bonum est finis, actu scilicet, E. finis & bonum non sunt idem. Nam ut ex Aristotele, §. 2. diximus, musicum & album sunt idem, etsi non omnis musicus sit albus, nec omne album sit Musicus. Ut igitur aliqua dicantur idem, non necesse est ut reciprocentur.

Regula III.

Acquisito fine cessat omnis actio.

1. Non videtur hoc esse verum, 1. Quia curatio vulneris non cessat, acquisito vel habito ejus fine. Curatio vulneris est actio. E. Quaedam actio non cessat acquisito vel habito ejus fine. Majorem probo, finis curationis est homo vulneratus, nempe finis *cui*. At quando chirurgus habet talem hominem, fidei suae commissum, non cessat curatio, sed tum demum incipit. 2. Quia gaudium in fine & delectatio non cessat, eo acquisito: at gaudium & delectatio est actio.

2. Praesupponendum est, actionem circa finem esse multiplicem: quaedam est circa eum *secundùm se*, ut est bonum quid, qualis est amor simplex: quaedam versantur circa eum, ut *acquirendum*, ut intentio, consultatio & inquisitio mediorum, quas sequitur electio, quam sequitur exsecutio & usus mediorum: quaedam ut *acquisitum*, ut gaudium & delectatio. Inter has omnes actiones, id etiam intercedit discriminis, quòd quaedam sunt *circa finem* proximè, quales sunt amor simplex, gaudium; reliquae sunt *circa medium* proximè.

3. Nunc dico, Regulam esse intelligendam de actionibus, quae sunt circa finem ut *acquirendum*, acquisito fine cessant actiones, quae ad ipsum acquirendum faciunt; quando enim non ampliùs est objectum actionis, actio ipsa ampliùs esse nequit, sicut sublato visibili, actus videndi exerceri nequit; Sed acquisito fine, non ampliùs est objectum actionum, quae circa

finem

finem ut acquirendum verſantur. Objectum enim actionum, quæ circa finem ut acquirendum verſantur, eſt finis ut acquirendus, ſicut ex terminis notum eſt: At acquiſito fine, non ampliùs eſt finis ut acquirendus: acquiſito igitur fine non ſunt ampliùs actiones, quæ circa eum ut acquirendũ verſantur. De actionibus, quæ reſpiciunt finem ut *acquiſitum* regula non valet: & hoc probat argumentum ſecundum §. 1. ad quod propterea nihil amplius reſpondendum eſt, & certè contradictio eſt, actiones quæ ſunt circa finem ut acquiſitum, debere ceſſare fine acquiſito.

4. Ex quibus jam facilè & hoc intelligitur, regulam non loqui de fine *cui*, ratio, quia loquitur de fine qui acquiritur, vel acquiſitus eſt. At finis *cui*, quatenus eſt finis *cui*, non acquiritur, & neque ut acquirendus, neque ut acquiſitus conſiderari poteſt. Exſiſtit ille ante actiones, quæ circa finem vel mediatè vel immediatè verſantur; & eſt id ipſum, cui aliquid acquirimus, vel acquirere cupimus.

5. Dixi autem, *quatenus eſt finis cui*; nam poteſt etiam *finis cui* acquiri, & tum ut acquirendus, tum ut acquiſitus conſiderari, ſed tunc non habet rationem finis *cui*, ſed finis *cujus*: e. g. audit chirurgus, ſtudioſum eſſe vulneratum, arreptis ſuis inſtrumentis & auxiliis accurrit, eum in finem, ut illius cura ſibi demandetur. Hic vulneratus habet rationem finis *cujus*, qui poſtquam jam fidei chirurgi concreditus eſt, ipſique manus auxiliatrix adhibetur, habet rationem finis *cui*, Atque hinc patet, neque primum argumentum §. 1. nobis adverſari, quia loquitur de fine *cui*.

6. Sed inſtas ulteriùs: Divitiæ ſunt fines avari, & quidem finis *cujus*, acquiſitis divitiis, non ceſſat actio avari, etiam ea, quæ eſt circa divitias acquirendas, ſemper enim eò tendit, ut plures corradat.

7. Reſpondeo ex Bonaventura, 2. *diſt.* 38. *q.* 2 *n* 7. finem poſſe dici acquiſitum vel *completè* vel *incompletè*. Ceſſat actio circa finem acquirendum, ſi *completè* acquiſitus fuerit, non autem ceſſat actio ſi tantùm *incompletè* acquiſitus finis. Hinc nunquam ceſſat labor avari

avari, circa divitias congerendas; quia cùm nunquam ſatietur ejus appetitus, ſemper eas habet pro incompletè tantùm acquiſitis. Poteſt etiam dici, acquiſito fine ceſſat actio circa finem ut acquirendum, quatenus eſt acquiſitus, non autem quatenus adhuc aliquid ejus acquirendum reſtat. Et ſic avarus inhiat divitiis, non iis, quas acquiſivit jam, ſed iis, quas non acquiſivit.

Regula IV.

Quando rectâ viâ ad finem aliquem progredi poſſumus, non eſt opus per obliquam & longiorem incedere.

1. Verba ſunt Zabarellæ, *de* 4. *fig.c.*7. Senſus hic eſt: Cùm per plura media ad finem propoſitum pervenire poſſumus, illud medium aſſumendum eſt per quod faciliùs pervenitur: relinquenda illa in quibus major difficultas eſt, aut longius tempus requiritur. Adducamus exempli loco id, de quo Zabarella *eo loco* agit: Duæ ſunt viæ reducendæ Syllogiſmos ſecundæ & tertiæ figuræ ad primam, una per converſionem propoſitionum, altera per deductionem ad abſurdum. Utimur autem quando poſſumus potiùs priore, quàm poſteriore, quia illa facilior eſt & compendioſior.

2. Intelligenda tamen hæc ſunt, ſi *cætera ſint paria*, h. e. ſi per plura æquè bene, tutò, & perfectè finis haberi poteſt, tum illud eſt aſſumendum per quod faciliùs obtinetur, aut breviori tempore. Quòd ſi per unum medium faciliùs quidem & breviori tempore, per alterum verò perfectiùs & tutiùs acquiratur, licebit illud arripere, per quod perfectiùs & tutiùs obtinetur, etſi id cum majore difficultate ſit conjunctum, aut longius requirat tempus.

REGULA V.

Finis dat bonitatem, amabilitatem, mensuram, & ordinem mediis.

1. Ità Pererius, *l. 8. de causis c. 2.* Dat bonitatem & amabilitatem mediis, propterea enim media bona nobis sunt, & convenientia, appetuntúrque non per se, & ratione sui, sed quia finis bonus nobis est, & conveniens, & à nobis appetitur, quemadmodum quòd Rhabarbarum nobis conveniens est, & expetitur atque assumitur, id unicè habet ex eo quòd conveniens nobis est, atque amatur sanitas, ad quam acquirendam conducit, absque qua si foret, omnes id adversarentur, neque bonum sibi judicarent.

2. Similiter quæ mensura & quis ordo in mediis sit servandus, ex fine spectatur, quemadmodum medicus non quolibet pondere, sed certâ mensurâ medicamenta exhibet, & quidem, quæ pro acquirenda sanitate videntur accommoda: Rhabarbari v.g. exhibet unciam semis, hanc δόσιν præscribit finis, tantâ enim quantitate exhibitum, expurgat pravos humores; pro restituenda sanitate, non exhibentur tantum aliquot grana, vel unus atque alter scrupulus, quia cùm sic non purget, nihil facit ad sanitatem; neque exhibentur aliquot unciæ, quia sic fieret hypercatharsis, quæ ad sanitatem non tantùm nihil confert, sed ipsam unà cum vita in periculum adducit. Sed & priùs digerit medicus & præparat humores, quàm purgans medicamentum propinet, quia sic meliùs & faciliùs pravi humores expelluntur pro restituenda sanitate. Ità & studiosus priùs Logicam addiscit quàm alias scientias, quia nisi hunc ordinem servet, & alias disciplinas præmittat Logicæ, aut planè non, aut certè cum magno dispendio, evadet doctus.

3. Sed hîc objicitur: Si finis dat bonitatem mediis, sequitur, quotiescunque finis bonus est, media etiam bona esse. Sed posterius non est. E. nec prius. Minor probatur, quia accidit, ut quis ad bonum finem per mala media contendat, ut si quis, ut suc-

curat

currat pauperibus, cùm non habeat quod det, alterius opes invadat.

4. *Resp.* Cùm dicitur finem esse bonum & media mala, sermo est de bonitate morali, quæ *honestas* dicitur, & de malitia ipsi opposita. Moraliter ergò non omnis finis bonus est, sed quidam malus, & media non semper bona sunt moraliter, si finis sit moraliter bonus & honestus. Cùm autem dicimus in regula *media accipere bonitatem à fine*, non est sermo de bonitate morali, quasi finis, si moraliter bonus sit, faciat etiam media esse talia; sed intelligitur ità, quòd medium, ut medium in se, per se & propter se, non sit expetibile agenti, nec ab eo hoc modo ametur; sed quòd ab ipso pro bono habeatur & ametur, id indè esse quòd res ad quam acquirendam utile est, tanquam finis appetatur. Negatur ergò propositio major, quia consequens loquitur de bonitate morali, & quod per se bonum est; antecedens autem de eo quod tanquam utile ad illud expetitur, quòd bonum utile moralem bonitatem per se non includit.

REGULA VI.

Finis non habet modum aut mensuram.

1. Citat hoc Pererius ex Aristotele, 1. *polit. c. 6. loco* scilicet supèr *citato*. Ita sanitas sine modo aut mensura expetitur, nempe quanta maxima esse potest; medicamenta verò eâ mensurâ, eo modo expetuntur, quo ad sanitatem conducunt, sicut ex *reg. præced.* constat.

2. Sed objicis, 1. Quod non habet mensuram non potest dare alteri mensuram: Sed finis potest dare alteri mensuram, utì constat ex *reg. præced.* E. finis non est id quod non dat alteri mensuram. 2. Eruditio appetitur cum mensura, optant enim sæpè studiosi, ut modò tantum vel tantum eruditionis sibi possint acquirere, plus se non expetituros. Eruditio autem est finis nempè studiosi. Quidam ergo finis cum mensura appetitur.

3. Resp. In primo argumento major est falsa: Siquidem

quidem poteſt aliquid dare alicui aliquid, etſi ipſum non habeat formaliter, ut manifeſtum eſt in cauſis æquivocis, qua de re ſuprà *tit.* 3. Ità aldedo, tanquam forma, dat parieti ut ſit albus, cùm tamen ipſa non ſit alba.

4. Ad ſecundum, ad minorem, eruditio quatenus cum menſura appetitur, non eſt finis; ſed potiùs habet rationem medii, ad ſuſtentationem vitæ, vel ad aliud quid, ſicut non rarò tantum eruditionis ſibi ſolent optare, quantum indigeant ad hoc vel illud munus obeundum.

Regula VII.

Finis eſt primum in intentione, & ultimum in exſecutione.

1. Duplicem Philoſophi ordinem conſtituunt, unum *intentionis* ſive *appetitionis*, quando ſcilicet plura expetuntur, unum prius expetitur alio, in quo ſæpè & conſultatio de mediis includitur: alium *exſecutionis*, quando ea quæ appetimus, & de quibus conſultavimus, exſequimur, & in iis quæ facienda & acquirenda ſunt, unum prius altero facimus vel acquirimus.

2. Ariſtoteles, 3. *Ethic. c.* 3. ait, τὸ ἔσχατον ἐν ἀναλύσει, πρῶτον εἶναι ἐν τῇ γενέσει, *quod ultimum eſt in reſolutione, primum eſſe in exſecutione.* Ubi per ἀνάλυσιν intendit ordinem intentionis & conſultationis: per γένεσιν ordinem exſecutionis. Unde patet hos duos ordines non ſolùm diverſos, quatenus prior in mente eſt, alter in reipſa, ſed & oppoſitos eſſe.

3. In ordine ergò intentionis finis eſt primum, h. e. finem omnium primò appetimus, & poſtmodum media. Ratio, quia quod ità appetitur ut ſit cauſa cur reliqua appetantur, id eſt primùm in appetitione ſive intentione. Sed finis ità appetitur ut ſit cauſa cur reliqua appetantur. E. primùm in intentione eſt. In ordine exſecutionis verò eſt ultimum, ratio, Quicquid acquiritur per reliqua, illud eſt ultimum in acquiſitione. Finis acquiritur per reliqua, nempe per media. Finis ergò ultimum eſt in acquiſitione. Ità

primò

primò omnium fertur appetitus ægri in sanitatem, & cùm eam sine medicamentis, vel planè non, vel difficulter saltem & tardè recuperari posse existimat, appetit medicamenta tanquam medium proximum, postmodum deliberat de medico, & hunc vel illum eligit, demum dispicit quis medicum vocare debeat, & vult ut hic vel ille eum vocet, & hoc est ordo intentionis sive deliberationis; quando verò jam ad exsecutionem fit progressio, tum primum ille, qui medicum vocare debet, jubetur abire, qui abit & medicum vocat, qui postmodum venit & medicamenta præscribit, quibus sumtis, sanitas restituitur. Hîc sanitas, quæ primùm fuit in ordine intentionis fit ultimum in exsecutione, & is qui vocare debet medicum, ultimus fuit in intentione, primus in exsecutione. Lege Aristotelem, *de part. animal. cap.* 1. & Vazquez, *t.* 1. *disp.* 89. *q.* 7. §. 53.

Regula VIII.

Finis est prior mediis.

1. Non potest non hac de re constare ex *reg. præced.* placet tamen ulteriùs paucissimis id considerare.

2. Sempronius refutaturus olim scripta Titii, initio ipsum reprehendit, quòd priùs egerit de fine quàm de mediis, quia media, inquit, esse priora fine, eruditi norunt. Lapsus puerilis in re tam facili & obvia. Norunt eruditi media esse fine priora, sed norunt etiam iisdem finem priorem esse mediis. Aristoteles, *cit. c.* 1. 2. *de part. an.* scribit, finem esse naturâ priorem iis, quæ ad finem referuntur. Et annon finis est causa mediorum? At causa omnis prior est iis, quorum est causa, sicut ex *tit.* 3. constat. Et finis prior mediis, ordine *intentionis*, & quantùm ad esse objectivum, & ut exercet causalitatem finis. Est poster or mediis ordine *generationis*, & quantùm ad esse reale, quod jam obtinet ut effectus.

3. Quantùm ad ordinem doctrinæ, de quo §. 1. quæstio erat, illum semper procedere à cognitione finis ad cognitionem mediorum, & ità in eo finem

esse

esse priorem mediis docet eruditè Zabarella, *l. 2. de method. c. 9. & seqq.* & rationibus & textibus Aristotelis & exemplis, ubi vide.

REGULA IX.

Qui vult finem, vult etiam media ad finem.

1. Sed obstat, quòd quidem ægroti non velint media, v. g. potionem amaram, qui tamen volunt sanitatem, quemadmodum felis amat pisces sed aquas intrare recusat.

2. Dicendum voluntatem duplicem esse, *efficacem*, & *complacentiæ.* Efficax est, quâ alicui itá placet res, ut velit eam efficere, vel consequi. Voluntas complacentiæ est, quâ placet alicui res, & amatur in se, sed eam non cupit efficere aut consequi, quia scilicet nullam habet spem ejus consequendi, aut forsan alias etiam ob causas.

3. Jam dico, *Qui vult finem voluntate complacentiæ, is non vult media*, quia media, ut media, respiciunt finem efficiendum aut consequendum. Cùm igitur is qui vult finem voluntate complacentiæ, non velit illum efficere aut consequi, hoc ipso non potest velle media: & si vellet media, hoc ipso etiam vellet finem efficaciter, sed qui efficaciter vult finem, ille ipsa media velit necesse est, quoniam in voluntate, quâ quis vult finem efficere aut acquirere, mediorum voluntas includitur, cùm efficientia aut acquisitio finis in medio consistat.

4. Ubi & hoc sciendum, quòd qui vult finem efficaciter, velit etiam aliquod medium, saltem *confusé*: vult enim formaliter aut hoc medium aut illud: postea verò si non habeat exploratam convenientiam mediorum, de illis consultat; factâ consultatione, deponit priorem actum, & novo actu vult priorem finem, cum hoc medio particulari & determinato: quando verò quis initio statim habet bene explorata media, non intelligitur de illis consultare, est enim consultare, inquirere quodnam medium sit conveniens; quâ inquisitione non eget, qui satis ex-

plorata

plorata habet media, sed simul amat finem cum hisce mediis convenientibus determinatè. Indè cùm quis vult finem efficaciter, non requiritur, ut, cùm plura sint media, omnia ea, aut quodvis velit, cùm omnibus non sit opus: imò si uno medio uti velit, sæpe altero uti nequeat. Sufficit igitur si uno utatur.

5. Jam respondeo ad argumentum: Qui ægroti volunt sanitatem, volunt etiam aliquod medium saltem confusè in principio, postmodū volunt etiam aliquod determinaté: & quanquam nunquam velint potionem amaram, non tamen sequitur, quod non velint medium, cùm etiam alia media sint, vel saltem alia esse illi existiment: Fit ut quis de omnibus mediis humanis desperans, in precibus, tanquam mediis, adhuc subsidium quærat: quòd si de nullo planè solicitus sit medio, nec *efficaciter* vult sanitatem, sed solùm voluntate *complacentiæ*.

6. Sed antequam ad alia progrediamur, placet sequentem Syllogismum considerare: Qui vult finem, vult etiam media ad finem. At Deus vult punitionem peccatorum. Ergò, vult etiam peccata.

7. Resp. Negando minorem, quia falsum est accuratè loquendo, punitionem esse finem peccatorum. Potest quidem punitio esse finis peccatorum, prout finis sumitur pro *extremo*, & quibusdam dicitur finis *determinationis rei*, quomodo quidem interitus est finis rerum, qui intereunt; & punctum est finis lineæ. Sed de fine *ut est causa*, & dicitur *finis motionis agentis*, hîc est sermo. Certè finis est id cujus gratiâ aliquid est vel fit: At peccata non fiunt punitionis gratiâ, nemo enim peccat ut puniatur. Permittit quidem, ordinátque peccata Deus ad bonum finem, ut ea puniendo justitiam & gratiam suam ostendat, sed potiùs indè sequitur, hunc esse finem non peccatorum, sed permissionis peccatorum.

8. Quòd si loco minoris ità subsumitur, Atqui Deus vult punitionem peccatorum, tanquam finem, & concludatur, Ergò, Vult quoque media ad punitionem; concedimus conclusionem, sed indè non sequitur, quòd velit peccata, quia peccata puniuntur

morbis,

morbis, fame, tanquam mediis, quæ Deum velle concedimus: Fit etiam ut Deus permittat labi hominem in graviora peccata, quæ ipsi cedat in pœnam præcedentium, sed non necesse est ut ipsa peccata velit, sed sufficit ut velit ipsorum permissionem.

9. Denique ut quasi ad oculum demonstretur, argumentum nihil concludere, similiter faciemus discursum: Qui vult finem, vult media ad finem. At princeps vult finem rebellionis, nempe, victoriam. E. etiam vult rebellionem. In hoc argumento non potest non esse aliquod vitium, quia conclusio manifestè falsa est, cùm nullus sit princeps qui non toto pectore aversetur rebellionem: Ergò etiam argumentum suprà propositum non potest esse omnis vitii expers, quia est isti planè simile.

REGULA X.

Forma & finis coincidunt.

1. Ità Aristoteles, 2 *phys. t.* 70. *Plerumque tres* (causæ) *coeunt in unum, quandoquidem forma & id cujus gratiâ unum sunt: id autem unde motus principium est* (causa efficiens) *ejus est speciei, cujus hæc sunt: hominem enim homo generat.* Hæc Aristoteles. Coincidunt & unum sunt *forma rei genitæ* & *finis*, non finis rei *genitæ* (nam finis rei genitæ sunt operationes) sed *generationis*. Coincidit etiam cum hisce duabus causis, efficiens; sed diversimodè. Nam forma rei genitæ & finis generationis, numero eadem res sunt: Sed causa efficiens est specie tantùm idem cum illis, ut forma hominis vel bovis generantis, cum forma hominis vel bovis geniti, sicut expresse habet Aristoteles.

2. Intelligendum autem hoc est non de causa efficiente, quæ est principium quod agit, sed de *forma* ejus, quæ & ipsa *est causa efficiens*, sed tanquam principium *quo*. Nam cum forma ignis geniti non ejusdem speciei est ignis generans, sed est forma ignis generantis: nec hoc universale est, cùm valeat solùm in *causis univocis*, sicuti ex modo posito exemplo patet,

patet, non autem in *aquivocis*, forma enim ſolis non eſt ejuſdem ſpeciei cum forma ranæ à ſole genitæ.

REGULA XI.

Unius rei, poſſunt eſſe plures fines.

1. Aliud hic dicendum eſt de fine *interno*, aliud de *externo*. Plures fines *interni unius actionis* eſſe non poſſunt, quia per finem internum nihil aliud hîc intelligimus, quàm terminum actionis immediatum; at ejuſmodi actionis non poſſunt eſſe plures termini. Ità calefactio tantùm determinatur in calidum, frigefactio in frigidum, generatio bovis in bovem, niſi diſtinguere velimus inter terminum *Qui* & *Quo*. Terminus *Qui eſt id quod per actionem fit*, nempe compoſitum ipſum Terminus *Quo eſt forma compoſiti*, *quod fit*, ſicut terminus calefactionis *Qui* eſt calidum, *Quo* eſt calor: & terminus generationis bovis *Qui* eſt bos, *Quo* forma bovis. Poteſt dici terminus Quo *partialis*, Qui *totalis*. Unius actionis finis unus eſt internus, totalis, unus partialis; ſed plures eſſe poſſunt, quorum unus totalis, alter partialis. Quanquam terminus totalis, quodammodo immediatus dici poteſt, quia fit mediante termino Quo, ſive partiali.

2. Quantùm ad *extrinſecos*, iterum aliter ſtatuendum eſt de *ultimo*, aliter de *intermediis*. Unius non poſſunt eſſe plures fines ultimi, per Thomam, 1. *ſecunda* 1. *q*. 1. *a*. 5. & ratio eſt, quia de ratione finis ultimi eſt, ut omnia referantur in ipſum: ſed ſi ſtatuamus duos fines ultimos, neuter eorum erit ultimus, quia ad neutrum referuntur, non enim illorum finium unus ad alterum refertur.

3. Poſſunt autem fines referri vel ad *agens*, ità ut cùm quæritur, An unius plures fines eſſe poſſunt, ſenſus ſit, An unius agentis v. g. hominis: vel *ad actionem*, ità ut ſenſus ſit, An unius actionis plures ſint fines. Unius agentis non poſſunt eſſe plures fines ultimi; ut probatum *praced*. §. Sic enim ſimul inter plura unum ad alterum referetur, & non referetur; diverſis tamen temporibus poſſunt eſſe, ut ſi libidinoſus,

ſus, cujus ultimus finis voluptas, laberetur in extremam avaritiam, & actiones omnes ad divitias referret. De actione, hac distinctione non opus eſſe video, quia una actio non exſiſtit diverſis temporibus.

4. Eſt igitur & hoc notandum ex Gregorio de Valentia, *t.2.diſp.1. q.1.p. 2.* aliud eſſe dicere *plures res eſſe ultimum finem ejuſdem*, ut hominis; aliud *plures eſſe ultimos fines ejuſdem*, ut hominis. Prioris ſenſus eſt, plures res conjunctim & ſimul ſumtas eſſe unum finem hominis, unamquamque autem ſeorſim non eſſe totum finem, ſed partes unius finis; & hoc verum eſt, facítque huc quod Auguſtinus, *lib. 19. de civit. Dei, c. 3.* refert, Varronem ſummum bonum conſtituiſſe in bonis utriuſque rei, animæ & corporis: Poſterioris verò ſenſus, plures res eſſe, quarum unaquæq; per ſe & ſeorſim ab aliis conſiderata ſit ultimus finis. Et hoc fieri eodem tempore nequit, ut antea probatum fuit. Eódem recidit quòd alii diſtinguunt inter finem *totalem* & *partialem*. Plures fines partiales unius agentis eſſe poſſunt, ſed non totales. *Et hæc de fine ultimo.*

5. Poſſunt plures fines ejuſdem rei eſſe ità, ut unus *ultimus*, alter *intermedius*, vel etiam *uterque intermedius* ſit. Qua de re placet referre verba Bonaventuræ, is igitur *2. diſt.3. q. 3.* *Unius*, inquit, *rei plures fines ſtatuere, poteſt eſſe tripliciter: Uno modo, quòd finis ſit ſub fine & propter finem, ſcilicet ut unus ſit principalis, alter non principalis, qui tamen ad illum referatur: Alio modo ità, quòd unus finis ſit principalis alter non principalis, ità tamen ut finis non principalis non referatur ad principalem finem:* Tertio modo ità, *ut uterque finis ſit principalis.*

6. *Exemplum autem aſſignari poteſt in eo quod frequenter accidit, videlicet, cùm quis vadit ad Eccleſiam ad percipiendas diſtributiones.* Hoc *enim poteſt facere tripliciter: vel ità ut principaliter intendat honorem & gloriam divinam, dum vadit ibi decantare laudes; & ſimul cum hoc, intendit obtinere pecuniam ut pauperibus diſtribuat, vel in alios uſus licitos in honorem Dei conferat: Alio modo poteſt quis ire ad Eccleſiam, intendens*

Deo

Deo placere, & simul cum hoc pecuniam acquirere, ità tamen, quòd ejus acquisitionem ad Deum non refert, nec tamen ipsam pecuniam statuit finem principalem, pro eo, quòd ipsum non eligat propter se: Tertio *modo vadit quis ad Ecclesiam duplicatâ intentione ità, quòd vult Deo placere, & vult obtinere pecuniam, quam sicut avarus appetit acquirere ut possit thesaurum suum ampliare, & in eo delectari propter se.* Hæc Bonaventura.

REGULA XII.

Cujus facultatis finis subordinatur fini alterius facultatis, illa facultas alteri illi facultati subordinatur.

1. Profert hoc Bellarminus, *l. 5. de summo Pontif. c. 7.* tanquam sententiam Aristotelis, 1. *Eth.* 1. & subsumit, Finis temporalis subordinatur fini spirituali; sive finis facultatis temporalis subordinatur fini facultatis spiritualis. Ergò facultas temporalis subordinatur facultati spirituali.

2. Dico I. Propositionem majorem, quam loco regulæ proposuimus, non esse Aristotelis *loc. cit.* ex eo loco, ut & ex *cap. 2.* exstrui quidem potest hæc propositio: Quæ facultas sive ars alteri facultati sive arti subordinatur, ejus finis etiam alterius fini subordinatur, sicut cùm χαλινοποιητική subordinetur τῇ ἱππικῇ, & τῇ στρατηγικῇ, etiam finis τῆς χαλινοποιητικῆς subordinatur fini τῆς ἱππικῆς, & hujus finis τῆς στρατηγικῆς, qui est victoria: sed nostra propositio, quæ est istius convertens, ità immediatè ex textu Aristotelis exstrui nequit: vera tamen est, tum quia termini sunt convertibiles, & ità una in alteram simpliciter converti potest; tum quia patet inductione. Applica exempla modò dicta & alia quæ Aristoteles *loc. cit.* habet.

3. II. Dico, Bellarminum committere ignorationem elenchi: Non enim probare debuit, facultatem temporalem, i. e. scientiam regnandi, subordinari spirituali, i. e. scientiæ pascendi & regendi Ecclesiam: sed quod pontifex habeat jus puniendi reges pœnis tem-

temporalibus, & exuendi eos regno. Quæ autem consequētia, Scientia regnandi subordinatur scientiæ pascendi & regendi Ecclesiam: Ergò, reges possunt à Pontifice puniri pœnis temporalibus, & privari regnis? Optica subordinatur Geometriæ, 1. *post.* 7. ars pharmacopolarum arti medicæ, an idcircò Geometra in optici, & medicus in pharmacopolæ fortunas jus habet, eundémque domo expellere potest. Aliud est, unam artem aut artificem alteri præscribere posse aliquid, aliud itá præscribere posse & imperare ut nisi obtemperetur, pœnas exigere ab altero, & exilio v. g. mulctare ipsum possit. Potest, quando ars arti subordinatur, superior artifex præscribere inferiori, quomodo scilicet opus suum conficere debeat, sed itá præscribere, & itá ipsi imperare non potest ut si ille dicto audiens non sit, eum fortunis suis spoliare, & domo pellere queat. Et cur quæso Pontifex ex eo, quòd scientia regnandi subordinetur scientiæ pascendi Ecclesiam, potest leges civiles irrogare regibus, eósque imperio privare, id non possunt alii Episcopi aut Cardinales, cùm & ipsi instructi sint illâ scientiâ?

4. An forsan propterea quòd Pontifex in illa scientia errare non potest, alii autem episcopi possunt? sed ponamus rem itá sese habere. Aristoteles cùm *l.* 1. *Eth.* in quo Bellarminus propositionem suam fundari dicit, de subordinatione disciplinarum & finium earum agit, illam distinctionem ignorat, & disciplinam equestrem militari, ejúsq; finem, fini hujus subordinari docet, etsi nemo sit, qui in ea privilegio non errandi gaudeat.

5. An forsan propterea quòd reliqui episcopi non habent absolutam illam potestatem, quam Pontifex adhibet? Quod si itá est, debebat Bellarminus probare, potestatem temporalem subordinari potestati spirituali, sicut ipse loquitur, & non facultatem facultati, sive scientiam scientiæ. Hæ enim subordinationes diversissimæ sunt, quemadmodum eruditè docet Petrus Molinæus, *de Monarch. temporal.* *cap.* 9. Nam potestas subordinatur potestati, quando superior inferiorem

ſeriorem includit, ſic poteſtas judicum ordinariorum, vel delegatorum, includitur in poteſtate regia, eóque illi ſubordinatur. At facultas ſubordinatur facultati, quando ſcientia aliqua ſic mutuatur ab aliqua ſua principia, ut quæ ſunt concluſiones in ſuperiori ſcientia ſint principia ſive propoſitiones in inferiori: ex.gr. medicina docet vulnera rotunda eſſe curatu difficilima, quia vulneris labra ægrè coeunt; cujus aſſertionis probatio non petenda eſt à medicina ſed geometria, ideóque hac in re, medicina geometriæ ſubordinatur: Aut quando alicujus artis finis inſervit fini alterius artis nobilioris, veluti χαλινοποιητικὴ inſervit arti equeſtri, & hæc militari. Unde patet quantâ fraude Bellarminus hæc nectat, ex ſubordinatione finium, inferens ſubordinationem poteſtatum, cùm tamen hæc toto cœlo diſtent. *Hac Molinaus.* Id nimirum docere vult; in ſubordinatione poteſtatum inferiori imperare, eandémque deponere, aut aliis modis punire poſſe ſuperiorem, imprimis, ſi ſumma adſit, in ſubordinatione autem facultatum id non procedere.

6. III. Diſputari poteſt de minori. An nimirum facultas temporalis ſpirituali, id eſt, ſcientia regendi Civilis, Eccleſiaſticæ ſubordinetur: ſed id aliis diſcutiendum relinquimus.

7. Non poſſumus autem non notare vocabulum hoc δύναμις, *potentia*, ab Ariſtotele, quantùm ad præſens attinet, accipi I. *Specialiter*, pro diſciplina quæ utrumque contrariorum reſpicit, & in utramque partem diſputare docet, quomodo Dialectica & Rhetorica, ſolæ facultates ſunt; ſicut docet Alexander, *in proœm.* 1. *top.* & ità accipit Ariſtoteles, 1. *Rhet.* II. *Latius*, pro quavis diſciplina, ſive contemplativa ſit, ſive practica, ſive effectrix. In præſenti Regula ejúſque explicatione hoc poſteriori modo ſumitur, quia ità accipit Ariſtoteles, 1. *Eth.* ubi de ſubordinatione facultatum agit. Alias ſignificationes δυνάμεως vide apud Ariſtotelem, 5. *Met. c.*12.

RᴇG.

REGULA XIII.

Omnis actio est propter finem.

1. Excipit Pererius, *l. 9. c. 6.* & potest autem, inquit, aliqua actio non fieri propter finem tribus modis: Vel quia ipsa est *propter se*, & non propter aliud: ut actio in qua est felicitas, quæ ipsa est, est finis omnium actionum moralium, ut disputat Aristoteles, 1. *Ethic.* Vel quia fit *ab agente non intendente ipsam*, ut siquis aliud attentè cogitans vel ungues rodat, vel fricet barbam. Hujusmodi enim actiones non fiunt ex electione ob aliquem finem, sed ex sola imaginatione. Vel quia talis actio est *conjuncta, & accidit ei actioni, quæ per se intenditur*, ut inventio thesauri accidit fossioni terræ, & sic effectus fortunæ, non fit ob aliquem finem.

2. Sed secundus & tertius modus non videntur distingui, quando enim aliqua actio non est propter finem, quia accidit actioni, quæ per se intenditur, talis actio fit ab agente non intendente ipsam, sicut cùm quis fodiens terram invenit thesaurum, inventio thesauri fit à fodiente non intendente ipsam.

3. Sed de regula illa latissimum instituere discursum, & per omnia rerum genera vagari possemus, quomodo quibusque actionibus competat esse propter finem. Imò regere quis posset Pererio, id quod à Metaphysicis disputatur, nempe omnes actiones Dei ad extra, esse propter finem. Cùm igitur illæ ipsæ actiones, quas Pererius excipit, sint actiones Dei ad extra, quatenus is concurrit omnibus creaturis in agendo, & eas esse propter finem, si non ut sunt actiones agentium particularium, tamen ut sunt actiones Dei. Verùm quia jam instituti ratio non patitur ut his immoremur, eáque à nobis in Metaphysicis jam prolixè tractata sint, ideò jam Titulum hunc de fine finimus.

TIT. VIII. continens REG. XI. *circa doctrinam Actionis & Agentis.*

C*Um hactenus regulas, tres causas* materiam *nimirum*, formam, & finem *concernentes, proposuerimus, consequens est, ut &* efficientis causæ *rationem habeamus. Quia verò causa efficiens, propriè dicta, & agens sunt idem, agens quoque per actionem est agens, ideò Titulo huic ab* Actione & Agente *nomen voluimus tribuere.*

REGULA I.
Agere præsupponit esse.

1. Hoc est discrimen inter causam finalem & efficientem, quòd finalis potest causalitatem suam exercere etsi *actu non* sit in rerum natura: Nihil autem potest sustinere rationem causæ Efficientis, quæ in agendo consistit, *nisi actu* sit in rerum natura. Et ratio diversitatis est hæc, quòd ratio causæ finalis consistit in motione metaphorica voluntatis, & nihil aliud secundùm rem est, quàm ipsa actio voluntatis, sicut in Metaphysicis docuimus. Esse ergò aliquid finem, sive causam finalem, consistit in determinatione extrinseca ab actu voluntatis: At prædicata extrinseca desumta ab actu intellectûs & voluntatis, &c. posse convenire rebus non exsistentibus, *tit.* 1. à nobis ostensum fuit *regulæ* 4. At reliqua prædicata accidentalia, etiam extrinseca, non desumta ab actu aliquo dictarum facultatum, ut actu alicui tribuantur, necesse est ipsum, cui tribuuntur, exsistat. Cùm igitur *agere* prædicatum sit accidentale, nec importet denomina-

minationem extrinſecam ab intellectu aut voluntate, aliâve hujuſmodi facultate, ſequitur, nihil poſſe dici *agere*, niſi actu ſit. Videatur *reg.cit.* Unde Ariſtoteles, 4.*Met.c.*4.*t.*16. expreſsè ait, *Ea, quæ non ſunt, quonam pacto aut loquentur, aut ambulabunt?*

2. Nonnulli docent, gravia & levia moveri à generante; quam quidem ſententiam ità explicant, ut dicant, generans non rationem ſui, & per ſe ipſum movere leve ſurſum, & grave deorſum, ſed per gravitatem & levitatem corporibus communicatam, tanquam per inſtrumenta. Et hæc ſententia Thomæ tum alibi tum *p.*1. *a.* 3. *q.*2. *&* *q.* 18.*a.* 1. ubi & Cajetanus, *&* 1. *contra gentes c.*9. ubi & Ferrara. Toletus 8 *phyſ. q.* 2. Conimbricenſes & Ruvio *ibid. c.* 4. *q.*2. & Suarez, *diſp. Metaph.*18. *ſ.*2.

3. Sed huic ſententiæ alii ſeſe opponunt, inter quos Scotus, 2.*diſt.*2.*q.*19. Gregorius, *ibid.diſſ.* 9 *q.*1. *a.*3. Pererius, *l.*7. *c.*16. & alii, aſſerentes, gravia & levia à ſe moveri, nempe vi inſitæ ſuæ gravitatis & levitatis, & non à generante. Argumentantur ex noſtra regula, *Quicquid movetur interdum alio non exſiſtente, id ab ipſo non movetur,* quoniam agere & movere præſupponit eſſe: ſed *levia & gravia interdum moventur non exſiſtente generante.* Quis enim negaret lapidem moveri deorſum poſſe, exſtincto eo à quo genitus eſt? *Non ergò à generante movetur.*

4. Suarez diſtinguit majorem, & regulam noſtram; *Agere præſupponit eſſe,* ità ſcilicet ut, *quòd per ſeipſum agit, in ſeipſo exſiſtat.* Quod autem per inſtrumentum ſeparatum agit, ſufficere, ſi virtualiter in eo inſtrumento exſiſtat. Unde jam reſponderi poteſt ad minorem, quòd licèt generans non ſemper exſiſtat in ſe, dum gravia & levia moventur, exſiſtere tamen *virtualiter* in ipſis corporibus gravibus & levibus à ſe genitis.

5. Verùm regeri contra datam diſtinctionē poteſt: Interiiſſe aliquid, & virtualiter tantùm in alio exſiſtere, eſſe, ipſum non revera exſiſtere, quod nec Suarez negat, cùm dicit, Aliquid virtualiter in inſtrumento

 exſiſtere

exſiſtere nihil aliud eſſe quàm inſtrumentum exſiſtere; quemadmodum id quod potentiâ & in ſuis cauſis tantùm exſiſtit non revera exſiſtit, cùm *potentiâ* exſiſtere & *actu* ſive *revera* exſiſtere opponantur. Cùm dicitur, Agere præſupponere eſſe, intelligitur de *eſſe abſoluto, & propriè dicto*; idque probavimus § 1. Cùm igitur generans aliquando abſolutè & propriè non ſit, cùm movetur grave & leve ab ipſo genitum, quomodum ipſum movere propriè & abſolutè dici poteſt? Etſi generans exſiſtere virtualiter in gravi & levi, nihil aliud eſt, quàm ipſum grave & leve exſiſtere (*ſicut ait Suarez*) & generans movere grave & leve, nihil aliud erit, quàm grave & leve ſeipſum movere. Quid, quòd motus deorſum & ſurſum eſt à gravitate & levitate corporibus inſita, ut non excedat virtutem harum qualitatum: & poſito, aliquod grave & leve exſiſtere extra ſuum locum naturalem, nec prohiberi ab aliquo, & ſi nullum aliud agens particulare, quodcunque ſit, exſiſtat, aut à nobis concipiatur, jam ſurſum vel deorſum movetur, & à nobis ſufficienter concipi poteſt, nempe quòd moveatur, ut quid ergò ad externum agens nempe ad generans confugimus? Sed conſulantur hac de re autores citati, & alii. Noſtri inſtituti non eſt ex profeſſo iſtam quæſtionem explicare, ſed eatenus tantùm afferre voluimus quatenus ad præſentis regulæ explicationem ejúſque uſum oſtendendum facit.

REGULA II.

Nihil agit in ſeipſum.

1. Sunt qui hoc univerſaliter & abſolutè intelligunt, exiſtimantes, unam eandemq; potentiam non poſſe eſſe ſimul activam & paſſivam, quia ſemper intercedat inter ipſam, ut eſt principium activum, & ut paſſivum, *diſtinctio ſecundùm rem*. Ità Capreolus, 1. *diſt.* 3. *q.* 3. Soncinas, 9. *Metaph.* *q.* 8. Javellus, *ibid.* *q.* 3.

2. Pro hac ſententia nec rationes deſunt, nec loca

loca Aristotelis. Celebratissimum est illius axioma, *7. phys. in principio*, & *8. phys. t. 4.* Omne quod movetur ab alio movetur: *1. de ort. & interitu t. 48.* ait, Si simile ageret in omnino simile, tunc idem in se ipsum ageret. Habet ergò pro absurdo idem agere in se ipsum. Quò faciunt definitiones potentiæ activæ & passivæ, *5. Metaph. 12.* & *9. Metaph. c. 1.* quarum illa dicitur *principium transmutationis in aliud, quatenus aliud:* Si in aliquid quatenus aliud, E. non in seipsum, quatenus ipsum, sed quatenus intercedit aliquid distinctum secundùm rem. Idem argumentum ex definitione potentiæ passivæ sumi potest, quæ dicitur *principium mutationis ab alio, aut quatenus aliud.*

3. Contraria sententia est Scoti, *1. dist. 3. q. 7. 9. Metaph. q. 14.* Gregorii, *2. dist. 6. q. 1. a. 3.* quos sequuntur Suarez, *disp. 18. s. 7.* & *disp. 43. s. 2.* Mendoza, *disp. Metaph. 9. s. 8.* & alii ex recentioribus. Hi statuunt, omnino aliquid in seipsum agere, sive unam eandemq; potentiam, respectu ejusdem actûs, activam & passivam esse posse, nullâ interveniente distinctione reali.

4. Nos primò sententiæ hujus veritatem probabimus paucis, deinde distinctiones & limitationes afferemus. Adducimus autem 1. Intellectum, qui est simul potentia activa, eliciens ex se actum intelligendi, & passiva eum in se recipiens.

5. Respondent, Intellectum esse principium passivum, & recipere in se intellectionem *præcisè*, & ut intellectus est; esse autem activum & causam intellectionis *effectivè*, ut est informatus intelligibili specie. Cùm autem species contrà distinguatur ab intellectu realiter, & intellectus ut informatus specie differet realiter à se ipso, nudè considerato, ut includens ab incluso.

6. Verùm hîc regero 1. Aliud esse quærere, An potentia una eademq; secundùm idem sit simul activa & passiva, & quidem respectu ejusdem actûs; aliud, an ipsa sit principium omnino completum & adæquatum actionis, an verò ut eliciat actum

indigeat alio principio, quod cum ipsa concurrat, vel saltem, sine quo non possit elicere actum. Nihil aliud infert id quod §. *prac.* responsum est, quàm intellectum ut producat actum intelligendi requirere speciem, vel tanquam partiale principium agendi (*& sic non esse adaquatum principium ejus*) vel alio modo, interim manet hoc, intellectum de se, & ut seorsim à specie consideratur, esse potentiam activam, cùm species ipsi non largiatur vim intelligendi. Quæ enim consequentia, Intellectus non efficit actum intelligendi, nisi informatus specie, E. non est potentia activa, si præcisè, & ut quid distinctum à specie, consideretur; aliâs & ego inferam, calorem de se non esse potentiam calefactivam, aut non habere ejusmodi potentiàm, qui non calefacit, nisi concurrente Deo, tanquam principio universalissimo, nisi etiam objecto sit *approximatus*, ut loquuntur.

7. Deinde docent Thomas, *P. 1. q. 56. a. 1. & 16.* Cajetanus & Capreolus, 2. *dist.* 3. *q.* 3. consentientibus Scoto, 2. *dist. q.* 8. & plurimis ex recentioribus, intelligentias cognoscere se ipsas, per suam substantiam, & intellectum sine interventu rerum intelligibilium, idem igitur hîc est adæquatum principium intellectionis activum & passivum. Vide Becanum, p. 1. *tract.* 3. *c.* 1. *q.* 7. *theol. scholast.*

8. III. Voluntas de se, est potentia activa & passiva simul respectu actûs volendi, neque hîc instantiam, de speciebus intentionalibus, obvertere possunt, cùm nullis indigeat ad eliciendum actum volendi.

9. Quæ autem ad hæc excipere & regerere solent contrariæ sententiæ defensores, examinata & discussa vide apud autores §. 3. citatos, & Vazquez, 1. *secund. disput.* 36. *c.* 2. & Mendozam, *de anima, disp.* 4. *s.* 5. & in mea disputatione Metaph. 3.

10. Distinguendum autem est inter actionem *Univocam* & *Æquivocam*; & dicendum, posse aliquid agere in seipsum actione æquivocâ, non autem univocâ. Quod ut intelligatur, sciendum ex 3. *phys. t.* 17.

&

& 8 *phys. t.* 40. patiens esse potestate tale, sicut calefactibile non actu, sed potentiâ calidum est: agens autem esse tale actu, quale patiens est potestate; sicut calefaciens est actu calidum. Potest autem agens actu esse tale dupliciter: 1. *Actu formali*, i. e. quia formaliter, & secundùm esse, habet hunc vel illum actum, quâ ratione ignis est actu calidus, quia formaliter in se habet calorem: et 2. *Actu virtuali*, quia scilicet non habet hunc vel illum actum formaliter, habet tamen virtutem illum producendi, quomodo sol est calidus. Agens, quod priori modo est actu, dicitur agens univocum, & agere actione univocâ; quod actu autem est posteriori modo, dicitur agens æquivocum, & agere actione æquivocâ.

11. Hinc, jam facilè probatur, agens univocum non posse agere in se ipsum, sive non posse simul esse agens & patiens respectu ejusdem. Si enim hoc esset, tunc esset simul actu formali, & non esset actu formali, quæ contradictio est. Ut si ignis statueretur producere in se calorem, tunc, tanquem agens, univocum, esset actu calidus formaliter; ut patiens autem non esset calidus actu formaliter, sed tantùm potestate. Et hæc ratio Aristotelis, *cit. t.* 40, *l.* 8. *phys.* Agens æquivocum posse agere in seipsum probavimus §. 4 & *seq* Sed hîc ratio modò adducta militat, propterea quòd, ut videmus, agens æquivocum non actu formali, sed virtualitate est, quale est patiens potestate. Cùm enim hæc, nempè *esse tale actu virtualiter, & esse potestate respectu actûs formaliter, vel non esse actu tale formaliter* non sint contradictoria, aut repugnantia; quemadmodum si verum est, aquam calidam se reducere ad frigiditatem, aqua calida est potestate frigida. sumto frigido pro eo quod formaliter tale est, & est simul actu frigida, sed actu virtuali.

12. Hæc autem non ità accipienda sunt quasi ex eo, quòd aliquod agens æquivocum est, statim in seipsum agere possit, hoc enim si esset, tunc omne agens æquivocum in seipsum ageret, quod tamen

falsum esse, multa docent. Sufficiat exemplum solis, qui calefacit, ut agens æquivocum, in seipso tamen calorem producere non potest: Ratio autem est, quia sol non est potestate calidus, nihil enim capax est caloris, nisi corpus elementare: ut igitur aliquid agat in seipsum, non sufficit, quòd sit in actu virtuali, & ut agens æquivocum formam producere possit; sed requiritur ulteriùs, ut etiam sit capax hujusmodi formæ, sicut rectè disputat Scotus, *cit. q.* 14. l. 9. *Metaph.* An autem ista duo in universum sufficiant, ità ut quandocunque adsunt, tunc aliquid in seipsum agere possit, sicut statuit, *ibid.* Scotus, jam non disputabimus. Non puto tamen sufficere, quia piper est capax caloris formaliter, quia comburitur, & actu recipit calorem; est etiam virtualiter calidum, sed nescio an seipsum calefaciat. Determinatio igitur illa in principio §. 10. posita, sic intelligenda est, *Quòd in genere agentium æquivocorum sint aliqua, quæ in se agere possint: in genere verò agentium univocorum nihil tale reperiatur.*

13. Sed nec præter rem forsan fuerit, si illam distinctionem quâ utitur Aristoteles, 2. *de anim. t.* 57. adducamus, quòd nimirum duplex sit actio, *Corruptiva*, quæ terminatur ad qualitatem subjecto noxiam, & ipsum ad interitum ducens; qualis est cùm aqua calefit. Et *Perfectiva*, quæ subjectum perficit, qualis est contemplatio intellectûs. Nihil igitur agit in seipsum actione corruptivâ, potest tamen aliquid agere in seipsum actione perfectivâ; cùm quælibet res suam perfectionem appetat, & nihil seipsum destruat.

14. Quantùm ad loca Aristotelis, §. 2. adducta, & ad rationes, quas contrariæ sententiæ fautores afferre solent, explicationem & responsionem vide apud autores §. 3. citatos, & in citata mea disputatione. Tantum ad illud, quod ex definitionibus potentiarum sumitur, dico, illas definitiones non esse ità generales, ut simpliciter, & per omnia omnibus potentiis conveniant, sed dari potentiam, quæ sub illis non comprehendatur, idq; expressè docet

cet ipse Philosophus, *t.* 13. 9. *Metaph.* cùm ait, *Constat utique actum potentiâ priorem esse, potentiâ, inquam, non solum eâ, quæ definita est, quæ dicitur principium mutationis efficiendæ in alio, quatenus aliud est, sed omni omnino principio mutationis aut stabilitatis effectivo. Etenim natura in eodem est genere, in quo est potentia; cùm sit principium mutationis efficiendæ tametsi non in alio, sed in ipso quatenus ipsum est.* Ubi videatur Antonius Scainus.

REGULA III.

Actio fit à superante.

1. Hoc non videtur esse verû, quia sequeretur aliàs 1. Nihil agere in seipsum, quoniam nihil superat seipsum. 2. Non dari reactionem: at reactionem dari docet Aristoteles, 3 *phys. t.* 18. *&* 16, 1. *de ortu & interitu* 53. *&* 87. & dilucidissimè 4. *de generat. animal. c.* 3. Consequentia probatur, quia duo inter quæ reciproca actio & passio statuitur, aut æqualia sunt, aut inæqualia; si illud, neutrum in alterum aget: si hoc, majus & fortius quidem agit in minus & debilius, sed debilius vicissim non in fortius aget, si nulla est actio ab æquali, nec à minori, sed tantùm à majori.

2. Desumta est isthæc propositio ex Aristotele, *de motu animal. c.* 3. & ab aliis ità enunciatur, *actio non fit, nisi à proportione majoris inæqualitatis.* Tantùm autem abest, ut per eam tollatur reactio, sive reciproca actio & passio inter duo, ut potiùs Aristoteles eam de iis, quæ in se invicem agunt & patiuntur, tradiderit. Sic enim ferè sunt ejus verba, *Quæcunque sunt æqualia, à se invicem non patiuntur, per exsuperantiam verò vincuntur.*

3. Ex quo jam patet responsio ad 1. argumentum § *Loquitur regula tantum de hujusmodi actione, quæ est inter agens & patiens distincta.* Quæ enim in se invicem agere & pati possunt, necessariò debent esse distincta. At hoc ipso, quòd aliquid in seipsum agit, agens & patiens distincta non sunt.

4. Ulteriùs autem dico, Regulam sive propositionem præsentem bifariam posse intelligi : 1. *De actione, quæ est in eadem specie*; sive ità, ut attendatur eadem specie forma, secundùm quam una superet, altera superetur : ut si in actione calidi in frigidum attendatur, non hoc, quòd unum calidum sit, alterum frigidum, sed quod unum sit majus aut fortius calidum, alterum minus aut debilius; vel quòd unum sit actu calidum, alterum potestate tantùm, & actu nullum habeat calorem (*nam & actu calidum, hic potest potestate calidum superare, dicendum est*) hoc modo nunquam debilius aut minus agit in fortius aut majus, nec æquale, in æquale, sed *tantùm majus & fortius, in minus & debilius*; ut si aqua sex gradus caloris habens, & altera duos gradus ejus tantùm habens, commisceantur, illa hanc calefaciet, sive calidiorem reddet, non hæc illam : Quòd si utraque aqua habeat 6. gradus caloris, & ità similes sint, & commisceantur, nulla altera calidiorem faceret : ità explicat Toletus, 1. *de ortu & inter q.16*.

5. Ubi tamen distinguendum adhuc esse puto, hæc enim vera sunt de actione *univoca*, sicut probat exemplum de duobus calidis & de calefactione, at si *actio sit æquivoca, puto etiam æquale in æquale, & debilius in fortius agere posse*, attendendo etiam eandem formam, quâ unum alteri æquale, aut ipso superius sit. Si enim ferrum cum ferro, aut cum corpore minùs duro, ut cote, collidatur, utrumque alterum atteret, sicut duo gladii se mutuò percutientes, se mutuò secant & obtundunt. Pertinétque huc quod Philosophus, *cit. c. 3. de generatione animal.* ait, *Id quod pellit pelli quodammodo, & quod premit premi*.

6. II. Ergò potest nostra propositio intelligi de *actione ut est inter contraria*, sive ità, ut attendantur *contrariæ formæ*, secundùm quas unum superet alterum, & hoc modo non tantùm fortius in debilius, sed & debilius in fortius agere potest : ut, sume aquam frigidam ut octo, & infunde calidam ut 6. hæc aqua illam calefaciet.

7. Quan-

7. Quanquam hîc distinguendum cum Zabarella, & dicendum, actionem duobus modis sumi posse: Uno modo *pro impressione alicujus gradûs qualitatis absolutè:* Alio modo *pro actione perfecta*, quæ est cum victoria agentis versùs patiens. Exemplis res clarior fiet: Aliquis manu calidâ parvam glaciei particulam apprehendit, certum est glaciem illam in initio, non solùm calefieri à manu, sed & è contrario manum refrigerare, & in ea producere aliquid frigoris: Ad hoc enim ostendendum, ità sufficiens est testimonium sensûs, ut quisquis id inficietur, is sensu indigeat, dicendus sit. Procedente autem actione, absumitur glacies, & totum ejus frigus destruitur à calore manûs superante. Dum igitur actio sumitur pro impressione alicujus gradûs qualitatis, tum manus agit in glaciem, tum glacies in manum. At si totam, ab initio ad finem, actionem illam & passionem spectemus, manus potiùs quàm glacies vocabitur agens, glacies verò patiens; quia calor manûs frigus glaciei superavit. Quando igitur cum Aristotele diximus, *actionem non fieri, nisi ab inæquali superante*, id intelligendum est de tota & completa actione, quæ est cum victoria agentis; sed non de qualibet actione indistinctè. Quando enim in contrariorum pugna, unum debet alterum vertere in suam naturam, id facere non potest nisi prævaleat, & majorem habeat vim quàm alterum. Attamen, si initium tantùm actionis & pugnæ consideremus, negare non possumus, etiam debilius agere in validius, &c. Ità Zabarella. Quæ distinctio, etiam iis adhibenda suo modo est, de quibus diximus, §. 5.

8. Ex hisce jam facilè perspicitur, quomodo reactio cum nostra regula stare possit, & quid respondendum sit ad objectionem secundam, §. 2. Nam quòd debilius non dicitur agere in fortius, verum est de actione, *quæ est in qualitate ejusdem speciei* (& quidem de actione univoca) at reactio perspicuè concernit contrarias qualitates, ut dum ferrum candens in aquam frigidam injicitur, ferrum calore

suo calefacit aquam, & aqua ferrum frigore suo frigefacit. At in contrariis qualitatibus, debilius etiam in fortius agere potest; cum adhibita tamen distinctione, quam § *praeced.* ex Zabarella attulimus.

Regula IV.

Actiones sunt singularium.

1. Fonseca triplicem hujus propositionis sensum facit: Nos quadruplicem esse posse existimamus. Primus est, quòd actiones oriantur ex singularibus, tanquam agentibus, quomodo Hippocratem aut Galenum mederi dicimus. Secundus, quòd subjecta, in quibus recipiantur, sint singularia, quomodo Calliam aut Socratem curari dicimus. Tertius, quòd terminentur ad singularia, sive quòd ea, quæ producuntur per actiones, sint singularia, quomodo dicimus hunc vel illum hominem esse genitum, hanc vel illam domum exstrui. Quartus denotat subjectum, circa quod versantur actiones, & tamen in eo recipiuntur, quod specialiter dicitur objectum, quomodo visio est rei visibilis.

2. Desumta autẽ regula esse videtur ex Aristotele, qui 1. *Metaph. c.* 1. actiones, generationẽ que omnes, *ait*, circa singularia sunt, *& subjungit exemplum*, neq; enim, *inquiens*, hominem curat Medicus, nisi per accidens; sed Calliam, aut Socratem, aut alium quemquam, cui accidit, ut homo sit.

3. Ex quo exemplo manifestum est, verba sua Aristotelem intellexisse de secundo sensu, quamvis nec tertium nec quartum respuant, imò & materia, de qua agit, eos, imprimis autem tertium, omnino comprehendere videtur. Primum autem sensum verba non admittere existimamus, eúmque Aristotelem non intendisse, multi notarunt. Est nihilominus propositio, non minùs in eo, quàm in secundo & tertio sensu, universaliter vera. Cujuslibet nempe actionis principium, à quo oritur, subjectum in quo recipitur, terminus, qui per eam producitur, non est nisi singulare quid: Non enim curat, nisi hic vel ille medicus

dicus; ut, Hippocrates & Galenus: non curatur, nisi hic vel ille homo; ut, Callias & Socrates: non generatur, nisi hic vel ille homo, aut aliud compositum in singulari.

4. *Ratio:* Quicquid non est, illud non producitur, non agit, non recipit, aut patitur: Sed universale non est, E. universale non producitur, non agit, non recipit, aut patitur, Ergò tantùm singulare: quia inter universale & singulare non datur medium. Major probatur, quia produci nihil aliud est, quàm accipere esse, sive exsistere; ut Petrus generatur & producitur, quando incipit esse in rerum natura cùm antea non esset, quemadmodum & producere est facere, ut aliquid sit vel exsistat; agere etiam & recipere præsupponunt esse: & quomodo agere quis possit & recipere aliquid, nisi sit in rerum natura? Quod non est, quo pacto aut loquetur aut ambulabit? sæpe ex Aristotele repetivimus. Minor patet, quia universalia formaliter, & ut universalia, habent tantùm esse objectivum in intellectu, quod non est revera esse; nec sufficit, ut aliquid productum esse, aut agere, vel recipere aliquid dici possit. Ut autem sunt in rerum natura, singularia sunt: sed hac de re infrà pluribus. Sic ergò demonstrata est veritas regulæ, in tribus prioribus sensibus.

5. In quarto sensu, videtur pati instantiam, quia cognitio intellectûs versatur circa universalia. Cognitio illius est actio. E. quædam actio versatur circa universalia.

6. Sed nec in reliquis sensibus, videtur esse absolutè vera. Nam I. dicimus, Ignis calefacit, lapis movetur, domus exstruitur; ignis, lapis, domus sunt universalia. E. & universalia agunt, patiuntur, producuntur, & per consequens, non tantùm singularium sunt actiones.

7. II. De quo primò demonstrantur actiones & passiones, illius etiam primò, & per se sunt. Sed demonstrantur primò, de universali. E. etiam universalia primò, & per se sunt. Major est in confesso, & fundatur in 1. *post c. 7. in principio.* Minor probatur,

quia

quia motus & quies demonstrantur de corpore naturali in genere, ut de primo subjecto; & demonstrationes esse universalium, quis ignorat?

8. *Resp.* Quantùm ad argumentum §. 5. de regula nostra possumus loqui dupliciter: 1. *In se*, & sic certum est, non esse universaliter veram in quarto sensu, idque probat argumentum. 2. *Ut est Aristotelis*, & ut ad mentem ejus intelligitur, & sic sunt, qui negant, Aristotelem quartum sensum attendisse, propter hoc ipsum, quòd actiones universalium esse possunt, si sumantur in ordine ad objectum. Inter hos est Suarez, *disp.* 34. *s.* 7 §. 11. Juxta hanc responsionem instantia § 5 non adversatur regulæ. Alii autem & in eo sensu Philosophi propositionem esse statuentes respondent, Aristotelem non accipere actionem in præsenti loco generaliter, pro omni operatione, ut theoriam & cognitionem etiam comprehendit, sed specialiter, prout cognitioni opponitur. Negatur igitur minor in argumento: Cognitio intellectûs non est actio, ut actionem eo in loco sumit Aristoteles, cùm opponat ibi actionem cognitioni. Comparat enim experientiam cum arte, & sic experientiam arti præfert, quod facere non posset, si sub actione etiam cognitionem comprehenderet, neque eam ipsi opponeret, quoniam ibi etiam confert eas inter se, quantùm ad cognitionem, & sic artem præfert experientiæ.

9. Ad rationem §. 6. respondetur actiones dupliciter considerari: 1. *Ut sunt in rerum natura*, sive ut re ipsa aliquid producitur, aut agit, vel patitur aliquid, & sic, ut ipsæ sunt singulares, ità tantùm sunt singularium. 2. *Ut substant nostris conceptibus*, & in ordine ad enunciationem, & sic quemadmodum ipsæ abstrahi ab actionibus in singulari, & in communi considerari possunt, ità nihil repugnat, ut hoc modo universalibus attribuantur. Quando dicimus, Ignis calefacit, lapis movetur, sumendo subjecta pro universalibus, sumuntur actiones ut à nobis concipiuntur, & abstrahuntur à singularibus, non uti sunt in re ipsa.

10. Ad rationem §. 7. simili modo respondetur: *Alia est ratio actionum in actu, Alia est ratio scientiæ & demonstrationis*, ipsarumque actionum, ut sub scientiam & demonstrationem cadunt. Demonstratio & scientia abstrahunt res & actiones ab exsistentia, unde cadunt sub scientiam, ut universalia sunt, at agunt & patiuntur res, ut exsistant. Quantùm ergò ad majorem illam, de quo demonstrantur primò actiones & passiones, illorum etiam primò sunt, actu scilicet, & ut ità dicam, *ut exercentur*; Nego. Illius primò sunt, ut cadunt sub scientiam & demonstrationem, sive ut secundùm materiam communem & à singularibus abstractam; Concedo. Neque hoc modo conclusio est contra regulam, sunt actiones universalium, ut ipsæ considerantur in communi, & ut cadunt sub scientiam.

11. Sed non præterire planè possumus id, quod Aristoteles, *verbis* §. 2. *citatis*, ait, Medicum non curare hominem, nisi per accidens; & Calliæ accidere, quòd homo sit. Cùm enim accidere aliquid alicui, sit præter essentiam alicui convenire, & verò Callias essentialiter, & quidditativè sit homo; quæ verba Philosophi non immeritò absurda videntur.

12. *Resp.* Verbum συμβαίνειν, *accidere*, bifariam apud Aristotelem usurpatur: 1. *Idem est quod aliquid alicui convenire, ut non sit de essentia*; vel, ut nec in primo, nec in secundo modo *per se* conveniat, quomodo homini accidit esse musicum, & hoc modo non accidit Calliæ, quòd sit homo, propter hoc ipsum, quòd homo in primo modo *per se*, & essentialiter prædicetur. 2. *Ut idem est*, *quod ad aliquid sequi*, quomodo sumitur 1. *prior. c.* 1 *in definitione Syllogismi*, cùm dicitur, Positis quibusdam, aliud, i. e. conclusionem, *accidere*. i. e. inferri & sequi: hoc modo accidit Calliæ, quòd homo sit, quia nimirum sequitur, Callias est, Ergò, homo est; & universim ex omni individuo infertur, & sequitur species. Hâc ratione etiam Medicus per se curat Calliam, hominem autem per accidens, i. e. ratione cujusdam sequelæ: Quia enim medicus curat Calliam, & verò ad Cal-

liam sequitur, esse hominem, ideò etiam hominem curat.

13. Sed regeritur hîc hujusmodi argumentum; Callias per se sanatur: Callias per se est homo: Ergò, homo per se curatur. Resp. Plura circa hoc argumentum possent dici, sed sufficiat jam hoc, quòd cùm Syllogismus sit in tertia figura, conclusio debeat esse particularis, nempe itâ, Ergò, Quidam homo per se curatur. At cùm dico, Quidam homo, intelligitur singulare sive individuum, licèt *indeterminatè*.

Regula V.

Actiones sunt suppositorum.

1. Per *suppositum* intelligimus *rem omninò incommunicabilem*. Ubi notandum ex Scoto, 1. *dist.* 23. *q. unica.* & Johanne de Rada, *part.* 1. *controv.* 22. *a.* 1. *& p.* 3. *controv.* 1. *a.* 1. Communicabile aliquid posse dici dupliciter, *ut quod*, & *ut quo*: ut quod communicabile est, *quod communicari potest pluribus, quorum quodlibet est ipsum*, vel quorum quodlibet est tale, quale est ipsum, & idcircò etiam de quolibet illorum prædicatur in casu recto. Communicabile ut quo est, *quod se habet*, vel habere potest, *ut forma alicujus*, aut aliàs pars: ut aliquid sit suppositum oportet, ut nec primò nec secundò communicabile sit. Ex quibus colligitur, Nullum accidens, abstracto significatum, sive nullam formam accidentalem, nullam substantialem, nullam item substantiam completam in abstracto significatam, ut humanitatem, sive naturam humanam; nullam quoque partem integralem, ut oculum vel manum, in numerum suppositorum esse referendum, quodlibet enim horum communicatur ut quo, etsi autem anima rationalis à corpore separata, non est actu communicata corpori, quia tamen ex sua natura communicabilis est, ideo nec ipsa in eo statu suppositum est. Quod & dicendum de forma accidentali, si à Deo extra omne subjectum constitueretur.

2. II Nec ullum universale, suppositi nomine venire posse, quia communicatur singularibus ut quod,

ut

ut homo, Petro & Paulo; atque hanc ob causam nec Deus nec Deitas supposita sunt, communicantur enim tribus personis, quorum quælibet Deus & Deitas est. Ex quibus patet, solam substantiam singularem completam & incommunicabilem *suppositum* vocari.

3. Est autem axiomatis nostri frequentissimus usus in disputationibus Theologorum de Trinitate & persona Christi, idque aliqui deduxerunt ex loco de quo præcedente regulâ egimus, nempe 1. *Metaph.* c. 1. Propterea quòd ibi Aristoteles dicat, actiones generationésque omnes esse circa singularia.

4. Verùm id aliis non videtur, 1. Propterea quòd ibi Aristotelis sermo sit de singularibus, non verò de suppositis, quæ multùm inter se differre, & quidem ita, ut singulare longè latiùs pateat, quàm universale, certum est: hæc albedo enim, hæc humanitas, hæc manus, Deus item, essentialiter voce sumtâ, singularia sunt, non tamen supposita. 2. Propterea quòd axioma nostrum loquatur de principio activo, nempe quòd actiones sint suppositorum, tanquam agentium: At Aristoteles loco adducto de principio activo non loquitur, sed de subjecto, termino & objecto, quemadmodum §. 3. *reg. præced.* diximus.

5. Verùm prima ratio non multùm urgere videtur, propterea quòd licèt Philosophus hanc vocem, *singularia*, usurpet, nihil tamen aliud per ea, quàm quæ nos *supposita* vocamus, intellexisse videtur, prout etiam exemplum de Callia appositum ostendit, & dubio procul, discrimen, quod nos inter suppositum & singulare constituimus, Aristoteli fuit ignotum. Quantùm ad secundam rationem, nego axioma nostrum loqui de actionibus respectu agentium, nam & subjectum quod recipit actiones, terminus, qui per eas producitur, suppositum est, nec objectum omnino excludendum videtur, quanquam frequentissimè & imprimis de agente usurpari soleat, & hoc sensu concedo, propter secundam hanc rationem, non fundari in loco Aristotelis.

6. Inquis: Si Aristoteles per *singularia* intellexit idem quod nos voce *suppositorum*, regula peculiaris

&

& diſtincta à præcedente conſtituitur. Reſp. Præſuppono ego diſtinctionem inter *ſingularia* & *ſuppoſita*, qualis jam apud nos Chriſtianos docetur,& in præcedenti regula conſideravi, ſingularia tantùm, ut in oppoſitum ad univerſalia; & oſtendere volui, nullius rei univerſalis eſſe actiones. In hac autem regula conſidero ſingularia inter ſe, & cùm non omnia ſint ſuppoſita, explicare volo, quomodo ſuppoſitis actiones peculiariter aſſcribantur.

7. Sciendum autem principium activum eſſe duplex, *quod* & *quo*. Principium quod eſt, à quo ità dependet actio, ut ſumtum in caſu recto, ab ea determinari poſſit. Principium quo dicitur, cum quo ſumto in caſu obliquo, connectitur denominativum ab actione ſumtum.

8. Loquitur regula de principio quod: & ſenſus eſt, *principium quod activum, eſſe ſuppoſitum:* aliquid quod non eſt ſuppoſitum, eſſe principium actionis quo, nullum dubium eſt. Philoſophus, 1. *de anima, c.4.t.64. Dicere autem*, inquit, *animam iraſci vel timere, ſimile eſt, atque ſi quis dicat, animam texere aut ædificare, nam melius eſt fort ſſe dicere, non animam, ſed hominem animâ miſereri, vel diſcere, vel ratiocinari.* Quibus verbis videmus, aptè Philoſophum dictas actiones tribuere ſolùm homini, qui ſuppoſitum eſt in caſu recto, & tanquam principio quod, eáſque hoc modo denegare animæ, quas tamen ipſi tribuit, ut principio quo.

9. Unde propoſitionem hanc, *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, veram eſſe, extra dubium eſt: Eſt enim indefinita; ad veritatem autem indefinitæ ſufficit, ſi particulariter ſit vera. Jam quis negaverit aliquas actiones eſſe ſuppoſitorum, habuimus teſtimonium inſigne jam ex Ariſtotele, & certè hic ignis urit, hic architectus ædificat, hic homo ſcribit, at iſtà omnia ſunt ſuppoſita: Sed hoc quæritur, An omnes actiones ſint ſuppoſiti, & an ſint ſolius?

10. Quòd igitur non omnes actiones ſint ſuppoſiti, probo exemplo animæ rationalis à corpore ſeparatæ, illa enim tunc intelligit, rectéque ſic ipſi τὸ

intelligere

intelligere in casu recto tribuitur. Quòd autem actiones etiam illæ, quæ sunt suppositi alicujus, non tantùm sint suppositi, probamus ex Aristotele, 3. *de anima*, c. 4. ubi ità scribit, *De parte animæ, quâ cognoscit anima & sapit*, &c. tractandum hîc constituit expressè Aristoteles principium *quod* actûs cognoscendi & sapiendi ipsam animam, quæ non est suppositum sed *pars suppositi*. Et prætereà utor exemplo caloris, qui in igne vel aqua exsistens, calefacit, calor tamen non est suppositum, sunt quidem hujusmodi actiones suppositi, nam & homo dicitur cognoscere, & sapere, & ignis dicitur calefacere, sed non solus.

11. Fonseca, 1. *Met. q* 5. *s.* 3. extendit regulam, & docet, *omnes actiones* esse suppositorum, vel saltem singularium per se exsistentium, hoc est eorum, quæ habent se per modum suppositorum. Intelligit autem per *singularia per se existentia*, ea quæ omnino per se exsistunt, hoc est quæ nec sunt in alio, ut in subjecto, nec ut pars in toto, quomodo quidem anima à corpore separata per se exsistit, licèt enim non sit substantia completa, sed ordinetur ad constitutionem hominis, tanquam pars ejus, actu tamen pars ejus non est.

12. Sed non omnem tollit difficultatem Fonseca, concedimus quidem, quòd omnis actio sit alicujus per se subsistentis; verùm hoc non solum vult Fonseca, sed & illud, actiones esse solius suppositi, vel per se subsistentis. Sed hæc sententia adhuc urgetur exemplo animæ rationalis cum corpore unitæ, & caloris in aqua exsistentis. Audivimus enim antea ab Aristotele, animæ cum corpore unitæ in casu recto tribui τὸ *intelligere*, anima tamen cum corpore unita non est omnino per se subsistens, hoc ipso, quòd in homine subsistit, ut pars in toto. Calor etiam in aqua est principium *quod* calefactionis, cùm sit causa principalis ejus (*licèt hæc Fonsecæ neget, alibi tamen ejus sententiam refutavimus*) & aqua nihil conferat ad calefactionem, sed solùm sit tanquam fulcimentum & vehiculum caloris, quòd si calor aquæ est principium *quod*, calefacit,

Ergò

R. etiam calor in igne est ejusmodi principium, quia non est minoris virtutis in igne, nec minùs ab eo calefactio dependet, quàm à calore aquæ.

13. Nos cum Scoto, *l. cit.* & Joh. de Rada 1. *sent. controv.* 12. *a.* 1. & 3. *sent. a.* 4. dicimus, omnes actiones esse tantùm suppositorum simpliciter, sed *tanquam ultimatè ab iis denominatorum.* Quamvis enim & illa, quæ supposita non sunt, dicantur agentia, sicut anima cum corpore unita dicitur intelligere, & calor ignis vel aquæ calefacere, illæ tamen denominationes non sunt ultimatæ, cùm ulteriùs ipsa supposita ab iis denominentur, sicut ab intellectione, homo dicitur *intelligens*; & à calefactione, ignis vel aqua *calefaciens*.

14 *Inquis:* Anima à corpore separata denominatur ab intellectione ultimatè, quia nihil est ultra animam separatam, quod ab intellectione *intelligens* dici possit. E. aliqua actio denominat aliquid ultimatè, quod non est suppositum.

15. *Resp.* Si de aptitudine denominandi loqui velimus, etiam intellectio animæ à corpore separatæ est suppositi, quatenus anima ipsa apta est in supposito esse, & sic intellectio ejus apta est illud denominare. Cujuslibet enim formæ in supposito exsistentis actio denominat ipsum. Si verò de denominatione actuali loquamur, concedimus nullum suppositum denominari ab intellectione animæ separatæ: & limitando regulam ulteriùs dicimus, Actiones esse suppositorum tanquam ultimatè denominatorum: *nisi principium quo actionis sit in supposito tanquam pars*, vel accidens, aut aliàs sit cum eo unitum. Quòd si cui placet, sententiam Fonsecæ cum Scoti determinatione conjungere, & dicere, actiones esse tantùm suppositorum vel per se exsistentium, tanquam ultimatè denominatorum, cum eo non pugnabimus.

16. Verùm ex iis quæ hactenus diximus aliquæ oriuntur dubitationes, quarum prima est, Si anima intelligit, & est principium *quod* actûs intelligendi, quod asserit Aristoteles, 3. *de anima c.* 4. citatus à nobis

§. 10.

§. 10. etiam miserebitur, discet, texet, ædificabit: quod negat, 1. *de anima. t.* 64. citatus § 8. Cur enim animæ tanquam principio *quod*, aliquæ actiones tribuuntur, aliquæ non?

17. In homine dantur duplicis generis actiones: quædam ità oriuntur ab anima, tanquam à principio *quo*, ut etiam oriantur à corpore, & sic à potentia totius compositi, dicuntúrque communicari corpori, & non manent corrupto composito, sicut *t.66.* 1. *de anima* dicitur: Corrupto non esse ampliùs recordationem aut amorem, loquens de amore partis sensitivæ, quæ cum corpore commercium habet: tales sunt visio & omnes sensationes, quarum principium non solùm anima est sed & membrum aliquod corporis, & propterea mortuo homine, non ampliùs exerceri possunt. Tales etiam sunt omnes illæ, quarum mentionem facit Aristoteles *t. c* 64. *l.* 1. *de anima.* Et hujusmodi actiones non tribuuntur animæ tanquam principio *quod*, sed soli composito, hanc ipsam nimirum ob causam, quòd ipsorum principium adæquatum non est anima, sed compositum. Quædam oriuntur ab anima, secundùm se, & non exercentur per corpus, eámque ob causam manent corrupto composito, quales sunt intelligere & sapere, quorum mentio fit 3. *de anim. c.* 4. Et hujusmodi actiones tribuuntur ipsi animæ tanquam principio *quod*, hoc ipso sc. quòd anima est completum ipsorum principium.

18. Dicis, Ratiocinari est actio posterioris generis, est enim rationari quoddam intelligere, quod solius animæ actus est. Aristoteles tamen negat, animam esse principium *quod* ratiocinationis, sicut ex § 8. constat. E. discrimen § *præced.* assignatum non est perpetuum, nec omnes actiones posterioris generis possunt tribui animæ tanquam principio *quod*.

19. *Resp.* Philosophus *t.* 66. apertè distinguit τὸ *ratiocinari, ab actu intelligendi*, docens, hunc animæ per se, illud non solius animæ, sed habentis eam, hoc est, totius compositi, πάθος esse. Est igitur

τὸ

τὸ ratiocinari non solùm intellectûs actus, sed convenit animæ ex conjunctione cum sensu interiori, à quo habet, ut paulatim intelligendo procedat & ità discurrat, quod solùm in ratiocinatione locum habet.

20. Altera dubitatio est, quòd dictum fuit, animam corpori unitam, esse principium intellectionis *quod*, & calorem aquæ vel ignis esse principium *quod* calefactionis; Hoc si verum est, principium *quod* & *quo* non distinguuntur, quia anima est etiam principium, quo homo intelligit, & calor est principium, quo ignis & aqua calefacit.

21. Resp. cum Gabriele Biel, 1. *dist.* 9. *q.* 2. *a.* 1. & Gabriele Vazquez, *l. c. c.* 2. Etsi principium *quod* & *quo* distinguuntur interdum subjectivè, ità nimirum, ut id quod est principium *quo* non sit simul principium *quod*, quemadmodum anima non est id quod irascitur vel miseretur, licèt id sit quo irascimur & miseremur, id tamen non est perpetuum; sed possunt coincidere, idque probat argumentum §. *praced.* neque id absurdum esse putamus. Non enim raro accidit, ut membra alicujus distinctionis, de eodem dicantur, quemadmodum Principium vulgò distinguitur in principium *essendi* & *cognoscendi*, & tamen una eadémq; res potest simul esse principium essendi & cognoscendi; per causam enim effectus est, & cognoscitur; indè tamen non sequitur, non esse distincta: Manent enim distincta formaliter, etsi eidem conveniant. Sic, licèt anima simul sit principium *quod* & *quo*, aliâ tamen id, atque aliâ ratione sit: Nam anima est principium *quod* intellectionis, *quatenus per seipsum est principium sufficiens actûs intelligendi*, neque corpus simul ad eum effectivè concurrit; Principium *quo* autem est, *quatenus est forma*, quæ dat esse composito, ità & ipsi denominationem actionum suarum tribuit

22. Tertia dubitatio est, quòd actiones dicuntur esse suppositorum, & tamen suprà ex Aristotele audivimus, hominem irasci, misereri, qui tamen non est suppositum, sed universale. Verùm hoc dubium

est idem cum argumento, quod *praced. reg.* proponebatur, & propterea illa responsio, quæ data fuit *ibidem* §. 9. hîc quoque adhibenda est.

23. Cæterùm ex hactenus dictis manifestum est, nos regulam explicasse de actionibus respectu principii activi, quòd scilicet actiones sint suppositorum, tanquam agentium. Possunt autem superiùs traditæ distinctiones & limitationes etiam accommodari ad subjectum & terminum actionum; nempe actiones sunt etiam suppositorum, tanquam subjectorum, in quibus recipiuntur, & quæ denominant, & termini, qui per actionem producuntur ab agente, sunt supposita. Utrobique locum habet distinctio inter *quod* & *quo*, quemadmodum Christus est id, quod olim patiebatur; quo patiebatur, est humana natura: aqua est, quæ calefit, & recipit calorem; materia, quo recipit: sicut id, quod generatur, compositum est, ut Christus; hoc calidum quo sive secundùm quod generatur, natura, ut humanitas in Christo; vel forma, ut calor. Quòd si & humana natura in Christo pati dicitur, id tamen non fit ultimatè, sed suppositum, nempe Christus vel Filius Dei pati dicitur, tanquam subjectum ultimatè denominatum; & licèt calor quoque generetur, calidum tamen solùm ultimatè generari dicitur.

REGULA VI.

Simile non agit in simile.

1. Quòd simile agat in simile probatur, 1. Calx & nix agunt in se invicem: at illa similia sunt, est enim utrumque album. 2. Magìs calidum agit in minùs calidum, ut aqua calida ut septem, infusa in aquam calidam ut quinque, agit, eamq; calidiorem reddit, sed magis calidum & minùs calidum sunt similia. E. quoddam simile agit in simile.

2. Notandum I. *simile agere in simile* bifariam intelligi posse: 1. Ut agens & patiens habeant qualitatem specie eandem, sive agens secundùm illam qualitatem in alteram agat, sive non. 2. Ut agens secun-

ſecundùm illam qualitatem in alteram agat, ſive ut agens ſit ſimile alteri, ſecundùm qualitatem quâ in ipſum agit. Priori modo nullum dubium eſt, quin ſimile agat in ſimile, idq; probat 1. argumentum §. 1. agunt enim nix & calx in ſe invicem, ſecundùm calorem & frigus, ſeu quatenus illa frigida, hæc calida eſt: ſed ratione albedinis in qua ſimilia ſunt, unum in alterum non agit. Verùm de hoc modo agendi ſimilis in ſimile hic quæſtio eſt, cùm, quòd ea qualitas in qua unum alteri ſimile eſt, hoc modo ad actionem planè per accidens ſe habeat, ſicut ad hoc, quòd nix agat in calcem per accidens eſt quòd alba & in albedine calci ſimilis ſit, æquè enim ageret etſi alba non eſſet. Quæſtio igitur eſt de ſimilibus poſteriori modo.

3. Notandum, II. Axioma noſtrum eſſe *phyſicum*, propoſitum à Philoſopho, 1. *de ort. & interit. cap.* 7. & loqui de actione, quæ ſecundùm qualitates paſſibiles fit, & imprimis ſecundùm primas, quæ ſunt calidum, frigidum, humidum, ſiccum.

4. Notandum, III. Aliqua poſſe eſſe ſimilia tribus modis: 1. Secundùm qualitatem tantúm: 2. Secundùm qualitatem & gradum tantúm: & 3. Secundùm qualitatem, gradum, & activitatem, quam vocant, ſive agendi vehementiam ſimul. Illa dicuntur ſimilia ſecundùm qualitatem tantùm, in quibus eſt qualitas ſpecie eadem, ſed non æquè intenſa, aut ejuſdem gradûs, nec ejuſdem activitatis, ut aqua calida ut ſeptem, & aqua calida ut quinque: ſecundùm qualitatem & gradum tantùm, ſimilia ſunt, in quibus eadem qualitas ſecundùm ſpeciem & æquè intenſa eſt, ſed non eſt eadem activitas, ſive vehementia agendi, ut ignis in ferro, & alius ignis in ſtipula: tertio modo, ſimilia ſunt, in quibus eſt eadem qualitas æquè intenſa & æquè potens agere, ut duo lapides æquè denſi, æqualis magnitudinis & æquè igniti, duæ aquæ calidæ ſunt ut ſex.

5. Quæ ut intelligantur notandum, IV. Majorem vim ſive vehementiam agendi non tantùm provenire à majori intenſione, ſive à pluribus gradibus qualitatis,

tatis, quomodo aqua ut ſeptem vehementiùs urit, quàm ut quinque vel ſex: ſed etiam ab aliis, ut à majori extenſione qualitatis, aut à denſitate ſubjecti. Si enim ſubjectum ſit denſius, aut qualitas ſit magis extenſa, propterea quòd ſit in majori ſubjecto, aut pluribus ſubjectis, vehementiùs agit, quàm qualitas in ſubjecto rariori aut minori vel paucioribus etiam ſubjectis exſiſtens, etſi utrobique æqualis ſit intenſio, imò etſi in ſubjecto forſan denſiori aut majori ſit minùs intenſum. Ità ignis in ferro candente & ignis in ſtipula calorem habent æquè intenſum, utrobique enim calor eſt in ſummo gradu, ille tamen majorem calefaciendi & urendi vim habet, propterea quòd ferrum denſius eſt ſtipulâ, imò ferrum forſan ſi calidum tantùm ſit ut ſex, vehementiùs uret propter denſitatem ſuam, quàm aqua calida ut ſeptem: Ignis etiam qui generatur ex integra lignorum ſtrue non eſt intenſior illo, qui fit ex una vel altera ſchidia accenſa, majorem tamen habet vim agendi; & drachma una piperis non eſt ſecundùm gradum caloris intenſior, quàm unum granum, majorem tamen virtutem agendi obtinet.

6. His præmiſſis, pro explicatione axiomatis tres ponimus concluſiones: I. *Quod eſt ſimile primo modo* h. e. qualitate tantùm, *agit in ſimile*; nempe intenſius, in minùs intenſum. Quæ concluſio certa eſt, & probatur argumento ſecundo §. 1. quod propterea non eſt contra nos, nec concluſionem hanc Ariſtoteli adverſari, ſed quod aliquo modo tantùm ſimile eſt, poſſe agere in ſimile, patet ex ipſiuſmet verbis: Ità enim habet, τὸ δὲ γὰρ ὅμοιον καὶ παντὶ πάντως ἀδιάφορον εὔλογον μὴ πάσχειν: *Quod ſimile eſt, & omni ex parte nullam prorſus habet differentiam, nihil pati conſentaneum eſt rationi.* Loquitur igitur de illis quæ omnino ſimilia ſunt, qualia non ſunt quæ in qualitate tantùm ſunt ſimilia.

7. II. *Quod eſt ſimile tertio modo*, h. e. qualitate, gradu & activitate, *non agit in ſimile* ut ferrum ignitum in aliud ferrum æquè ignitum, & ejuſdem magnitudinis, agere illudq; calidius reddere non poteſt.

Et

Et ratio est, quia agens adsimilat sibi patiens, ut docet Aristoteles, *c. c. 7. t.* 51. E. ibi jam illa perfectè & omnibus modis sunt similia, ut est in re proposita, ubi unum in alterum agere nequit.

8. III. *Probabile est, simile secundo modo*, i. e. qualitate & gradu tantùm, *non posse agere in simile.* Quam conclusionem tertio loco proponere volui, propterea quòd magis dubia & controversa quàm præcedens. Nam Niphus, 1. *de ort. & interitu*, *c.* 2. *q.* 2. quem sequitur Toletus, *q.* 13. in eandemq; sententiam Marsilius citatur, statuunt, eorum quæ sic similia sunt, unum, nempe id quod est in materia densiori posse agere in alterum, ut calidum in materia densiori, posse intendere æquè calidum in materia rariori. Nos pro contraria sententia, & tertia hac conclusione repetimus argumentum præced. §. Si enim v. g. calidum in materia densiore ageret in æquè calidum sed minùs densum, utique ageret ut illud assimilaret, sed posterius non est, quia jam ei perfectè simile est, utpote secundùm speciem & gradum. *Dicis*: Non est ei planè simile secundùm activitatem, quia minùs activum est. *Resp.* Major & minor illa activitas provenit à majore vel minori densitate, sicut conceditur, at unum calidum non conatur alterum assimilare sibi in densitate, quod ipse eventus satis ostendit.

9. Priusquam autem ad alia transeamus, notandum bifariam posse intelligi, *aliquid actuosius esse*, & majorem vim agendi obtinere, quàm aliud: 1. Quòd possit producere effectum magis intensum, sive plurium graduum. 2. Quòd possit agere celeriùs, vel etiam in majorem distantiam suam porrigere actionem. Quòd enim diximus §. 5. eandem qualitatem in subjecto majori aut densiori, etsi non magis intensa, imò forsan & si minùs intensa sit, majorem habere vim agendi, quàm in subjecto minori aut rariori, intelligendum est de majori vi agendi non priori, sed posteriori modo: agit enim celeriùs, & in longius spatium. Qui contrariam tertiæ nostræ conclusioni sententiam defendunt, pro qua quidem

non

non levia militant fundamenta, asserunt id etiam priori modo verum esse: sed nobis hæc hîc dixisse sufficiat. Legantur Toletus, *quæst. cit.* & Conimbricenses, *ibidem c. 9. q. 2.*

Regula VII.

Actio & passio est inter contraria.

1. Veterum nonnulli asserebant, *Simile non posse agere in simile, sed omnem actionem & passionem fieri in dissimile.* Democritus verò dixit, simile à dissimili non pati, sed si quæ à se invicem patiantur, id illis accidere, non quatenus diversa & dissimilia, sed quatenus similia sunt.

2. Ità Aristoteles, *cit. cap. 7. de ort. & interitu* 1. tradit: At ipse neque quicquam in omninò simile, (*quod reg. præced. vidimus*) nec in omnino diversum, & nullo modo idem aut simile, agere docet, cùm neque albedo à linea, neque linea ab albedine quicquam patiatur, nisi forsan per accidens, ut si nigram esse lineam acciderit (quemadmodum ait Aristoteles) nec calor agat in calorem aut saporem. Statuit igitur, actionem & passionem esse inter contraria, atque ità mediam apprehendit sententiam. Cùm enim *contraria genere & materia* sunt similia, sunt enim sub eodem genere, idemq; respiciunt subjectum; dissimilia verò *specie & quoad differentiam*, quemadmodum calidum & frigidum idem genus habent, & in eodem subjecto successivè recipi possunt, specie verò differunt, sequitur actionem & passionem esse inter ea quæ partim similia sunt, partim dissimilia; similia scilicet *genere & materiâ*, dissimilia verò *specie*.

3. *Dicis:* Simile agit in simile non solùm id, quod genere, sed & quod specie & formâ simile est, ut magis calidum in minùs calidum, juxta *conclusionem* 1. *reg. præced.*

4. *Resp.* Simile agit in simile specie non quatenus est simile specie, sed quatenus dissimile est & contrarium, ut calidum ut octo vel septem calore suo

agit in calidum ut quinque, non quatenus calidum ut quinque est calidum, sed quatenus tres frigoris gradus continet, atque ità respectu calidi ut octo vel septem frigidum est. Non enim magìs calidum minorem calorem, ex minùs calido, sed frigus expellere conatur.

5. Ex quibus etiam patet, non solùm actionem & passionem inter extrema contraria esse, ut inter summè calidum, & summè frigidum, sed & inter media, quæ expressè docet Aristoteles, *t.* 51. *l. c.* Est enim medium quodammodo extremum, ut ait 1. *phys. t.* 6. *c*, 1. remissúmque obtinet locum alterius contrarii.

6. Cæterùm, actionem & passionem esse inter contraria dupliciter potest intelligi: 1. *De terminis*, quòd scilicet termini à quo & ad quem sint contrarii. 2. *De agente & patiente*, quòd ut hæc sint contraria. Uterque sensus verus est: quod de priori quidem patet in calefactione, cùm enim aqua calefit, ex frigida fit calida, & cùm ex minùs calida fit magìs calida, minùs calida habet rationem frigidi, cùm eatenus calefiat, quatenus adhuc aliquos gradus frigoris obtinet, qui per calorem destruuntur. De posteriori sensu regula nostra intelligitur, & quidem locum habet in qualitatibus passibilibus, & præcipuè primis, ut & regula præcedens. Estq; res clara per experientiam, cùm satìs constet, calidum in frigidum agere, & illud calefacere.

7. Certè universim de omni actione verum non est, *agens & patiens esse contraria*: magnes enim trahit ferrum, & color emittit speciem visibilem in oculum, nulla tamen inter magnetem & ferrum, inter colorem & oculum, intercedit contrarietas.

Regula VIII.

Agens assimilat sibi patiens.

1. Habet & hoc Philosophus, *l. c. de ort. & inter.* & probatur: Quicquid patienti est contrarium, ità ut ex ipso qualitatem contrariam expellendo suam

in

in eo producat, id patiens ſibi aſſimilat: Sed agens eſt contrarium patienti ità, ut contrariam qualitatem ex eo expellendo, ſuam in eo producat, E. agens aſſimilat ſibi patiens: Minor manifeſta eſt ex *reg. praced.* Major patet ex terminis: Cùm enim ea, quorum qualitas eſt eadem, ſint ſimilia, ſicut habet Ariſtoteles, 5. *Metaph. c.* 15. quid aliud eſt, unum alterum ſibi aſſimilare, ſive ſimile facere, quàm eam qualitatem, quam ipſum habet, in altero producere?

2. *Dicis:* Sol agit in hæc inferiora, neque tamen ea ſibi aſſimilat, quia cùm ea calefacit, ipſe non calidus.

3. *Reſp.* Manifeſtiſſimum eſt Ariſtotelem, *in text. cit.* loqui de qualitatibus primis, ſive de agente & patiente, ſecundùm qualitatem primam. At ſol non agit ſecundùm qualitatem primam, v. g. ſecundùm calorem, in hæc inferiora, cùm nec calorem, nec ullam ex aliis qualitatibus primis in ſe habeat formaliter. Vel dicendum, Ariſtotelem loqui de agente, quod eſt contrarium patienti: ex contrarietate enim hâc probat agens, ſibi aſſimilare patiens. At ſol inferiora hæc calefaciendo, iis contrarius non eſt.

4. Nonnulli diſtinguunt, & dicunt, dupliciter fieri ut agens ſibi patiens aſſimilet: 1. *Formaliter*, quia nimirum producit in eo aliquid, quod ipſum formaliter in ſe habet, quomodo ignis calefaciendo, aut comburendo aliquid, id ſibi aſſimilat. Et hoc modo omne agens univocum aſſimilat ſibi patiens. 2. *Virtualiter*, ſive ſecundùm virtualem continentiam; quemadmodum loquitur Thomas, quatenus id, quod aliquid in aliquo producit, in ſe formaliter non habet, quia tamen iſtum effectum virtualiter in ſe continet, ideo virtualiter ſibi ipſum dicitur aſſimilare. Hoc modo ſol calefaciendo hæc inferiora, ea ſibi aſſimilat. Hæc ſententia eſt Thomæ, *p.* 1. *q.* 105. *a.* 1.

5. Poteſt autem etiam adhiberi ad contrarietatem & dici, quòd aliqua ſint contraria formaliter, ut ignis vel aliqua calida, vel aqua frigida: vel virtuali-

ter, ut sol, & aliquod corpus frigidum, quatenus tale, licèt sol calidus formaliter non sit, producit tamen calorem, qui frigori est contrarius.

6. Idem Thomas, *cit. p.1. q.5. a.3.* ità circa præsentem regulam philosophatur: *Dicendum*, inquit, *quod cùm similitudo attendatur secundùm convenientiam vel communicationem in forma, multiplex est similitudo, secundùm multos modos communicandi in forma. Quædam enim dicuntur similia quæ cõmunicant in eadẽ forma, secundùm eandem rationẽ, & secundùm eundem modum, & hæc non solùm dicuntur similia, sed & æqualia in sua similitudine; sicut duo æqualiter alba dicuntur similia in albedine, & hæc perfectissima est similitudo. Alio modo dicuntur similia quæ communicant in forma, secundùm eandem rationem, & non secundùm eundem modum, sed secundùm magìs & minùs, ut minùs album dicitur simile magìs albo, & hæc est similitudo imperfecta. Tertio modo dicuntur similia, quæ communicant in eadem forma, sed non secundùm eandem rationem, ut patet in agentibus non univocis: Cùm enim omne agens agat sibi simile, in quantum est agens, agat autem unumquodque secundùm formam suam, necesse est, quòd in effectu sit similitudo formæ agentis. Si ergò agens non sit contentum in eadem specie cum suo effectu, erit similitudo inter faciens & factum in forma, sed non secundùm eandem rationem speciei, sicut ea quæ generantur ex virtute solis, accedunt quidem ad aliquam similitudinem solis, non tamen ut recipiant formam solis secundùm similitudinem speciei sed similitudinem generis. Si igitur sit aliquod genus, quod non in genere contineatur effectus ejus, adhuc magìs accedunt remotè ad similitudinem formæ agentis, non tamen ità, quòd participant similitudinem formæ agentis, secundùm eandem rationem speciei aut generis, sed secundùm aliqualem analogiam, sicut ipsum esse est commune omnibus. Et hoc modo illa, quæ à Deo sunt, assimilantur ei, in quantum sunt entia, ut primo & universali principio ipsius.* Hæc Thomas.

7. Sed objici potest ulteriùs: Ferrum candens agit in ceram, per qualitatem primam, nempe calorem,

&

& ità, ut ipsi contrarium sit, neque tamen ceram sibi assimilat, cùm ipsum durum sit, ceram autem non induret, sed liquefaciat.

8. *Resp.* Utiq;ferrum candens assimilat sibi ceram, reddit enim eam similem in calore; neque sequitur, Non reddit eam similem in duritie, E. eam non sibi assimilat: potest enim eam sibi assimilare, secundùm aliam qualitatem, & videtur dicendum, *agens assimilare sibi patiens sibi contrarium, secundùm eam qualitatem quâ in ipsum agit*, aut quâ ipsi contrarium est. Sed ferrum calore agit in ceram, non duritie; neq;duritie ipsi, antequam in eam agit, est contrarium, cùm & cera ante illam actionem dura esse possit.

9. Neque præter rem esse videtur, si distinguamus inter actionem primam, & secundam à prima procedentem. Actio prima ignis & cujuslibet, quod formaliter calidum est, est calefacere; secunda, liquare vel indurare: immediatè enim & semper calefacit, sed mediante calefactione liquefacit, ut ceram; vel indurat, ut lutum. Ità solis prima & immediata actio est illuminare, secunda calefacere, ubi & tertia intervenire potest, liquescere vel indurare; sicut enim sol illuminando calefacit, ità calefaciendo liquefacit vel indurat. Potest dici, agens assimilare sibi contrarium patiens actione primâ non secundâ, & sic ferrum candens assimilat sibi ceram, calefaciendo nimirum, sed non indurando, quia hæc est actio secunda. Sic etiam dici potest, solem sibi assimilare quodammodo hæc inferiora actione primâ. quæ est lucida facere, licèt non assimilet calefaciendo.

REGULA IX.

Agens & patiens debent esse simul.

Longum est, si hanc regulam ex professo explicem, & quæ circa eam moveri & possint & solent, dubia enodem: Id verò quia prolixè factum fuit ab interpretibus Aristotelis, & aliis, ideo ad eos auditorem remitto. Legantur ergò ipse Aristoteles, 1. *de ort. & inter. c.6*.imprimis *a.7 phys.c.2. & ibid*. Toletus *q.2*. Conimbricenses, & Ruvius. *q.* 1. Scotus, *q.3*. ubi & Fran-

Franciſcus, *de Pitigianis, & primò diſt.* 37. *q. unic.* Rada, *q.* 1. *part.* 1. *n.* 2. *controverſ.* 28. Vazquez *p.* 1. *Tom.* 1. *diſp.* 28. Suarez, *diſp. Metaph.* 18. *ſ.* 8. Mendoza, *diſp. phyſ.* 9. *ſ.* 6. apud quos ſimul & id explicatum invenies quod aliàs dicitur, *Nihil agit in extremum, niſi priùs agat in medium.*

Regula X.

Agens nobilius eſt patiente.

1. Ἀεὶ τιμιώτερον τὸ ποιοῦν τοῦ πάσχοντος, καὶ ἡ ἀρχὴ τῆς ὕλης, *ſemper honorabilibus eſt agens patiente, & principium* (i. e. cauſa efficiens) *materiâ*, ait Ariſtoteles, 3. *de anim. t.* 19.

2. Sed obſtare videtur 1. Quòd calor non nobilior, ſed potiùs ignobilior aquâ, vel ferro, aut aliis ſubſtantiis corporeis ſit: Sed ſol eſt agens, corpora autem hujuſmodi ſunt patientia, quando ea calor facit calida. E. quoddam agens non nobilius, ſed ignobilius eſt patiente. Major eſt certa, quia calor eſt accidens, accidens autem ignobilius eſt ſubſtantiâ. 2. Si omne agens eſſet nobilius patiente, eſſet aliquid nobilius ſeipſo. Conſequentia probatur, 1. quia idem agit in ſeipſum. 2. quia in reactione calidum v. g. agit in frigidum, & viciſſim ab eo patitur. Si igitur agens ſemper nobilius eſt patiente, idem ut calidum erit nobilius altero, ut frigido, & ſimul erit ignobilius eodem, & per conſequens erit nobilius ſeipſo. 3. ſenſibile, v. g. color, agit in ſeipſum, v. g. viſum, & ſenſus patitur à ſenſibili, ſenſibile tamen non eſt perfectius ſenſu.

3. Reſp. Quoddam eſt agens quod ità agit ut à nullo pati poſſit, cujuſmodi eſt ſolus Deus; alia verò agentia agunt ità ut ſimul pati poſſint, ſi non ab iis in quæ agunt, tamen ab aliis, ſicut ſol agit in hæc inferiora ità, ut licèt ab iis nihil patiatur, aliàs tamen patitur & pati poteſt, quod vel ex motu ejus perſpicuum eſt. Si de priori regula intelligatur, argumenta adducta nihil officere quilibet jam videt, quia illa hujuſmodi ſunt agentia, de quibus in argumento mentio ſit, ut ſimul ſint paſſiva.

4. Sed

4. Sed & de aliis agentibus regula explicanda eſt, poteſt igitur dici 1. Agens eſſe patiente nobilius, quando agens & patiens ſunt ejuſdem ordinis, ſive generis, ut ſi utrumq; ſit ſubſtantia ; quæ explicatio eſt Zimaræ, *propoſ.* 125. Atque hinc patet primum argumentum non obſtare, §. 2. Dicitur aliquid aliquo nobilius dupliciter: vel *abſolutè*, quomodo homo eſt nobilior leone; vel *ſecundùm quid*, & ſic leo ut ſanus eſt nobilior homine ut ægro, nobilior eſt etiam eodem, quantùm ad robur corporis. Ex quo patet, poſſe aliquid eſſe nobilius altero in aliquo, vel etiam ſimpliciter, ut in alio ſit ipſo ignobilius; imò non videtur abſurdum, idem eſſe nobilius ſeipſo, diverſo reſpectu, ſive diversâ ratione, quemadmodum homo ut intelligens præſtantior eſt ſeipſo conſiderato ratione virium corporis; & aqua, ut actu frigida, nobilior eſt ſeipsâ, ut potentiâ eſt calida. Jam dicendum, agens eſſe nobilius patiente, ſi non abſolutè, tamen quatenus, ſive eâ ratione, quâ ipſum eſt agens, & alterum eſt patiens. Patiens enim tantùm poteſtate tale eſt, quale eſt agens actu, quemadmodum ſuprà audivimus: ſed eſſe actu tale eſt præſtantius, quàm eſſe poteſtate tale. Atque hoc modo etiam patet reliqua argumenta nobis nihil officere. Non eſt abſurdum dicere, calidum eſſe perfectius frigido, eodem tamen eſſe imperfectius, ut ab ipſo patitur, quia ſic calidum poteſtate tantùm eſt id quod frigidum eſt actu, hâc ratione etiam nihil abſurdi eſt, idem eſſe nobilius ſeipſo, ut intellectum, quatenus tanquam potentia activa elicit ex ſe intellectionem, eſſe nobiliorem ſeipſo, ut eam recipit, ità Zimara dicit, *ſenſum eſſe abſolutè nobiliorem ſenſili, quòd perfectiſſima operatio ſenſûs excellat perfectiſſimam operationem ſenſilis, ſecundùm quid tamen ſenſile eſſe nobilius ſenſu, quatenus nimirum ipſum agit, iſte autem patitur.*

6. Poſſet etiam, quantùm ad id, quòd aliquid in ſeipſum agit, dici, regulam tunc veram eſſe, quando agens & patiens ſunt diſtincta, & propterea non loqui de agente quod in ſeipſum agit.

7. Poterit etiam regula ità explicari: Agens est nobilius patiente, *cæteris paribus*; vel, nisi aliunde patiens nobilius sit; aut, nisi & ipsum agens sit ità, ut competat ipsi actio nobilior omni actione alterius agentis. Quam responsionem etiam Zimara partim expressè proponit, partim innuit, quo ipso etiam responsio patet ad argumentum 1. & 3. ut & ad 2. quantùm ad posteriorem partem. Nam quod, de actione ejusdem in seipsum, fuit allatum, sufficit responsio § *præced.* Nam quòd calor agens in aquam, aut ferrum, aut aliud calefactibile, non est absolutè perfectior, indè est, quòd cætera non sunt paria, cùm aliunde istis patientibus major constet nobilitas, sunt enim substantiæ, calor autem accidens. Ità frigidum agens in calidum non est ipso absolutè præstantius, quia calidum ità patitur, ut ipsum tamen agat præstantiore actione frigoris, idem dictum fuit §. 5. *de sensu & sensili.*

8. Excepi autem id quod de actione ejusdem in seipsum fuit allatum, quia cùm nihil absolutè seipso sit nobilius, si regula intelligatur de eo, quod absolutè nobilius; *usurpanda responsio* §. 6.

Regula XI.

Agentium partialium quodlibet per se potest producere totum, aut partem effectûs, ad quem concurrit.

1 Ità manifestum est inductione. Nam duo equi trahunt eundem currum tanquam agentia partialia, sed uterlibet equus potest eum per se trahere, si non sit nimiùm onustus, aut si hoc sit, pars saltem istius tractionis cuilibet per se debetur. Idem patet de duobus candelis illuminantibus, aut ignibus calefacientibus idem conclave.

2. Verùm hic objicitur, quòd intellectus, & lumen gloriæ concurrunt ad visionem Dei, tanquam agentia partialia, & tamen nec ab intellectu solo, nec à solo lumine potest elici visio Dei, aut aliquid illius visionis. Prior propositio probatur ratione, quia lumen

men gloriæ concurrit cum intellectu ad videndum Deum, aut *intensivè augendo naturalem virtutem intellectûs*, aut *per modum causæ partialis*. Sed non illo modo, quia intellectus, cùm proprietas animi sit, non potest intendi aut remitti. E, hoc.

3. *Resp.* Agentia partialia dicuntur dupliciter: 1. Ea, quæ ad eundem concurrunt effectum quovis modo, etsi unum alteri *subordinetur*, aut alia atque alia formalitas in effectu ipsis respondeat, quomodo se habent manus & calamus respectu scriptionis, hic enim illi subordinatur. 2. Ea, quorum unum alteri *non subordinatur*, eademq; formalitas ipsis in effectu respondet, quoniam agentia partialia sunt: *quæ* § 1. *adduximus*.

4. Jam dico, Regulam nostram loqui de agentibus partialibus posteriori modo, sicut probatur § 1. duorum equorum enim in curru unus alteri non subordinatur, & quâ ratione promotio currûs ab uno dependet, dependet etiam ab altero; eademq; ratio est in duobus illuminantibus, & calefacientibus conclave candelis. Argumentum § 2. desumtum est ab agentibus partialibus priori modo: Nam intellectus & lumen gloriæ subordinantur, & alia formalitas in visione Dei respondet intellectui, alia lumini gloriæ. Nam visio Dei est & actus vitalis, & actus supernaturalis, prius habet ab intellectu, posterius à lumine gloriæ. De agentibus partialibus hoc modo sumtis regulam non loqui probat argumentum, & si sermo sit de causis partialibus in posteriori significatione, negatur id quod pro probatione affertur. Nam datur aliquod agens, quod cum altero concurrit ad eundem effectum, nec intensivè augendo vim ipsius, nec ut causa partialis, (*in posteriori acceptione*) quemadmodum Deus concurrit ad actiones cujuslibet creaturæ, nec enim concurrit intendendo virtutem ejus, nec concurrit ad agens partiale posteriori modo, quia creaturæ in agendo subordinantur Deo. Vide Becanum, *part. 1. theol. Schol. t. 1. c. 9. q.* 3.

TIT. IX. continens REG. XV.

circa doctrinam
Simplicis & Compositi, totius & Partis.

STatuunt *Metaphysici affectiones entis esse duplices: Quædam conjunctæ sunt ità, ut ens immediatè sequantur, vel saltem non mediante aliquâ affectione simplici, cujusmodi sunt actus & potentia, causa & causatum, de quibus hactenus regulas proposuimus & explicavimus: Quædam simplices sunt, iisque mediantibus competunt enti affectiones conjunctæ. Simplices actiones recensentur vulgò,* Unum, Verum, Bonum. *Ratione unitatis enti multa conveniunt, nempè cùm unum consistat in divisione;* 1. *Est aliquid indivisum & actu & potentiâ, h. e. ut nec divisum sit actu, nec potentiâ; & hoc dicitur simplex: Aliquid autem est indivisum actu tantùm, h. e. dividi quidem potest, actu autem divisum*

non est, & hoc dicitur compositum. 2. *Cùm compositum consideretur in oppositione vel privativa aut negativa, quomodo simplici opponitur, sicut modò diximus; vel relativa, quomodo partibus opponitur, & dicitur totum. Hinc ergò regulæ* simplex & compositum, totum & partes *concernentes, proponendæ sunt. Quomodo autem & alii tituli, sub doctrina Unius comprehendantur, in sequentibus aperiemus. Hoc Titulo* totius essentialis & integralis *præcipuè rationem habebimus. Nam de* universali, & partibus ipsi subjectis, *peculiariter erit agendum.*

REGULA I.

Simplex est prius composito.

1. Atqui anima est simplex, corpus compositum, neque tamen anima prior est corpore. Non enim, inquam, prior tempore, sed potiùs corpus sic est prius animâ, quod vel ex historia creationis constat: Prius enim Deus fecit corpus ex limo terræ, postmodum ipsi inspiravit spiraculum vitæ. Quòd si tempore posterior est, naturâ prior esse nequit: Nullum enim naturâ prius potest eo esse tempore posterius. Loquor autem de ordine naturæ *generantis*, nam ordine naturæ *intendentis* nullum dubium est, quin multa

composita simplicibus sint priora, idque patebit ex regula sequenti. Estque sic homo prior animâ. Quantùm ad priorem notitiæ, aut ordinem doctrinæ, neq; sic simplex perpetuò composito prius est, quod vel indè patet, quòd in physicis priùs agitur de corpore naturali in genere, de cœlo, elementis, & mixtis inanimatis, quæ composita sunt, quàm de anima.

2. Quid igitur, Annon ergò simplex prius est composito? Resp. Simplex potest comparari cum composito indifferenter, sive compositum illud ex simplici isto constet, quomodo anima sese habet ad hominem, sive ex illo non constet, quomodo anima sese habet ad corpus: Corpus enim ità compositum est, & anima simplex, ut tamen illud ex hac non sit compositum, Hoc modo angeli etiam sunt simplices, homo compositus,quia homo ex angelis non componitur,sicut nec alio modo ab ipsis dependet. Hac ratione non omne simplex est prius composito, & hoc probavimus §. *præced.* 2. Comparatur simplex cum composito, quod ex illo constat sive compositum est. & sic omne simplex prius est composito, ut anima prior homine, & quia simplex comparatur ad compositum, quod ex eo compositum est, habet se ut pars ad totum, éstque propterea de ipso & composito idem dicendum quod de parte & toto, ideò prioritas inter simplex & compositum ulteriùs explicabitur in *regula sequente*.

3. Johannes Goropius, patrum memoriâ, persuadere omnibus voluit, Cymbricam sive Germanicam nostram linguam omnibus primam esse, & antiquissimam, inter alia hoc usus argumento: Lingua simplicissima est prima. Germanica nostra est simplicissima. Ergó. Majorem roborat nostro axiomate, quòd omne simplex antecedat compositum, & quo quid simplicius eo etiam aliis prius sit.

4 Verùm ex hactenus dictis patet, majorem non esse universaliter veram. Quid enim, si maximè lingua aliqua esset simplicissima, h. e. haberet voces simplicissimas, si tamen aliarum linguarum voces ex iis non componerentur,ex simplicitate ejus non posset

ſet prioritas ejus colligi. *Simenſes*, inquit Lipſius in Epiſtola contra Soropium, *ecce pleraſque voces hodie uniſyllabas habent, eáſque variæ ſignificationis* (ita ex iis locis ſcribunt) *nec niſi accentu, aut tono, in pronunciando diſcernendas, itaque ii de palma certent.* Hæc ille, *dicto loco.*

5. Certum autem eſt Soropium loqui de prioritate temporis. Plurima ſunt ſimplicia quæ licèt naturâ ſint priora compoſitis, tempore tamen priora non ſunt, *omnis enim forma formato naturâ prior eſt*, tempore prior non eſt. Minorem Soropii propoſitionem examinare inſtituti noſtri non eſt. Videatur Chriſtianus Bechm. *in manuduct. ad Lat. ling. cap. 5.*

6. Notandum autem ulteriùs dici aliquid *ſimplex* dupliciter: 1. *Abſolutè:* 2. *Reſpectivè*; nimirum id quod minùs eſt compoſitum, quemadmodum minùs univerſale, comparatione ad id quod magìs univerſale eſt, ſingulare dicitur. Regula non tantùm eſt intelligenda de ſimplici abſolutè, ſed & reſpectivè ſic dicto, quemadmodum corpus organicum licèt compoſitum ſit, ſimplex tamen dici poteſt reſpectu hominis qui ex eo componitur, cùm eo ſimplicius, & hac ratione prius quoque eſt.

Regula II.

Pars eſt prior toto.

1. Primò Regulam quibuſdam concluſionibus explicabimus, deinde quæ obſtare ipſi videbuntur removebimus. Sit ergò Concluſio 1. *Quædam pars tempore prior eſt toto, quædam ſimul eſt.* Illud patet, quia ligna & lapides *tempore* antecedunt domum quæ ex iis conſtruitur, ſic & corpus humanum priùs formatur quàm ab anima informetur, & ſic animal conſtituat. Hoc etiam manifeſtum eſt, quia forma formato, ut anima bovis bove, cujus pars eſt non prior tempore, ſed ſimul eſt: Nullum ſiquidem tempus eſt, quo anima bovis ſit & non ſit ſimul ipſe bos, & vice verſâ.

2. Loquimur autem de toto & parte, ſecundùm

entitatem eorum absolutam, nam ut sunt formaliter totum & pars, hæc nunquam tempore prior illo est, ità licèt lapides, ut lapides, tempore sint priores domo, ut tamen partes ejus sunt, priores non sunt, det enim mihi aliquis tempus, quo lapides actu sint partes domûs, ut tamen domus non sit.

3. II. *Pars est naturâ prior toto*, ordine naturæ generantis sive constituentis, inquam. Nam in generatione sive constitutione rerum totum dependet à partibus, non partes à toto. Hæc conclusio est principalis hîc, loquitúrque regula imprimis, de hac naturæ prioritate.

4. III. *Totum est naturâ prius parte*, ordine nimirum *naturæ intendentis*, quam conclusionem perspicuè tradit Aristoteles, 2. *de part. animal. c.* 1. *Quæ posteriora*, inquiens, *sunt generatione*, *naturâ priora sunt*, *& quod primum naturâ est*, *id ultimum est generatione. Non enim lapidum aut laterum genera sunt*, *sed hæc ædium genera.* Ubi expressè ea naturâ priora vocat, quæ priora sunt ordine intentionis, suppeditátque nobis pro nostra conclusione argumentum: Propter quod aliquid est, illud naturâ prius eo est. Sed per totum partes sunt, & non propter partes totum. Ergò, nimirum in intentione, partes à toto dependent, & non totum à partibus, expetuntur enim propter totum, & non totum propter illas. Ergò ordine intentionis posteriores sunt, & totum prius. Vide quæ *circa reg. 7. tit. 7.* diximus.

5. De ordine dignitatis res facilis est, sit igitur conclusio IV. *Totum est dignius qualibet parte*, quia qualibet parte perfectius est, propterea quòd cujuslibet partis perfectionem includit, & omnium partium: quælibet autem pars per se considerata propriam tantùm perfectionem importat, aliarum partium perfectionem non includit.

6. Quod attinet ordinem cognitionis, sit conclusio *V. Pars est prior toto ordine cognitionis*, *vel pars est notior toto.* Distinguendum inter cognitionem *confusam* & *distinctam*. Pars est prior toto, ordine cognitionis distinctæ. Res enim distinctè non cognoscitur nisi

per-

perspectis & cognitis omnibus iis, quæ in ipsa includuntur. Cùm ergò partes in toto includuntur, sine iis distinctè totum cognosci non poterit, quemadmodum ædificium distinctè tibi cognitum non est, nisi minima quæque tum interiora tum exteriora ejus lustraveris. Totum verò est prius partibus ordine cognitionis confusæ, sicut priùs cognoscimus ædificium confusè, quàm distinctè singulas partes, quod vel indè apparet, quòd à longinquo illud confusè videmus, non autem distinctè. Videatur latiùs Fonseca, 1. *Metaph. c.*2. *q.* 2. *s.* 1. Videntur autem duo ista, aliquid aliquo prius esse cognitione, & esse notius eo, idem esse, ubi repetenda fuerit ex *tit.* 3. *reg.* 14. distinctio inter *notiora naturâ* & *nobis*, *partes naturâ sunt notiores*, *totum est notius nobis*, quod quidem ex *cit. regulæ* explicatione facilè intelliges, & demonstrabis, cùm partes respectu totius habeant rationem causæ, nempe internæ.

7. Cæterùm cùm duplex sit totum: *Quoddam actuale*, quod scilicet ex partibus constituitur, & eas actu includit, quale est totum essentiale & integrale: *Quoddam potentiale*, quod à partibus non constituitur, sed potiùs eas constituit, eásque potentiâ tantùm includit, quale est universale, ut genus respectu speciei. Loquitur regula, & nos hactenus locuti fuimus de toto actuali, nempe essentiali & integrali, & partibus essentialibus & integralibus, ipsis respondentibus: hæ ipsæ partes priores sunt toto, hoc ipso, quòd totum constituunt.

8. De potentia universali autem sive potentionali, & partibus ejus quæ subjectivæ appellantur, quales sunt species respectu generis, & individua respectu speciei, diversa est ratio, quia enim partes subjectivæ non constituunt totum universale, sed potiùs ab eo constituuntur, sicut homo non constituit animal, sed ab eo constituitur, ideò totum universale potiùs prius partibus est, & non partes ejus priores ipso, sed hac de re in tit. sequent. circa illam regulam, *Genus est prius specie.*

9. Sed sciendum hîc & istud, in hoc & aliis totius

us & partium attributis, partes non ſumi, reſpectu cujuslibet totius, ſed reſpectu totius cujus formaliter partes ſunt, quemadmodum & totum reſpectu partium illarum ſumitur, ex quibus ipſum formaliter conſtituitur, partes ſunt priores toto non quolibet, ſed eo cujus formaliter ſumti partes ſunt.

10. Ex quo judicari poteſt, quid ſentiendum ſit de ſententia Scheibleri viri doctiſſimi, qui *Top. c.* 28. *can.* 1. ſtatuit, quantùm ad totum integrale, partes principales univerſim eſſe priores, ſed minùs principales poſſe eſſe eo poſteriores. Et videtur res manifeſta, nam cornua, dentes, pili, plumæ adnaſcuntur animalibus in eſſe conſtitutis, ſícque, iis quorum tamen partes ſunt, ſed minùs principales, poſteriora exſiſtunt. Idem patet de ramo adnaſcente arbori.

11. Verùm hâc acceptione opus non erat, partes integrales minùs principales poſſunt eſſe poſteriores toto, ut eſt totum eſſentiale, aut etiam ut eſt totum integrale, ſimpliciter conſideratum: At non ſunt partes totius hoc modo ſumti, toto autem cujus partes ſunt & ſecundùm id, quòd totum eſt ex iis conſtitutum, poſteriores eſſe non poſſunt. Conſideremus exemplum de animali & dentibus, animal eſt totum non eſſentiale tantùm, ſed & integrale, antequam dentes ipſi adnaſcuntur, & ſic dentes ſunt poſteriores eo, ut totum eſſentiale, & ut totum integrale ſimpliciter eſt, ſed ſic dentes non ſunt ejus partes; at ut dentes partes ejus ſunt, & ut animal tale totum integrale eſt, nempe ex dentibus tanquam partibus conſtitutum, ſic dentes non ſunt eo poſteriores. Conſideratis dentibus, ut partes ſunt animalis, totum non eſt animal, niſi ut dentatum: at dentes non ſunt poſteriores animali dentato, ſive toto illo, quod ex animali & dentibus componitur, quemadmodum nemini non poteſt eſſe perſpicuum. Et licèt dentes non ſint neceſſariæ partes ad dandum eſſe animali, quod compoſitum ſive totum eſt, ſunt tamen ſimpliciter neceſſariæ ad dandum eſſe dentatum, vel ut ſit hujuſmodi compoſitum ſive to-

tum, quod ex dentibus constat. Eadem ratio est cornuum, pilorum, plumarum, ut & rami arbori adnascentis.

11. Sed ulteriùs objicitur: Relata sunt simul naturâ. Totum & pars sunt relata. Ergò totum & pars sunt simul naturâ,& per consequens, pars naturâ non est prior toto.

12. Resp. Concedendo, totum & partem esse simul naturâ, quatenus considerantur relativè, & hoc probat argumentum, quatenus verò secundùm entitatem suam absolutiorem considerantur, eatenus negatur minor, absolutè enim considerata, totum & pars non sunt relata, sicut materia quæ pars est substantiæ non est relatum, relatione scilicet prædicamentali.

Regula III.

Totum est majus partibus.

1. Partes considerantur dupliciter: Vel, *ut simul sumtæ & unitæ*; vel, *ut unaquæque illarum per se & seorsim sumitur.* Priori modo totum iis non majus est, sed æquale, quemadmodum homo non est major capite, thorace, ventre & artibus, si ista omnia simul sumantur. Loquitur ergò regula de partibus posteriori modo sumtis: Totum est majus qualibet parte, sive partibus seorsim sumtis.

2. Est autem veritas hujus axiomatis nota ex terminis, qui enim intelligit quid nominibus totius & partis significetur,hoc ipso intelligit, totum esse quavis parte majus,cùm enim totum concipimus, concipimus aliquod excedens, & cùm partem, concipimus id quod exceditur; & certè ablata à toto aliqua pars, quæcunque sit, adhuc aliquid ejus relinquit, quod non fieret, nisi parte majus esset.

3. Porrò cùm majus & minus important formaliter inæqualitatem, quemadmodum quod alteri inæquale est, quantum inæquale est, majus ipso est vel minus; & verò æqualitas & inæqualitas fundentur in quantitate, sicut habet Aristoteles, *in prædic. quantitatis.* Sciendum quantitatem juxta Augustinum

ſtinum, *6. de Trinit. c. 7. &* 8. eſſe duplicem, *molis* & *virtutis*. Illa conſtituit peculiare prædicamentum, & conſiſtit in extenſione, hæc eſt perfectio cujuſque rei, dicitúrque ab ea Deus in Scripturis *magnus*. A quantitate *utroque modo* dicta, dicitur *æquale* & *inæquale*, ſcilicet majus & minus. Dicitur enim majus aliquod dimenſione aut quantitate molis, quod alterum excedit; ut major linea, majus corpus. Dicitur etiam majus quod eſt perfectius, ſcilicet quod alterum perfectione excedit, quomodo Chriſtus dicit, Patrem ſe eſſe majorem.

4. Ut autem vox hæc *Quantitatis* propriè, & ratione originis ſuæ ſignificat quantitatem molis, traducta poſtmodum ad perfectionem cujuſque rei: Sic & de toto quantitativo, ſcilicet integrali, quod quantitatem molis importat, regula noſtra primò uſurpatur; accommodari tamen etiam poteſt toti eſſentiali.

5. *Eſt* igitur *totum integrale majus qualibet parte, quantitate molis*, ut homo eſt major manu, capite, pede; palmus major ſemipalmo; denarius major ſenario. Et ratio clara eſt, quia totum integrale eſt id cujus quantitas à partium quantitate (*loquimur de quantitate molis*) conſtituitur, & propterea hoc ipſo eſt majus quantitate molis. *Totum eſſentiale non eſt majus quantitate molis.* Et ratio eſt, quia cùm totum eſſentiale phyſicum dicatur reſpectu materiæ & formæ, tanquam partium, in hujuſmodi autem toto nulla detur quantitas molis niſi materia, & forma vel quanta & extenſa non ſit, ut anima hominis, vel quanta & extenſa ſit, quantitate & extenſione materiæ, & ſi ipſi nullam addat quantitatem *non poteſt totum eſſentiale materia & forma majus eſſe quantitate molis*, ità taurus non eſt major corpore ſuo, aut animâ ſuâ: Ratio autem totius eſſentialis Logici, quale eſt ſpecies reſpectu generis & differentiæ, cùm in iis etiam rebus reperiatur quæ non ſunt quantæ quantitate molis, ut in ſubſtantiis ſeparatis & præterea partes ſolâ ratione diſtinctas, nec in eo inæqualitas aliqua, quæ quantitatem molis concernat, attendi poteſt. *Eſt* tamen *totum eſſentiale majus quali-*

qualibet parte essentiali, quantùm ad quantitatem virtutis. Est enim totum essentiale physicum perfectius tam formâ quàm materiâ, ut homo tam animâ quàm corpore, quemadmodum ex *conclus. 5. reg. præced.* constat. Species quoque, quod totum essentiale logicum appellatur, est perfectior & genere & differentiâ, ut *tit. seq.* ostendemus.

6. In toto universali, ut in genere, respectu specierum, etiam non attendi quantitatem molis, patet jam ex §. *præced.* Quantùm ad quantitatem *virtutis* scilicet perfectionis partes ejus totius universalis, quæ subjectivæ dicuntur, potiùs sunt majores seu perfectiores toto, sicut jam diximus de specie, quæ est pars subjectiva generis tanquam totius universalis.

7. Videtur tamen & in *toto universali* quodammodo attendi posse quantitas, quod ut illustretur, sciendum, sicut quantitas molis, si propriè dicta, importat extensionem, qua substantia, cui inest, tanquam subjectum ostenditur: Ità per analogiam quandam, seu ratione analogicæ cujusdam extensionis posse & ad alia vocem *quantitatis* quodammodo accommodari, quemadmodum propositionibus quantitatem tribui, ejúsque ratione aliam universalem, aliam particularem dici, pueris notum est. Consistere autem illa analogia in hoc videtur, quòd sicut per quantitatem molis substantia extenditur ratione partium, ità in propositione, prædicatum significatur extendi ratione subjecti, & prout ratione prædicationis vel ad omnia ea, quæ sub subjecto continentur, se extendit vel non extendit; illa propositio universalis dicitur vel particularis. A quantitate secundùm ejusmodi analogiam sumta, puto & totum universale posse quodammodo *majus dici partibus subjectivis*, nempe quoad amplitudinem prædicationis, seu ut Durandus, 1. *dist.* 19. *q.* 4. *secundùm ambitum continentiæ prædicabilis*, hoc est, propterea quòd quantùm ad prædicationem ad plura se extendit quàm partes subjectivæ, quemadmodum

dum animal quantùm ad prædicationem ad plura se extendit quàm homo, cùm non de homine solùm sed & de brutis prædicari possit, de quibus homo prædicari non potest.

8. Verùm antequam ad alia transeamus, non prætereunda fuerit objectio, quæ sumitur ex *v.* 13. *c.* 6. *Joh.* ubi legitur, quod ex 5. panibus, quibus unà cum 2. piscibus Christus fermè 5000. viros cibavit, superfuerint 12. cophini fragmentorum, hinc tale potest fieri argumentum: Quinq; panes fuerunt minus, quàm eorum fragmenta, quæ duodecim cophinos implebant. Quinq; panes fuerunt totum, respectu illorum fragmentorum, fuerunt enim hæc fragmenta partes residuæ quinque panum. Quoddam igitur totum est, minus partibus.

9. Nonnulli ex hoc argumento voluerunt probare, *Theologiam pugnare cum Philosophia*, quemadmodum videre est apud Grawerum, *in tract. de simpl. & una verit. circa finem:* Philosophi enim docent, totum esse majus partibus: At ex *cit. histor.* colligebant illi, totum aliquando fuisse minus partibus.

10. Sed argumentum istud non est tam robustum, ut aliquam inter Theologiam & Philosophiam pugnam excitare possit. Pro solutione repetendum ex reg. præced. *partes non cum alieno sed cum suo toto*, cujus revera & formaliter partes sunt, *comparari debere*. Possunt igitur 5. illi panes dupliciter considerari: 1. In se, quales erant per naturam ante benedictionem divinam: 2. Ut post benedictionem divinam, supra naturam & miraculosè erant aucti. Si priori modo sumantur, negatur minor, quinq; enim panes erant totum respectu illorum fragmentorum, non ut se naturaliter habebant ante benedictionē, sed ut jam per benedictionem miraculosè fuerunt aucti. Si sumantur posteriori modo, negatur major, quinq; enim panes jam aucti benedictione divinâ non erant minus, quàm illa fragmenta, licèt minùs fuerint, ut ante benedictionem sese habebant.

Regula IV.

Totum & partes sunt in eodem prædicamento.

1. *Totum* est in duplici differentia. Quoddam est *ens per se*, ut homo, lapis; quoddam est *ens per accidens*, aut per aggregationem. Loquitur regula de priori genere totius, nimirum & partes ejus ejusdem sunt prædicamenti, quanquam occurrat diversitas in modo. Nam juxta communem sententiam, totum integrale & essentiale sunt per se, & directè in prædicamento, partes autem integrales, & essentiales physicæ, reductivè tantùm. Quantùm ad *totum essentiale logicum*, quale speciem respectu generis & differentiæ esse diximus, *ipsum & genus eodem modo sunt in prædicamento*: ut homo & animal directè sunt in prædicamento substantiæ, *differentia* verò *indirectè in prædicamento*: qua de re alios vide. Constat autem ex hisce etiam, quid de toto universali & partibus subjectivis sit sentiendum. Jam enim diximus, genus & speciem esse eodem modo in prædicamento. Hujusmodi igitur totum, & partes ipsi respondentes, eodem modo in prædicamentis collocantur.

2. Quantùm ad posterius totius genus, *totum ut totum non est in prædicamento*, sed reducitur ratione partium ad prædicamentum, & potest constare ex partibus diversorum prædicamentorum, ità concreta accidentium, ut album, musicum, sunt entia per accidens, & significant tam id cui accidit, quod est substantia, ut homo, quàm id quod accidit, quod est accidens, ut albedo, musica, secundùm Aristotelem, 7. *Metaph. c. 6.* & non sunt in prædicamento (*quod testatur Aristoteles* 3. *top. cùm dicit, justum non esse in genere, sed justitiam*) nisi reductivè ratione partium, quemadmodum album ratione albedinis ad prædicamentum qualitatis reducitur. Idem dicendum de rebus artificialibus, ut statuâ, mensâ, &c. Vide Fonsecam, *l. 5. Metaph. c. 7. q. 5.*

Regula V.

Quicquid est pars partis, est quoque pars totius.

1. Proclus, ut videre est apud Pererium, *l.* 15. *c.* 8. videtur asserere, omnes partes mundi esse æternas, concedens nihilominus elementa esse partes mundi, & partes elementorum esse interitui obnoxias. Hanc sententiam esse absurdam ex hac regula ostendi potest: Si aliqua quæ interitui obnoxia sunt, sunt partes elementorum, etiam aliqua quæ intereunt sunt partes mundi, quia elementa sunt partes mundi. Quæ autem sunt partes partium sunt etiam partes totius. At aliqua quæ intereunt sunt elementorum partes. E. etiam aliqua quæ intereunt sunt partes mundi, & per consequens falsum est, omnes mundi partes esse æternas.

Regula VI.

Omne totum aliquo modo multum est, & non unum.

Scalig. exerc. 65. *f.* 2.

Regula VII.

Omne totum est unum.

1. Utrumque significat Philosophus, 5. *Met. c.* 26. *Totum*, inquiens, *dicitur, cujus nulla pars eorum abest, ex quibus naturâ totum nominatur, & quod ità continet ea quæ continentur, ut illa sint unum.* Ubi expressè dicit, partes in toto esse unum. Est totum sæpe unum per se, ut homo, lapis; interdum per accidens, aut per aggregationem, ut album, simum, exercitus. Quando dicit, *quòd totum contineat ea quæ continentur*, pluralitatem quandam significat, & sic totum quodammodo plura est.

2. Non pugnant autem istæ propositiones inter se, *Totum multa est aliquo modo*, ratione partium, siquidem nullum totum ex una fit parte, sed minimùm duæ

duæ requiruntur. Dominicus de Flandria, 5.*Metaph.* *q.* 22. *a.* 2. hoc utitur argumento : Si aliquod totum fieret ex una solùm parte, sequeretur aliquod totum non esse majus parte. Est omne totum unum ratione unionis inter partes.

3. *Objicis:* Si totum non est suæ partes, ut homo nec est corpus nec anima, (*sed est aliquid compositum ex corpore & anima*) sequitur, quòd nec multa sit, propterea quòd partes, ut corpus & anima, multa sunt.

4. *Resp.* Notandum est particula *aliquo modo*, in *reg.* 6. probat argumentum, Totum non esse multa absolutè & in recto, quia nimirum ea quæ multa sunt, & quorum ratione totum multa aliquo modo dicitur, de toto non prædicantur in recto. Est tamen totum aliquo modo multa, quia nimirum ex multis constat partibus.

5. Notandum autem ulteriùs ex Bonaventura, 3. *sent. dist.* 3. totum accipi dupliciter: *Privativè* vel *negativè*, & *positivè* seu *affirmativè*. Totum positivè acceptum, est propriè & formaliter totum: Totum autem propriè & formaliter importat, ut habeat partes. Totum negativè non est propriè & formaliter totum, sed dicitur sic per negationem oppositi, quia scilicet non est pars, nec partes habet. Hoc modo dicimus, tota natura divina, totum punctum. Quando dicitur omne totum esse *aliquo modo* multa, accipiendum est tantùm de toto formaliter & positivè accepto, non autem de toto negativè sumto. Punctum enim, quod negativè dicitur totum, non est aliquo modo multa.

REGULA VIII.

Pars non prædicatur de toto.

1. Ità Philosophus, 4. *top. c.* 6. Non loquitur regula de toto *essentiali logico*, & partibus ejus; & per consequens, nec de toto *universali & partibus subjectivis*. In hisce enim certum est, partem de toto, & vicissim totum de partibus prædicari. Prædicantur enim

enim genus & differentia de specie, & species vicissim de genere, &c. de quo plura *tit. seq.* Ratio autem est, quia in hisce totum & partes sunt idem realiter, & solâ distinguuntur ratione. At quæ realiter idem sunt, illa de se invicem prædicantur, cùm nihil aliud ad veritatem prædicationis, scilicet propositionis affirmativæ, requiratur, quàm ut subjectum & prædicatum sint idem.

2. Quantùm ad reliqua totius genera, *partes non prædicantur de toto* quod est *unum per se*, nempe de *toto integrali & essentiali physico; nec totum de partibus.* Non enim verum est, si dicam, Homo est anima, homo est corpus, homo est caput, manus, &c. sed nec si convertam, Anima est homo, corpus est homo, caput vel manus est homo, verum est, eadémq; ratio in aliis est.

3. *Dicis:* Utique vera est ista propositio, Homo est corpus, est enim corpus naturale. *Resp.* Corpus tripliciter sumitur: 1. Ut pertinet ad prædicamentum quantitatis, & dicitur trina dimensio: quæ tamen acceptio non est hujus loci. 2. Pro substantia composita ex materia & forma, quo pacto dicimus, plantas, animalia corpora esse, & hoc modo concedo, hominem esse corpus, sive illam propositionem, Homo est corpus, esse veram, sic enim corpus est genus hominis. 3. Pro altera parte viventis, quo pacto dicimus animal constare ex corpore & anima. Hoc modo sumsit Aristoteles, *loc. cit.* nempe 4. *top. c.* 5. §. 6. cùm dixit, *corpus non posse esse genus hominis, quia pars sit.* Et hac acceptione, hæc propositio, Homo est corpus, est falsa.

4. *In toto quod unum per accidens est, potest aliqua pars prædicari de toto, & totum de parte.* Ità concretum accidentis est totum, cùm constet ex subjecto & forma accidentali, & est unum per accidens, sicut § 2. *reg.* 4. diximus. Potest subjectum prædicari de concreto accidentis, & hoc de illo, ut album est corpus, & corpus est album; sed quantùm ad alteram partem nempe formam, inter eam & concretum nulla est prædicatio. Non enim possum dicere,

dicere, album est albedo, aut albedo est alba.

5. Idem docet Aristoteles, 8. *Metaph. t. 6.* de rebus arte factis. Cùm enim ibi dicat, eas esse definiendas ità, ut altera pars nempe materia ponatur in casu recto, ut si definiendum limen, dicendum, quòd sit lapis, vel lignum, hoc vel illo modo collocatum, dilucidè tradit, *partem materialem prædicari de toto arte facto.* Sic & plerique interpretes docent, cùm Aristoteles, *in lib.* περ. ἑρμ. nomen per *vocem* definit, vocem esse materiam, & sic partem nominis; Idem tamen Philosophus, 9. *Metaph. c.* 12. negat dicendum esse, Arca est lignum, sed dicendum, Arca est lignea. Indè ergò nec dicendum erit, Limen est lignum, sed, Limen est ligneum.

6. Faciunt alii mentionem totius & partis *in modo*: *Totum in modo est*, ut homo, *pars in modo*, ut homo doctus, hæc de se invicem prædicantur. Dico enim, Homo doctus est homo, &, Quidam homo est homo doctus. Sed de hisce vide Philippum Du Trieu, *tract.* 3. *manud. p.* 2. *c.* 2. *a.* 4.

Regula IX.

Totum non prædicatur de parte.

1. Continetur jam explicatio hujus regulæ in *explicat. præced.* Ostendimus enim non solùm non prædicari partem de toto, sed nec totum de parte, & in quibus hoc ipsum locum habeat.

2. Unum tantùm adhuc, ídque admodum notabile, circa hanc regulam considerandum est. Limitant enim eam nonnulli ità, ut dicant, excipiendum esse *totum integrale similare*, hoc enim de partibus suis prædicari posse asserunt, & probatur indè, quòd quælibet particula aquæ est aqua, & ferri ferrum.

3. Verùm nos cum Durando, 2. *dist.* 3. *q.* 3. ibi ad cujus evidentiam negamus omninò, *totum integrale similare prædicari unquam de sua aliqua parte posse.* Non enim ulla particula aquæ est illa aqua, quæ ut totum integrale ex illa particula, ut ex parte integrali, componitur, nec ulla pars ferri est illud

ipsum ferrum, cujus tanquam totius integralis, ipsa pars integralis est, id certè ità patet; sit totum similare ut aqua vel ferrum 10. librarum, nulla certè pars istius aquæ, nulla istius ferri, est ista aqua aut istud ferrum 10. librarum. Quòd autem quælibet pars aquæ de aqua & ferri de ferro prædicatur, est illa prædicatio totius universalis. Ferrum enim vel aqua tanquam species specialissima, prædicatur de partibus ferri vel aquæ, quæ totam naturam ferri & aquæ in se continent, suntque respectu ferri & aquæ non partes integrales, sed subjectivæ.

REGULA X.

Quicquid prædicatur de parte, prædicatur de toto.

1. Atqui I. Rationale est pars essentialis hominis, de rationali prædico, quòd sit differentia, homo tamen non est differentia. Ità homo est pars (*subjectiva nimirum animalis*) de homine dicitur, quòd sit species specialissima, quod de animali dici nequit, Sic pars, ut anima, constituit totum, ut hominem, & unitur cum altera parte, nempe cum corpore, totum tamen non constituit totum, nec unitur cum parte, ut homo non constituit hominem, nec unitur cum corpore. II. Dentes Æthiopis qui sunt pars ejus sunt albi, nec tamen æthiops est albus.

2. Pro responsione & explicatione regulæ sciendum, id quod de parte aliqua prædicatur importare, aut concernere ipsam formalem rationem partis interdum, interdum competere parti secundùm entitatem absolutam.

3. Dico, regulam non valere de iis prædicatis, quæ important aut concernunt *ipsam rationem formalem* partis, & hoc probant ea quæ in 1. argumento fuerunt allata. *Esse enim differentiam, esse speciem* sunt nomina partis, & significant formaliter aliquod genus partis, illud quidem partem essentialem logicam, hoc autem partem subjectivam. Sic constituere totum, aut cum aliqua parte uniri, pertinent ad rationem

rationem formalem partis, per ista enim est aliquid alicujus pars. Huc videntur reducenda ea, quæ rationem formalem partis destruunt. Nam dico, Manus abscinditur ab homine, neque tamen dico, Homo abscinditur ab homine, scilicet, à seipso: Destruere autem hoc prædicatum rationem partis indè patet, quòd tollit unionem partis, nempe manûs, cum alia parte. At ratio partis consistit in unione cum altera parte. Loquitur ergò regula tantùm de iis quæ competunt parti *secundùm esse absolutum.*

4. Est autem omnino vera de partibus *essentialibus logicis*; ut quicquid prædicatur de genere & differentia, prædicatur etiam de specie, sicut constat, eáque de re plura infrá. Item de *subjectivis*; ut quod prædicatur de specie, prædicatur etiam de genere, quod virum Doctissimum negare miror. Quid enim, an non ex eo, quòd homo est rationalis, rectè infero, quoddam animal esse rationale. Quanquam autem quod de una tantùm specie dicitur, non universaliter de genere prædicatur, indè tamen non sequitur, ipsum de genere non prædicari, cùm & particularis prædicatio sit prædicatio.

5. Quantùm ad partes *essentiales physicas, & integrales*, de iis etiam valet, & quod de istiusmodi partibus prædicatur, prædicatur etiam de toto, sed cum discrimine; quædam prædicantur de toto *simpliciter*, ut non tantùm anima, sed & homo dicitur *intelligens*, & non tantùm corpus hominis, sed & ipse homo *quantus* est. Quædam autem *secundùm quid*, scilicet cum additamento illius partis de qua prædicatur. Ut ex eo quòd anima est incorporea, immortalis, non possum dicere, homo est incorporeus, immortalis.

6. Sed quænam simpliciter de toto prædicari possunt, quæ tantùm secundùm quid? Universalem limitationem tradere difficile est, interim hoc habendum: Ea quæ de parte aliqua dicuntur in duplici sunt differentia: *Quædam formaliter obstricta sunt alicui parti, ut aliis convenire non possint*, quomodo crispum esse capillis, simum naso tantùm

 convenit.

convenit. Et hæc prædicantur de toto absolutè ut ex eo, quòd capilli sunt crispi, & nasus simus, homo dicitur crispus, simus. *Quædam autem ex natura sua non sunt determinata ad aliquam partem, sed & aliis ea competere non repugnat:* & horum adhuc, quædam simpliciter de toto prædicantur, ut si manus vulneratur, aut tergum virgis cæditur, homo dicitur vulnerari & virgis cædi; quædam autem secundùm quid, ut quòd dentes æthiopis sint albi, non licet inferre, quòd æthiops sit albus, sed tantùm quòd sit albus secundùm dentes. Atque hinc patet argumentum secundum, §. 1. nobis non obstare.

7. Sciendum autem ulteriùs puto, eorum quæ de parte prædicantur, quædam *toto ipsi repugnare*, ut de anima dicitur, quòd incorporea sit & immortalis, quod quidem homini tanquam toti repugnat, cùm homo sit compositum quid, & corporeum & mortale; quædam autem *toti non repugnant*, ut de anima dicitur, quòd sit intelligens, quod homini non repugnat. Notanda igitur regula, *Quæ de parte dicuntur, ità ut toti repugnent, de toto non simpliciter prædicantur, sed secundùm quid*, scilicet, cum additione: ut falsum est si dicam, Homo est incorporeus, immortalis; verum, Homo est incorporeus, immortalis secundùm animam.

REGULA XI.

Quicquid prædicatur de toto, prædicatur etiam de parte.

1. Quod dupliciter potest intelligi: I. *De qualibet parte*, quòd scilicet id, quod de toto prædicatur, de omnibus prædicetur partibus: hoc sensu cùm nonnulli accipiant, probari indè posse credunt, animam non creari, sed per naturalem generationem propagari, ità colligentes: Homo habet ortum per generationem. Ergò, & anima rationalis. Consequentiam probant, quia quod dicitur de toto, dicitur etiam de qualibet parte.

2. Nonnulli

2. Nonnulli hoc utuntur argumento: Quicquid non denotat naturam à partibus distinctam, de eo nihil potest prædicari quod non competat partibus. Totum non denotat naturam à partibus distinctam, nihil enim aliud est totum, quàm partes simul sumtæ. Ergò, de toto nihil potest prædicari quod non competat partibus.

3. II. Potest intelligi saltem de *aliqua parte*, nempe quicquid prædicatur de toto, de aliqua saltem prædicatur parte.

4. Verùm non tantùm primus, sed etiam secundus sensus est falsus. Homo texit, ædificat, at dicere animam texere aut ædificare pro absurdo ducit Aristoteles, 1. *de anima c.* 4. *t.* 94. Ità de homine prædicatur animal, & tamen nec anima, nec corpus, nec ulla corporis pars animal est. Homo moritur, & tamen nec anima nec corpus propriè moritur, cùm mors sit interitus totius viventis. Ità propositio est vera vel falsa, & tamen nec subjectum nec prædicatum verum est vel falsum, triangulus habet tres angulos, nulla tamen pars trianguli habet tres angulos.

5. Quapropter regula rectiùs sic posset formari, *Non omne id, quod prædicatur de toto, prædicatur de omnibus partibus*, imò, *Non omne id, quod prædicatur de toto, prædicatur de aliqua parte.*

6. Volumus autem ista intellecta de *toto integrali & essentiali physico*, de quibus etiam instantiæ *præced.* §. adductæ solùm loquuntur. *Totius universalis, ut & essentialis Logici*, alia est ratio. Quicquid enim de illo prædicatur, prædicatur etiam de partibus subjectis juxta ea quæ dicentur, *in reg.* 2. *tit. seq.* Et quicquid prædicatur de specie, tanquam toto essentiali Logico, prædicatur etiam de genere, differentia, tanquam partibus, sicut partim ex *reg. præced.* constat, partim ex *dicendis tit. seq.* constabit.

7. Ad rationem §. 2. facile est respondere, siquidem quilibet videt, regulam nostram loqui de partibus *seorsim*, seu *divisim sumtis*. Non enim quæritur, an omne quod toti competit, competat partibus simul sumtis, sed an competat cuilibet, vel saltem alicui

seorsim sumtæ. At medius terminus est conceptus de partibus simul sumtis, sic ergò negatur major. Quid enim hoc ad partes seorsim sumtas, quòd totum non differt, nec denotat naturam à partibus distinctam simul sumtis. Quòd si dicant illi qui argumento isto utuntur, se loqui de partibus singulis seorsim sumtis, tunc negatur minor, totum enim aliud est quàm singulæ partes.

REGULA XII.

Positis omnibus partibus, ponitur totum.

1. *Positis omnibus partibus*, *secundùm esse absolutum*, *non statim ponitur totum*, quemadmodum etsi sint lapides & ligna, omnísque materia ad domum ædificandam requisita, nondum tamen domus est: At *positis partibus formaliter*, scilicet in esse partium, ponitur totum.

2. *Dicis*: si vel maximè lapides & ligna, quæ domus partes sunt, sint inter se unita, sed sine discrimine, ponuntur quidem in esse partium, nondum tamen est domus.

3. *Resp.* Tunc quidem ponuntur in esse partium, sed non in esse partium domûs, h.e. sunt quidem partes alicujus compositi, quod quidem tum ponitur cùm partes inter se unitæ sunt, sed non sunt partes domûs, Ergò, nec necesse est, ut domus tunc ponatur. Positis omnibus partibus ponitur totum, *illud*, sc. *totum cujus partes sunt*, ut positis fundamento, parietibus, tecto, &c. ponitur domus.

REGULA XIII.

Sublatâ quacunque parte, tollitur totum.

1. Absolutè verum est de *parte essentiali*. Cùm enim vel forma, vel materia, aut etiam genus vel differentia alicujus rei denegatur, id res hujusmodi esse non potest, ut in enthymemate, dispositio medii cum extremis non est, Ergò, non est syllogismus. Hoc animal non habet animam rationalem, Ergò, non est homo.

2. De

2. De *partibus subjectivis* alia est ratio. Etiamsi enim una vel plures species non sint actu in rerum natura, genus tamen actu in rerum natura esse potest, ut si solus homo sit in rerum natura, adhuc erit animal.

3. Quantùm ad *partes integrales*, dico, nos de toto trifariam posse loqui: 1. Ut absolutè est aliquod totum. 2. Ut est tale totum, h. e. ex partibus propositis constitutum. 3. Ut denominatur integrum, vel res integra.

4. Secundùm primam acceptionem, *Sublatâ quacunque parte, non statim tollitur totum.* Distinguunt autem inter partes integrales, principales & minùs principales. Illarum quâcunque sublatâ tollitur totum, propter hoc ipsum scilicet, quòd principales h.e. absolutè necessariæ sunt ad esse totius Harum autem minùs principalium quâcunque sublatâ, totum non tollitur, hoc ipso, quòd minùs principales h. e. non absolutè necessariæ sunt ad esse totius, quemadmodum non tollitur hic homo, abscissâ manu aut pede.

5. Juxta secundam considerationem, *Sublatâ quacunque parte totum tollitur*, ut abscissâ manu vel pede non est homo ampliùs tale totum, quale ante erat, non enim est totum ex manu illa aut pede amisso constitutum, quemadmodum amissis cornibus aut dentibus non ampliùs est animal cornutum aut dentatum, quæ res clarissima est, & apud omnes indubitata.

6. In tertia acceptione, *Integrum opponitur mutilo*, ut homo integer dicitur qui mutilus non est, hîc proinde videndus est Aristoteles, 5. *Metaph. c.* 27. ubi hanc materiam ex professo tractat. Ut igitur integrum tollatur & mutilum dicatur, oculus intendendus est tum ad id quod mutilum denominatur, tum ad partem ablatam, quod Philosophus appellat κολόβωμα, quod Fonseca putat quamvìs minùs latinè reddi posse *mutilamen:* ex parte ejus quod mutilum dicitur, requirit Philosophus quatuor conditiones: 1. *Ut sit divisibile*; intellige in partes ex quibus constat, sicut explicat Fonseca, quandoquidem detractio-

ne partis constituentis, non autem subjectivæ fit res mutila, sicut genus non est mutilum sublatâ aliquâ specie, nec species est mutila sublato individuo. 2. *Ut sit totum*, i. e. ut maneat secundùm substantiam, ablatâ aliquâ parte. Hanc ob causam nullus numerus potest dici mutilus, quia quâvis parte numeri sublatâ, non manet idem numerus secundùm essentiam, ut sublatâ unitate ex ternario, non est ampliùs ternarius. 3. *Ut ejus partes habeant positionem juxta essentiam*, h. e. ordinem in toto scilicet, ut totius essentia non sit nisi in partibus certo ordine dispositis, unde res similium partium, vel ut aqua aut ignis nunquam dicuntur mutilæ, quia earum partes manifesto carent ordine. 4. *Ut sit continuum.* Concentum enim, seu harmoniam, nemo dixerit mutilam, propterea quòd scilicet continua non est, nisi forsan dicatur per translationem.

7. Ex parte κολυφώμενος, sive, ejus quod deest, 1. Requiritur, *Ut non sit pars principalis*, quoniam deficiente parte principali, non manet totum secundùm essentiam, sicut sublato capite non est homo. 2. *Ut non sit ubicunque exsistens*, sed in extremitate, qualis est ansa in cantharo. 3. *Ut totâ sublatâ non possit renasci*, quam ob causam cervos non dicimus mutilos cùm cornua deposuerunt. Vide Thomam, 5. *Metaph. lect.* 20. Dominic. de Flandria, *ib. q.* 28. *a.* 2. Javellum, *in Epit. in lib.* 5. *Metaph. t.* 3. *c.* 5. Suarez, *in ind. locuplet. l.* 5. *c.* 27.

Regula XIV.

Posito toto, ponuntur omnes partes.

1. Sequitur ista regula ex præcedente. Nam si sublatâ quâcunque parte totum tollitur, sequitur posito toto debere poni omnes partes, & idcirco eodem etiam modo explicanda est, quo prior.

2. Nempe absolutè vera est de *toto essentiali*, quemadmodum si homo sit, necesse est & animam & corpus eum habere, ut syllogismus sit, oportet adesse medium, & duo extrema, eorúmq; legitimam dispositionem

3. De

3. *De toto universali* alia est ratio, ut enim genus sit in rerum natura, non necesse est ut omnes species sint in rerum natura, sed sufficit si una sit.

4. *De toto generali* etiam possumus loqui, tribus illis modis, quos posuimus in *praeced. reg.* Secundùm primam considerationem, *Posito toto non necesse est omnes partes poni*, sed distinguendum inter partes principales & minùs principales, *Posito toto necesse est omnes partes principales poni*, ut si homo sit, oportet cor habeat, cerebrum, &c. *sed non necesse est, poni minùs principales.* Potest enim v. g. homo esse etsi manu aut pede careat.

5. Juxta secundam considerationem, *posito toto, necesse est omnes poni partes*, quemadmodum ut sit animal cornutum, requiritur ut non modò membra principalia, sed & cornua habeat. De tertia consideratione consule *reg. praeced.*

REGULA XV.

Sublato toto, non necesse est tolli omnes partes.

1. Excipiendum videtur *totum similare*, quantum significatur nomine ab essentia sumto. Ut enim lapis vel lignum destruatur, necesse est omnes ligni vel lapidis particulas destrui, & ratio, quia essentia totius similaris, in qualibet minima etiam parte consistere potest.

2. Dixi, *quantùm significatur nomine ab essentia sumto*, seu, totum secundùm essentiam sumto. Nam dantur nomina quae significant totum integrale, ut officium quoddam, aut figuram, aut aggregationem partium importat, qualia sunt, fistula, vena, mare. Totum integrale quantùm hujusmodi nominibus significatur, ut non sit, non necesse est ut omnes partes non sint, ut fistula non est amplius quando fracta est, etiamsi partes supersint.

TIT. X. continens REG. XVI.

circa doctrinam Generis & Speciei.

P*Racedenti Titulo primariò spectavimus* totum essentiale & integrale, *nunc proponemus regulas,* totum universale & partes ejus, *quæ subjectivæ dicuntur, concernentes. Est autem* totum universale *genus respectu specierum & individuorum, ut & species respectu individuorum. Pars subjectiva est species & individuum respectu generis, ut & individuum respectu speciei.*

REGULA. I.

Genus prædicatur de omnibus speciebus sub se contentis.

1. Si *igitur,* inquit 4. top. c. 1. Aristoteles, *positum fuerit, aliquid esse alicujus generis, primùm respicere oportet ad ea omnia, quæ sunt ejusdem generis, an de aliquo non prædicetur, sicut de accidente fit, veluti si quis posuerit, bonum esse genus voluptatis, videndum, an aliqua voluptas non sit bona, hoc enim si est, manifestum est, bonum non esse genus voluptatis,* Genus *enim* de omnibus sub se contentis speciebus prædicatur.

2. *Dicis.* Hæc propositio, Species est genus, est falsa. Ergò, Genus non prædicatur de specie. *Resp.* Genus & species dupliciter accipi possunt; vel *formaliter,*

&

& de ipsis notionibus generis & speciei: vel *materialiter*, & pro rebus substratis illis notionibus. In priori acceptione genus non prædicatur de specie, quia notio speciei non est notio generis, hinc illa propositio, Species est genus, falsa est, quia est concepta de ipsis notionibus. At in posteriori, *genus utique de specie prædicatur*; ut, Scientia est habitus: est enim res substrata notioni speciei, ipsa res substrata notioni generis, sicut scientia, quæ est res substrata notioni speciei, est habitus qui est res substrata notioni generis. Sermonem autem esse Philosopho, in modò citatis verbis, non de notionibus, sed de rebus substratis, indè perspicuum est, quòd expressè loquitur de speciebus sub genere contentis, at notio speciei non continetur sub notione generis, sed istæ notiones sunt contradistinctæ & oppositæ.

3. Porrò hîc duo notanda sunt: 1. Quòd, cùm, quantùm ad prædicationem species se habeat ad individua sub se contenta, sicut genus ad ipsas species sub se contentas, & v. genus prædicetur de omnibus speciebus sub se contentis, & speciem prædicari de omnibus individuis sub se contentis. 2. Quod genus prædicetur de omnibus individuis. Cùm enim genus prædicetur de omnibus & singulis speciebus, species verò de omnibus individuis, necesse est & genus prædicari de omnibus individuis: *Quicquid enim prædicatur de superiori, prædicatur etiam de inferiori*, ut jam videbimus. Posset, ut hæc omnia complecteretur, ità regula formari, *Omne superius prædicatur de omnibus inferioribus sub se contentis*. Quod quidem ex sequente Regula meliùs intelligetur.

REGULA II.

Quicquid prædicatur de genere prædicatur etiam de specie. Porph. *c.* 7. Isagog. & Arist. *categ. c.* 3.

1. Potest ista regula generalioribus concipi verbis, nempe, *Quicquid prædicatur de superiori, prædicatur*

catur etiam de inferiori. Dicitur autem hîc *superius aliquo*, id, quod cùm latius sit, de eo prædicatur in quid, sicut perspicere est ex Du Trieu, *tr.* 2. *manud. p.*3. *c.* 1. *a.* 4. Unde definitio licèt in quid de definito prædicetur, ejus respectu tamen non dicitur *superius*, quia non est latior definito, nec differentia generica est superior respectu speciei, quia non prædicatur de ea in quid. Est autem superius genus respectu speciei, & species respectu individuorum. Ex quo quidem sequitur, quòd & ipsis individuis genus superius sit. Quicquid enim est superius superiori, est etiam superius inferiori.

2. *Inquis:* De genere dicitur, *quòd de pluribus speciebus dicatur*, quod tamen ipsum de specie prædicari nequit : species enim non prædicatur de pluribus speciebus.

3. *Resp.* Regulam esse intelligendam de iis quæ competunt generi, *quoad rem substratam*, non autem de iis, quæ ipsi competunt *ut genus est*, & ratione hujus notionis. Cùm enim species non sit ipsa notio generis, sed solùm res substratæ utriq; notioni sunt idem, non mirum est, id, quod de genere prædicatur ratione notionis, non prædicari de specie. Dici posse de pluribus speciebus convenit generi, ut est formaliter genus, & ut significatur hâc voce *generis*, sicut patet de animali, cui competit prædicari posse de homine & brutis, non ex sua natura, sed quia confusè, & tanquam multis speciebus commune, cognoscitur ab intellectu, à quo quidem intellectûs actu denomitatio generis sumitur.

4. Notandum autem & hoc, quòd licèt regula de prædicatione sive affirmatione loquatur, æquè tamen & valere de negatione, nempè, *Quicquid negatur de genere*, sc. superiori, *negatur de specie etiam*, sc. inferiori.

5. Reperitur autem inter ea quæ de superiori affirmantur vel negantur, ratione rei substratæ, quædam diversitas : quædam enim affirmantur vel negantur de superiori universaliter, & hæc prædicantur vel negantur de omnibus inferioribus, ut, Omne

animal

animal est ſentiens, E. & omnis homo eſt ſentiens, & omne brutum eſt ſentiens. Nullum animal caret vitâ. Ergò nullus homo, & nullum brutum caret vitâ. Quædam affirmantur vel negantur tantùm particulariter, & iſta non affirmantur vel negantur de omnibus inferioribus, de uno tamen aliquo affirmari vel negari neceſſe eſt, ut, Aliquod animal latrat, hoc non affirmatur de omnibus ſpeciebus animalis, homo non latrat, neceſſe tamen eſt, ut aliqua ſpecies ſit, vel aliquod individuum ſaltem de quo affirmetur, affirmatur autem de cane. Sic qui dicit, Quoddam animal non eſt irrationale, verum dicit, quia homo non eſt irrationalis, etſi irrationale de aliis ſpeciebus animalis non negetur.

6, *Inquis* : Dantur aliqua, quæ de ſuperiori affirmantur, & tamen nec univerſaliter nec particulariter, ut hæc propoſitio eſt vera, Animal dividitur in hominem & brutum, & tamen utraq; hæc, Omne animal dividitur in hominem & brutum, Aliquod animal dividitur in hominem & brutum, eſt falſa, quid de hiſce ſentiendum?

7. *Reſp.* Iſta pertinent ad ea, de quibus dictum §. 3. nempe, de nullo prædicantur inferiori, quemadmodum nec ulla ſpecies, nec ullum individuum animalis eſt, quod in hominem & brutum dividatur, quia nimirum dividi in hominem & brutum competit animali, non ratione rei ſubſtratæ, ſed ratione notionis, & ut univerſale quoddam eſt.

REGULA III.

Genus eſt prius Specie.

1. Philoſophus, *c.* 11. §. 3. *categ.* inter diverſos modos prioritatis, & hunc poſuit, ſecundùm quem illud dicitur prius, *à quo non reciprocatur eſſendi conſequentia.* Circa quem modum Fonſeca, 4 *Metaph. c.* 1. *q.* 1. *ſ.* 8. diſtinguit & dicit, duobus modis poſſe ab uno ad alterum *non reciprocari conſequentiam*; uno, *quoad prædicationem*, nempe ſi de quacunq; re alterum dicitur, dicatur ipſum, non tamen vice verſâ,

&

& illud àquo ſic non reciprocatur conſequentia,concedit eſſe prius, ſed non naturâ: altero, *quoad exſiſtentiam*, quod tùm accidit, cùm altero poſito in rerum natura neceſſariò ponitur ipſum,ipſo tamen poſito, non neceſſe eſt poni alterum. Hoc poſteriori modo *genus quoddam prius eſſe ſpecie*, manifeſtum eſt, poſito enim homine in rerum natura neceſſariò ponitur animal, ſed poſito animali non neceſſariò ponitur homo. E. animal eſt prius homine. Si vera eſt ſententia eorum, inquit Foneſca, qui dicunt, lineas eſſe actu in media ſuperficie,& numerum eſſe verum genus numerorum, darią;ſimul in rerum natura plures ſpecies numerorum, quarum aliæ ſint partes aliarum, planè ſequitur, non omne genus eſſe prius naturâ ſuis ſpeciebus, illo prioris modo; cùm hiſce datis perſpicuè ſequatur, magnitudinem reciprocari cum linea,ſecundùm exſiſtentiam,& numerũ eodem modo cum binario. Nam quemadmodum, ſi linea exſiſtit, magnitudo exſiſtit; ità ſecundùm hanc ſententiam, ſi magnitudo exſiſtit, linea exſiſtit, eodemque modo, ut exſiſtente binario, exſiſtit numerus,ſic etiam exſiſtente numero, exſiſtit binarius. *Hæc Fonſeca*. Juxta priorem modum: Omne genus prius eſt ſpecie, ut patet etiam de numero reſpectu binarii, de quocunque enim dicitur binarius, de eo etiam numerus dicitur, ſed non vice verſâ, de quocunque numerus dicitur, de eo ſtatim binarius prædicatur, eadémque eſt ratio magnitudinis & lineæ. Omnis enim linea magnitudo eſt, ſed non omnis magnitudo linea eſt.

2. P. H. de Mendoza,*diſp.phyſ.8.ſ.6.* conſequentiam eſſendi inſinuat duplicem: Unam, *eſſendi in rerum natura*; alteram,*eſſendi in intellectu, & apprehenſione.* Et hinc duplicem innuit *prioritatem*: Unam; *quando non reciprocatur eſſendi conſequentia in rerum natura*; alteram, *quando non reciprocatur eſſendi conſequentia in intellectu*: quando ſc. uno apprehenſo aliud neceſſariò apprehenditur, ſed non vice verſâ. Et hac ratione omne genus eſt prius ſpecie, ſicut iterum de numero & binario apparet, apprehenſo

enim

enim binario necessariò apprehenditur numerus; sed apprehenso numero non necessariò apprehenditur binarius, cùm binarius non ità includatur in conceptu numeri, sicut numerus includitur in conceptu binarii, eademq; est ratio magnitudinis, respectu lineæ:

REGULA IV.

Genus est latius specie. **Aristoteles 4. top. cap. 1. §. 9.**

1. *Genus est latius speciebus singulis*, sc. specie qualibet per se sumtâ, ut animal est latius homine, & virtus latiùs patet quàm temperantia. *Speciebus* verò *omnibus simul sumtis, genus non est latius*, sed cum iis reciprocatur, ut animal cum homine & bruto.

2. Hinc colligitur, *opinabile* non esse posse speciem entis, quia ens non est latius opinabili, sed *opinabile* potiùs est latius ente, cùm & quod est, & quod non est, opinabile sit. Cicero 1. *Tusc.* vocem ἐντελέχεια apud Aristotelem scribit significare *continuatam motionem* & *perennem*. Hanc explicationem Ciceronis non admittit nostra regula, quia apud Aristotelem, *phys.* 3. ἐντελέχεια est genus *motûs*. Definit enim motum per ἐντελέχειαν tanquam per genus, quod Aristoteles facere non potuisset, si ἐντελέχειαν pro motione accepisset, genus enim est latius specie. At motio, vel motio continua & perennis, non est latior motu, cùm motio potiùs idem cum motu sit. Vide Monlorium, *in quæst. de* ἐντελεχείᾳ.

REGULA V.

Species est collectiva multorum in unam naturam, & adhuc magis genus. **Porph. c. de Specie.**

1. Omnia individua unius speciei conveniunt in ipsius speciei natura, ut omnia individua humana, in natura humana. Sed in natura generis conveniunt individua non solùm unius speciei, sed omnium spe-

ſpecierum talis generis, ut omnes homines & omnia bruta in natura animalis. Et hinc eſt quòd ſpecies dicitur collectiva multorum in unam naturam, genus autem magìs.

2. Sed audiamus Cajetanum, *in comment. circa illud dictum:* Inquit, *Genus eſt magìs collectivum in unam naturam, quàm ſpecies*, dubitatur, quia oppoſitum dicere debuiſſet. (*Porph.*) *Illud* enim *eſt magìs in unam naturam unitivum, quod in ſe eſt magìs unum, & cujus naturæ unitate retentâ minorem diſtinctionem res illius naturæ inter ſe compatiuntur*, ſicut illud eſt magìs calefactivum, quod in ſe eſt magìs calidum, & à quo res calefactæ minùs compatiuntur frigoris, cæteris paribus, &c. Species autem in ſe eſt magìs una quàm genus, quoniam ſpecies dicit naturam omninò indiviſibilem formaliter, unde & ἄτομα dicitur, genus verò naturam diviſibilem importat; & ſimiliter res ſecundùm ſpeciem adunitæ minorem diſtinctionem compatiuntur, non enim poſſunt diſtingui niſi numeraliter, quæ verò in genere tantùm conveniunt, formaliter diſtingui neceſſe eſt, magìs igitur collectiva eſt ſpecies quàm genus.

3. Ad hoc breviter dicitur, quòd *eſſe magìs collectivum multorum* poteſt dici dupliciter: Uno modo *intenſivè*, & ſic ſpecies magìs eſt collectiva, quia magìs adunit adunata, ut ratio adducta probat. Alio modo *extenſivè*, & ſic genus eſt magìs collectivum, quia multò plura ſub ſua adunatione cadunt, quàm ſub ſpeciei ambitu, unde ſpecies & genus ſe habent ſicut duo duces, quorum alter habet exercitum parvum, ſed valde unanimem, alter exercitum magnum, ſed diverſarum factionum. Ille enim magìs colligit intenſivè, hic extenſivè. Porphyrius autem loquebatur hîc de extenſiva collectione, & ideò dixit genus eſſe magìs collectivum. *Hæc Cajetanus.*

REGULA

REGULA VI.

Genus continet Species, at Species non continent genera, Porph. Isagog. cap. 8. §. 4.

1. Atqui, inquis, potiùs species continet genus, & non genus species. Nam homo secundùm essentiam suam continet in se *animal* tanquam genus, & *rationale* tanquam differentiam: at animal in se non continet *hominem*, si enim animal in se contineret hominem, seu naturam hominis, omne id quod animal esset homo esset.

2. *Resp.* Dupliciter potest dici, *aliquid continere aliqua*; *actu & potentiâ*. Species continet genus & differentiam in se actu, quia ex illis componitur, & in conceptu speciei essentiali includitur conceptus generis & differentiæ, hoc autem modo genus non continet species suas, nam ex specie genus non componitur, nec in conceptu essentiali generis conceptus speciei continetur, sicut manifestum est de definitione animalis, in qua nulla fit mentio hominis, & hoc vult argumentum §. *præced.* At *potentia*, & ut Durandus loquitur, *quoad ambitum continentiæ prædicabilis genus continet omnes suas species*, nempe omnes species & differentiæ divisivæ generis continentur potentiâ in genere, sicut omnes formæ continentur potentiâ in materia prima (*quam ob causam & genus materiæ assimilatur, sicut paulò pòst videbimus*) quoad prædicationem etiam ambitu suo genus omnes species continet, quia de omnibus potest prædicari, & quidem directé. At hoc modo *species non continet genus*, partim quia actu potiùs id continet; partim, quia non de omnibus prædicari potest, de quibus genus prædicatur.

REGULA VII.

Genus non est quid Speciei accidentarium. 4. top. c. 1. §. 4.

1. Prædicatur enim genus de specie in quid. Quicquid autem de aliquo in quid prædicatur id de essentia

ſentia ejus eſt, & per conſequens non poteſt eſſe accidentarium.

2. Colligimus hinc comprehenſionem præceptorum, vel artem ſumtam pro comprehenſione præceptorum non eſſe genus artium, ut artis medendi, ædificandi, &c. contra Ramiſtas, quia comprehenſio præceptorum eſt quid accidentale artibus, quod quidem ità probamus, Quicquid eſt de eſſentia rei, eo negato, non poteſt res dari. At negatâ præceptorum comprehenſione, poteſt dari quælibet ars. E. præceptorum comprehenſio non eſt de eſſentia artium. Minor probatur, Datur artifex abſque comprehenſione præceptorum, E. & ars poteſt dari abſque comprehenſione præceptorum. Conſequentia patet ex loco conjugatorum. Antecedens probatur, Dicitur aliquis actu & formaliter artifex, v. g. medicus, aut architectus etiam, dum dormit, comedit, ludit, nec tamen tunc actu & formaliter in ipſo præcepta ſunt, cùm non ſolùm præcepta eorumq; comprehenſio actu in aliquo ſunt, cùm ea concipiuntur, ſiquidem nihil aliud ſunt quàm propoſitiones, propoſitiones enim actu & formaliter non ſunt, niſi quando actu formantur, at quis dicat, inter dormiendum comedendum, aut ludendum, propoſitiones artium ſemper ab artifice formari & concipi.

REGULA VIII.

Genus eſt, ut materia; differentia, ut forma.

1. *Genus eſt, ut materia* 7. Metaph. c. 12. *Genus eſt materia ejus cujus dicitur genus*, 10. Metaph. c. 11. *Genus eſt ſimile materiæ; differentia, formæ.* Porph. in Iſagog.

2. Genus non eſt materia, nec differentia ipſa forma: 1. Quia in ſubſtantiis ſeparatis genus & differentia dantur, non autem materia & forma. 2. Quia etiam in ſubſtantiis ex materia & forma conſtantibus, nec materia nec forma prædicatur de ſpecie ut homo, nec eſt corpus (*ſumtâ hac voce pro altera hominis parte*) nec anima. At & genus & differentia præ-

prædicatur de specie. 3. Quia materia & forma differunt realiter. Genus autem & differentia secundùm rem idem sunt, & solâ ratione distinguuntur, quemadmodum demonstrat primus Philosophus.

3. Utrumque igitur & genus & differentia per se est tota rei essentia, & in substantiis compositis materiam & formam simul important. Distinguuntur autem ratione, quia genus est *ipsa res*, seu ipsa essentia rei, *quantùm concipitur ut aliis similis*. Differentia autem est *ipsa res, quantùm concipitur ut aliis dissimilis*, v. g. quantùm hominem concipimus, ut connotat principium sentiendi, in quo brutis similis est, vocatur animal, quod est genus ejus, quantùm verò ipsum concipimus, ut connotat principium ratiocinandi, in quo est brutis dissimilis, dicitur esse rationalis, quæ est differentia ipsius specifica.

4. Quanquam autem, sicuti demonstravimus, genus non est propriè ipsa materia, nec differentia forma, est tamen illud instar materiæ, hæc instar formæ, quæ analogia in hoc consistit, quòd sicut materia ex se nullam habet formam, apta tamen est ad omnes formas suscipiendas. Ità genus nullam earum differentiarum, quibus dividitur, actu includit, aptum tamen est eas recipere. Vel, sicut materia est quid indifferens & determinabile, quod determinatur per formam: ità genus est quid indeterminatum & indifferens, differentia autem ipsum determinat ad certam speciem. Quòd ergò, 10 *Metaph. c.* 11. dicitur genus esse materiam ejus cujus genus dicitur, non propriè intelligendum est, sed ratione hujus analogiæ. Unde & 7. *Metaph. c.* 12. non ait Philosophus, Genus esse materiam, sed esse, ut materiam.

Regula IX.

Negato genere, negantur species. Porph. Isagog. cap. 7. & 9.

1. Vulgò ità dicitur, *A genere ad speciem negativè, valet consequentia.* Quod quidem dupliciter potest intelligi:

intelligi: 1. *De exsistentia.* 2. *De prædicatione*, scil. ut genus stat loco prædicati in enunciatione. Utroque modo regula vera est. Nam ex eo, quòd genus non exsistit, rectè infertur, neque speciem exsistere, ut si animal non est, nec homo, nec brutum in rerum natura erit.

2. Quantùm ad prædicationem, *de quo negatur genus, de eodem etiam negantur species omnes*, ut si aliquid non est animal, nec homo est, nec brutum. Secundùm Zabarellam, Genus quinque habituum mentis, ab Aristotele, *6. Eth.* explicatorum, est habitus principalis, cùm igitur Logica non sit habitus principalis, nec Sapientia erit, neque Intellectus, neque Scientia, neque Prudentia, neque Ars.

3. Loquimur autem de genere & specie materialiter, scil. quantùm ad rem substratam. Nam sicut in aliis regulis, ità & hîc de formali, & ipsa notione non est sermo, & certè de quo negatur notio generis de eo non statim esse negandam notionem speciei manifestum est, nam homo non est genus, est tamen species.

Regula X.

Affirmato genere, non affirmatur species.
Porph. c. 8 § 7.

1. Sciendum 1. hoc posse intelligi vel de specie, *determinatè*, ut de homine; vel *indeterminatè*, seu sub disjunctione. 2. Et hîc posse esse sermonem vel de *exsistentia*, vel de *prædicatione*, seu ut in enunciatione genus & species stant loco prædicati.

2. Jam dico 1. *Affirmato genere, tum quoad exsistentiam, tum ut stat loco prædicati in enunciatione, affirmatur species indeterminatè*, seu sub disjunctione, tum quoad exsistentiam, tum, ut stat loco prædi-

stentiam, tum ut stat loco prædicati, nec quoad exsistentiam, nec ut stat loco prædicati, species aliqua determinata affirmari indè potest. Ut non sequitur, Animal est in rerum natura, E. homo est in rerum natura. Nam nondum creato homine erat animal in rerum natura: nec sequitur, Hæc substantia est animal, E. est homo.

4. Vulgò ità dicitur, *A genere ad speciem affirmativè* non valet consequentia. Quod, ut dixi, verum est, tum quando de exsistentia sermo est, tum quando genus stat loco prædicati.

5. Potest hoc ità declarari, *A genere ad speciem* non valet consequentia, quando genus & species ponuntur ex parte prædicati, sicut vidimus, quando autem utrumq; stat loco subjecti seu prædicatur exsistentia, seu aliud quid, tunc valet consequentia. Est q; regula planè eadem cum illa, *Quicquid affirmatur de genere, affirmatur de specie*; & propterea etiam non aliter consequentia valet, quam eo modo, quo istam regulam suprà explicavimus.

REGULA XI.

Genus & species sunt in eodem prædicamento

1. Obstat, quod Aristoteles, *cap. de qual. circ. fin.* scribit, scientiam, quæ genus est, *ad aliquid* esse: species autem scientiæ, ut Grammatica, Musica, non esse *ad aliquid*, sed *qualitatis*. Scientia enim est alicujus, nempe scibilis scientia. Grammatica autem & Musica non est alicujus Grammatica seu Musica. Idem habetur 4. *topic. c.* 4. §. 7.

[illegible] est qui objicit, quòd in definitionibus relatorum, & in universum in definitionibus accidentium in concreto sumatur genus alterius prædicamenti. Dicitur enim pater est persona [illegible]

ſpecierum talis generis, ut omnes homines & omnia bruta in natura animalis. Et hinc eſt quòd ſpecies dicitur collectiva multorum in unam naturam, genus autem magìs.

2. Sed audiamus Cajetanum, *in comment. circa illud dictum:* Inquit, *Genus eſt magìs collectivum in unam naturam, quàm ſpecies*, dubitatur, quia oppoſitum dicere debuiſſet. (*Porph.*) *Illud* enim *eſt magìs in unam naturam unitivum, quod in ſe eſt magìs unum, & cujus naturæ unitate retentâ minorem diſtinctionem res illius naturæ inter ſe compatiuntur,* ſicut illud eſt magìs calefactivum, quod in ſe eſt magìs calidum, & à quo res calefactæ minùs compatiuntur frigoris, cæteris paribus, &c. Species autem in ſe eſt magìs una quàm genus, quoniam ſpecies dicit naturam omninò indiviſibilem formaliter, unde & ἄτομα dicitur; genus verò naturam diviſibilem importat; & ſimiliter res ſecundùm ſpeciem adunitæ minorem diſtinctionem compatiuntur, non enim poſſunt diſtingui niſi numeraliter, quæ verò in genere tantùm conveniunt, formaliter diſtingui neceſſe eſt, magìs igitur collectiva eſt ſpecies quàm genus.

3. Ad hoc breviter dicitur, quòd *eſſe magìs collectivum multorum* poteſt dici dupliciter: Uno modo *intenſivè*, & ſic ſpecies magìs eſt collectiva, quia magìs adunit adunata, ut ratio adducta probat. Alio modo *extenſivè*, & ſic genus eſt magìs collectivum, quia multò plura ſub ſua adunatione cadunt, quàm ſub ſpeciei ambitu, unde ſpecies & genus ſe habent ſicut duo duces, quorum alter habet exercitum parvum, ſed valde unanimem, alter exercitum magnum, ſed diverſarum factionum. Ille enim magìs colligit intenſivè, hic extenſivè. Porphyrius autem loquebatur hîc de extenſiva collectione, & ideò dixit genus eſſe magìs collectivum. *Hæc Cajetanus.*

REGULA

REGULA VI.

Genus continet Species, at Species non continent genera, Porph. Isagog. cap. 8. §. 4.

1. Atqui, inquis, potiùs species continet genus, & non genus species. Nam homo secundùm essentiam suam continet in se *animal* tanquam genus, & *rationale* tanquam differentiam: at animal in se non continet *hominem*, si enim animal in se contineret hominem, seu naturam hominis, omne id quod animal esset homo esset.

2. *Resp.* Dupliciter potest dici, *aliquid continere aliqua; actu & potentiâ.* Species continet genus & differentiam in se actu, quia ex illis componitur, & in conceptu speciei essentiali includitur conceptus generis & differentiæ, hoc autem modo genus non continet species suas, nam ex specie genus non componitur, nec in conceptu essentiali generis conceptus speciei continetur, sicut manifestum est de definitione animalis, in qua nulla fit mentio hominis, & hoc vult argumentum §. *praeced.* At *potentia*, & ut Durandus loquitur, *quoad ambitum continentiæ prædicabilis genus continet omnes suas species*, nempe omnes species & differentiæ divisivæ generis continentur potentiâ in genere, sicut omnes formæ continentur potentiâ in materia prima (*quam ob causam & genus materiæ assimilatur, sicut paulò pòst videbimus*) quoad prædicationem etiam ambitu suo genus omnes species continet, quia de omnibus potest prædicari, & quidem directé. At hoc modo *species non continet genus*, partim quia actu potiùs id continet; partim, quia non de omnibus prædicari potest, de quibus genus prædicatur.

REGULA VII.

Genus non est quid Speciei accidentarium. 4. top. c. 1. §. 4.

1. Prædicatur enim genus de specie in quid. Quicquid autem de aliquo in quid prædicatur id de essentia

ſentia ejus eſt, & per conſequens non poteſt eſſe accidentarium.

2. Colligimus hinc comprehenſionem præceptorum, vel artem ſumtam pro comprehenſione præceptorum non eſſe genus artium, ut artis medendi, ædificandi, &c. contra Ramiſtas, quia comprehenſio præceptorum eſt quid accidentale artibus, quod quidem ità probamus, Quicquid eſt de eſſentia rei, eo negato, non poteſt res dari. At negatâ præceptorum comprehenſione, poteſt dari quælibet ars. E. præceptorum comprehenſio non eſt de eſſentia artium. Minor probatur, Datur artifex abſque comprehenſione præceptorum, E. & ars poteſt dari abſque comprehenſione præceptorum. Conſequentia patet ex loco conjugatorum. Antecedens probatur, Dicitur aliquis actu & formaliter artifex, v. g. medicus, aut architectus etiam, dum dormit, comedit, ludit, nec tamen tunc actu & formaliter in ipſo præcepta ſunt, cùm non ſolùm præcepta eorumq; comprehenſio actu in aliquo ſunt, cùm ea concipiuntur, ſiquidem nihil aliud ſunt quàm propoſitiones, propoſitiones enim actu & formaliter non ſunt, niſi quando actu formantur, at quis dicat, inter dormiendum comedendum, aut ludendum, propoſitiones artium ſemper ab artifice formari & concipi.

REGULA VIII.

Genus eſt, ut materia; differentia, ut forma.

1. *Genus eſt, ut materia* 7. Metaph. c. 12. *Genus eſt materia ejus cujus dicitur genus*, 10. Metaph. c. 11. *Genus eſt ſimile materiæ; differentia, formæ.* Porph. in Iſagog.

2. Genus non eſt materia, nec differentia ipſa forma: 1. Quia in ſubſtantiis ſeparatis genus & differentia dantur, non autem materia & forma. 2. Quia etiam in ſubſtantiis ex materia & forma conſtantibus, nec materia nec forma prædicatur de ſpecie ut homo, nec eſt corpus (*ſumtâ hac voce pro altera hominis parte*) nec anima. At & genus & differentia præ-

prædicatur de specie. 3. Quia materia & forma differunt realiter. Genus autem & differentia secundùm rem idem sunt, & solâ ratione distinguuntur, quemadmodum demonstrat primus Philosophus.

3. Utrumque igitur & genus & differentia per se est tota rei essentia, & in substantiis compositis materiam & formam simul important. Distinguuntur autem ratione, quia genus est *ipsa res*, seu ipsa essentia rei, *quantùm concipitur ut aliis similis*. Differentia autem est *ipsa res, quantùm concipitur ut aliis dissimilis*, v. g. quantùm hominem concipimus, ut connotat principium sentiendi, in quo brutis similis est, vocatur animal, quod est genus ejus, quantùm verò ipsum concipimus, ut connotat principium ratiocinandi, in quo est brutis dissimilis, dicitur esse rationalis, quæ est differentia ipsius specifica.

4. Quanquam autem, sicuti demonstravimus, genus non est propriè ipsa materia, nec differentia forma, est tamen illud instar materiæ, hæc instar formæ, quæ analogia in hoc consistit, quòd sicut materia ex se nullam habet formam, apta tamen est ad omnes formas suscipiendas. Ità genus nullam earum differentiarum, quibus dividitur, actu includit, aptum tamen est eas recipere. Vel, sicut materia est quid indifferens & determinabile, quod determinatur per formam: ità genus est quid indeterminatum & indifferens, differentia autem ipsum determinat ad certam speciem. Quòd ergò, 10 *Metaph. c.* 11. dicitur genus esse materiam ejus cujus genus dicitur, non propriè intelligendum est, sed ratione hujus analogiæ. Unde & 7. *Metaph. c.* 12. non ait Philosophus, Genus esse materiam, sed esse, ut materiam.

REGULA IX.

Negato genere, negantur species. Porph. Isagog. cap. 7. & 9.

1. Vulgò ità dicitur, *A genere ad speciem negativè, valet consequentia.* Quod quidem dupliciter potest intelligi:

intelligi: 1. *De exſiſtentia*. 2. *De prædicatione*, ſcil. ut genus ſtat loco prædicati in enunciatione. Utroque modo regula vera eſt. Nam ex eo, quòd genus non exſiſtit, rectè infertur, neque ſpeciem exſiſtere, ut ſi animal non eſt, nec homo, nec brutum in rerum natura erit.

2. Quantùm ad prædicationem, *de quo negatur genus, de eodem etiam negantur ſpecies omnes*, ut ſi aliquid non eſt animal, nec homo eſt, nec brutum. Secundùm Zabarellam, Genus quinque habituum mentis, ab Ariſtotele, *6. Eth.* explicatorum, eſt habitus principalis, cùm igitur Logica non ſit habitus principalis, nec Sapientia erit, neque Intellectus, neque Scientia, neque Prudentia, neque Ars.

3. Loquimur autem de genere & ſpecie materialiter, ſcil. quantùm ad rem ſubſtratam. Nam ſicut in aliis regulis, ità & hîc de formali, & ipſa notione non eſt ſermo, & certè de quo negatur notio generis de eo non ſtatim eſſe negandam notionem ſpeciei manifeſtum eſt, nam homo non eſt genus, eſt tamen ſpecies.

REGULA X.

Affirmato genere, non affirmatur ſpecies. Porph. c. 8 § 7.

1. Sciendum 1. hoc poſſe intelligi vel de ſpecie, *determinatè*, ut de homine; vel *indeterminatè*, ſeu ſub disjunctione. 2. Et hîc poſſe eſſe ſermonem vel de *exſiſtentia*, vel de *prædicatione*, ſeu ut in enunciatione genus & ſpecies ſtant loco prædicati.

2. Jam dico I. *Affirmato genere, tum quoad exſiſtentiam, tum ut ſtat loco prædicati in enunciatione, affirmatur ſpecies indeterminatè*, ſeu ſub disjunctione, tum quoad exſiſtentiam, tum, ut ſtat loco prædicati in enunciatione; ut, Animal eſt in rerum natura, E. vel homo vel brutum eſt in rerum natura. Hæc ſubſtantia eſt animal, E. vel brutum eſt vel homo.

3. Dico II. *Affirmato genere, tum quoad exſiſtentiam,*

stentiam, tum ut stat loco prædicati, nec quoad exsistentiam, nec ut stat loco prædicati, species aliqua determinata affirmari indè potest. Ut non sequitur, Animal est in rerum natura, E. homo est in rerum natura. Nam nondum creato homine erat animal in rerum natura: nec sequitur, Hæc substantia est animal, E. est homo.

4. Vulgò ità dicitur, *A genere ad speciem affirmativè* non valet consequentia. Quod, ut dixi, verum est, tum quando de exsistentia sermo est, tum quando genus stat loco prædicati.

5. Potest hoc ità declarari, *A genere ad speciem* non valet consequentia, quando genus & species ponuntur ex parte prædicati, sicut vidimus, quando autem utrumq; stat loco subjecti seu prædicatur exsistentia, seu aliud quid, tunc valet consequentia. Est q; regula planè eadem cum illa, *Quicquid affirmatur de genere, affirmatur de specie*; & propterea etiam non aliter consequentia valet, quam eo modo, quo istam regulam suprà explicavimus.

REGULA XI.

Genus & species sunt in eodem prædicamento

1. Obstat, quod Aristoteles, *cap. de qual. circ. fin.* scribit, scientiam, quæ genus est, *ad aliquid* esse: species autem scientiæ, ut Grammatica, Musica, non esse *ad aliquid*, sed *qualitatis*. Scientia enim est alicujus, nempe scibilis scientia. Grammatica autem & Musica non est alicujus Grammatica aut Musica. Idem habetur 4. *topic. c.* 4. §. 7.

2. Est qui objicit, quòd in definitionibus relatorum, & in universum in definitionibus accidentium in concreto sumatur genus alterius prædicamenti: Dicitur enim pater est persona habens filium, calidum est corpus habens calorem, ubi definita pertinent ad prædicamenta accidentium, pater ad relata; calidum ad qualitatem, genera autem nempe persona & corpus substantiæ sunt.

3. Nihilominus simpliciter, & sine exceptione docet

docet Aristoteles genus & speciem in eodem esse prædicamento. Ità enim scribit, 4. *top. c.* 1. §. 5. Præterea videndum est, annon in eadem divisione sit genus & species, sed alterum sit substantia, alterum quale, vel alterum sit ad aliquid, alterum quale, veluti nix & cygnus est substantia, album verò non est substantia sed quale, quapropter album non est genus nivis & cygni. Rursus scientia est in eorum numero quæ ad aliquid referuntur, bonum autem & honestum est quale, quare bonum & honestum non est genus scientiæ, quandoquidem relatorum genera ipsa quoq; relata esse oportet, quemadmodum in duplo perspicere licet. Etenim multiplum, cùm sit genus dupli, ipsum quoque in relatorum numero est, & ut universaliter dicam, sub eandem divisionem oportet & genus & speciem cadere, sive enim species sit substantia, etiam genus est substantia, sive species sit quale quippiam, etiàm genus est quale quippiam, veluti si album est quale, etiam color, similis est aliorum ratio. *Hæc Aristoteles.*

4. Quantùm ad ea quæ §. 1. in contrarium sunt allata; Respondeo ad 1. non solùm species scientiæ, ut Grammaticam, Musicam, qualitates esse, sed & scientiam, quæ eorum genus est, sicuti ex *cit. illo cap.* de specie satis constat. Sunt enim in scientia non tantùm in communi, sed etiam in qualibet particulari attendenda duo: unum est, *ipsa qualitas*; alterum, *quòd refertur ad objectum, nempe scibile*, & quia vox Scientiæ expressè illum respectum ad objectum significat, vocabula autem specialia, ut Grammatica, Musica, illum respectum non exprimunt; non enim dicitur Grammatica esse alicujus Grammatica, licèt dicatur alicujus scientia, nec Musica dicitur alicujus Musica, sed alicujus scientia, ideò dixit Aristoteles, scientiam, quæ genus est, non autem Grammaticam & Musicam, aliásque scientiæ species esse τῶν πρός τι, *ex iis quæ sunt ad aliquid*, scil. relata.

5. Præterea inquit Aristoteles, Si idem sit quale & ad aliquid, non absurdum est utriusque generibus

bus (*prædicamentis*) connumerari. Hinc nonnulli ſtatuere videntur, ſcientiam ut reſpicit objectum, ſimpliciter eſſe prædicabile relationis, licet aliâs etiam qualitas ſit. Unde dicere oportet, ſcientiam eſſe genus Grammaticæ v. g. & Muſicæ, non ut eſt in prædicamento relationis, ſed ut eſt in prædicamento qualitatis.

6. Alii autem diſtinguunt inter *relata ſecundùm dici*, quibus prædicamentum τῶν πρός τι non conſtituitur, & inter *relata ſecundùm eſſe*. Aiunt ſcientiam eſſe ex numero eorum quæ ſecundùm dici, non verò ex numero eorum quæ ſecundùm eſſe, relata & prædicamentalia ſunt. Unde cùm relata ſecundùm dici non revera pertineant ad prædicamentum relationis, ſed ſint in prædicamento aliquo rerum abſolutarum, quemadmodum caput, licèt reſpectum habeat ad capitatum, non tamen hujus reſpectûs ratione revera in prædicamento relationis eſt, ſed ſimpliciter refertur ad prædicamentum ſubſtantiæ, quemadmodum ex ipſo *contextu cap. de relat.* apud Ariſtotelem manifeſtum eſt. Hinc ſcientia ſimpliciter in prædicamento qualitatis collocanda eſt, nec reſpectus ille, quem ad ſcibile dicit, propriè erit prædicamenti relationis.

7. Sed hanc reſponſionem videntur reſpuere verba Ariſtotelis, §. 4. *cit.* ubi expreſsè ſentire videtur, ſcientiam non ſolùm eſſe quid relativum, ſed & collocari in prædicamento relationis.

8. Reſponderi poteſt dupliciter: 1. Ariſtotelis verba non eſſe abſolutè prolata, ſed hypotheticè, ſi nimirum idem ſit, quale & ad aliquid, non abſurdum eſſe, id in utriſque collocari, ita Conimbricenſes. Poteſt 2. reſponderi Ariſtotelem referre ſcientiam ad prædicamentum relationis, non quòd revera, & ex propria ſententia eò pertineat, ſed quia ad id pertinet juxta definitionem relatorum à veteribus aſſignatam, quam ipſe in prædicamentum relationis rejicit, & juſto latiorem eſſe demonſtrat, indeq; aliam proponit.

9. Quantùm ad alterum membrum Dn. Sheiblerus,

blerus, *l.* 30. *c.* 10. videtur admittere genus patris esse *personam*, & calidi *corpus*, sed ejus responsionem alibi examinavimus. Nos dicimus nec personam patris, nec corpus calidi genus esse, idq́; facilè perspicere est ex *reg.* 8. ibi enim dictum est, genus rei esse totam rem, & non partem ejus, esse solâ ratione à specie distinctum, quod nec Scheiblerus negat. At certè corpus est pars calidi, & à calido realiter differt, cùm calidum præter corpus, calorem, qui à corpore realiter distinguitur, includat. Eadem ferè est ratio personæ respectu patris. Dicimus igitur personam Patris, & corpus calidi, genus non esse, neque sequitur, pater definitur per personam, & calidum per corpus in casu recto, E. persona & corpus sunt genera illorum definitorum. Nam accidentia in concreto sumta definiri per subjectum in casu recto, & loco generis positum, jamdudum docuit Fonseca, *instit. Dial. l.* 5. *c.* 6. Vide quæ *tit. praced.* circa *reg.* 8. §. 4. & 5. diximus. Definitionem calidi propositam tantùm esse nominalem in confesso est, & patrem ineptè definiri per filium aliâs diximus, id enim jam examinare hujus loci non est.

REGULA XII.

Genus significat materiam quandam diversam à speciebus, Pererius lib. 1. de Philos. cap. 6.

1. Pererius demonstraturus scientiam speculativam non esse genus Metaphysicæ & disciplinarum Mathematicarum, ità argumentatur, *Genus significat naturam quandam diversam à naturis specierum*, & habet proprietates diversas, & est prius & universalius, quàm quælibet species. At non existit speculativa aliqua scientia generalis, divisa ab illis tribus, habens subjectum diversum, principia item & passiones, & quæ sit prior & universalior quàm Metaphysica, Physica, & scientiæ Mathematicæ.

2. *Genus habere naturam diversam à naturis specierum*,

cierum, poteſt tripliciter intelligi: 1. Quòd ſit diverſa in ſe, & præcluſo actu intellectûs. 2. Quòd non ſit tantùm diverſa in ſe, ſed & diviſa ac ſeparatim exſiſtens à ſpeciebus. 3. Quòd ratione diſtinctæ & diverſa ſint.

3. His præmiſſis dicimus, primo & ſecundo modo genus non habere naturam diverſam à naturis ſpecierum, ſiquidem genus non diſtinguitur in ſe, & ſecundùm rem à ſpeciebus, multò minùs diviſum eſt, & ſeparatim exſiſtit à naturis ſpecierum. Habet igitur tertio tantùm modo genus quodammodo naturam à naturis ſpecierum diverſam, quantùm licèt ſecundùm rem & in ſe eadem ſit natura eorum, conceptus tamen formalis in animo qui repræſentat rem ut ſignificatur nomine generis, non eſt ſimpliciter idem cum eo qui repræſentat eam ut ſignificatur nomine ſpeciei. Non igitur contradiſtinguuntur illi conceptus formales, ſicut contradiſtinguuntur conceptus formales generis & differentiæ, ſed quòd conceptus ſpeciei includit ſimul conceptum generis & differentiæ, conceptus autem generis quantùm genus eſt abſtrahitur ſive præſcinditur à conceptu ſpeciei, ut ſpecies eſt, quemadmodum natura hominis, ut homo eſt, repræſentatur hoc conceptu complexo, corpus vivens, ſentiens, rationale; animal autem ut animal eſt repræſentatur, hoc ſolùm, corpus vivens & ſentiens, & propterea conceptus animalis, ut animal eſt, præſcinditur à conceptu hominis, ut homo eſt, quia eum non includit.

4. Quod porrò Pererius dicit, *genus habere proprietates diverſas*, etiam non ità intelligendum eſt, quòd habeat proprietates ſeorſim, & extra ſpecies ipſi competentes, aut quòd proprietates generis non competant ſpeciebus, ſed ità, quòd cùm proprietates generis cum genere reciprocentur, non reciprocentur verò cum ſingulis ſpeciebus, hoc ipſo, generis & non ſpecierum proprietates ſint; quemadmodum proprietates ſpecierum cum ſpeciebus reciprocantur, non autem cum genere, indeq; ſpecierum & non generis proprietates ſunt. Quòd Pererius dicit, genu

 eſſe

esse prius & universalius, quàm quælibet species, de eo jam suprà egimus, *reg.* 3. & 4.

5. Jam consideremus Pererii syllogismum: Dicimus enim non rectè subsumsisse sub propositione majore, ità enim debuit fieri subsumtio, Scientia contemplativa non significat naturam quandam diversam à naturis specierum, metaphysicâ scilicet, physicâ, & scientiis mathematicis. At hanc minorem negamus, si, ut debet, intelligitur tertio modo ex illis, de quibus §. 2. & 3. Natura, quam significat scientia, contemplativa est, quòd res sibi subjectas doceat tantùm scire, sicut constat ex ipso Pererio, *c.* 2. *loc. cit.* At hæc natura ratione distincta est à metaphysicæ, physicæ, & scientiarum mathematicarum naturis, ab iis abstrahitur, & tam diversa est quàm natura animalis à natura hominis & bruti, habet etiam proprietates diversas à proprietatibus illarum disciplinarum; universalior est, cùm de singulis prædicetur: est prior, ac à scientia contemplativa ad species istas non reciprocetur essendi consequentia. Sequitur enim, Physica est, E. est scientia contemplativa; sed non sequitur, Est scientia contemplativa, E. est physica.

6. Neque verò ulla est consequentia, Non exsistit aliqua scientia contemplativa generalis divisa ab illis tribus disciplinis, quæ est assumtio Pererii, E. scientia contemplativa non habet naturam diversam à naturis trium illarum disciplinarum: I. Quia consequens non aliter debet intelligi, quàm tertio illo modo ex illis, de quibus §. 2. & 3. Antecedens autem loquitur expressè, non de natura, ratione diversâ à naturis specierum, sed de divisa, & consequenter ità diversa ut seorsim exsistat. Ex quo perspicitur Pererium majorem suam propositionem intelligere in primo & secundo sensu, de quibus §. 2. quo modo quidem à nobis eam non concedi ex §. 3. constat. II. Quia quæstio est de scientia contemplativa, an sit genus, & sic conceptum est consequens, sed antecedens loquitur de aliqua scientia contemplativa, conceditur non dari aliquam scientiam

tiam contemplativam, quæ ſit genus illarum trium, ſed hoc quæritur, An ſcientia contemplativa ſit genus; quemadmodum non datur aliquod animal generale, quod habeat naturam diviſam ab homine & bruto, & ſit eorum genus, interim animal habet naturam diſtinctam & præciſam à naturis hominis & bruti, & propterea aliquo modo diverſam, & eſt genus hominis & bruti. Quando dico, Aliqua ſcientia contemplativa eſt genus trium illarum ſcientiarum, aut aliquod animal eſt genus hominis & bruti, ſcientia & animal ſumuntur ſeu ſupponuntur perſonaliter, & quidem disjunctivè, & ſunt propoſitiones falſæ; at cùm dico, Scientia contemplativa eſt genus, animal genus, ſupponuntur ſimpliciter, & ſunt propoſitiones veræ; quæ facilè capit cui doctrina ſuppoſitionum nota.

Regula XIII.

Tota natura generis continetur in qualibet ſpecie.

1. Utitur & hoc Pererius ad probandum id quod *propoſitione præced.* probare voluit. Ità enim argumentatur: Tota natura generis continetur in qualibet ſpecie. Sed univerſa cognitio ſpeculativa non continetur in unaquaque ſcientia, metaphyſica nimirum phyſica, & diſciplinis mathematicis, alioquin quælibet ſpecularetur omne ens, vel omnes res, quæ cadere poſſunt ſub ſpeculativam. E. Scientia contemplativa non eſt genus earum.

2. Nos notamus I. *Regulam non loqui de natura generis formaliter ſumti*, ſive ut genus eſt, & ſignificatur hâc notione *generis*; nam natura generis ità ſumti nihil aliud eſt, quàm aliquid poſſe prædicari in quid de omnibus ſpeciebus ſub ſe contentis, at hæc natura non competit ſpeciei, aut ipſi ineſt, quia nulla ſpecies prædicatur de omnibus ſpeciebus ſub genere contentis, ſicut manifeſtum eſt. Loquitur ergò regula de *genere materialiter*, ſeu pro re ſubſtrata ſumto, & ſic ejus veritas jam patet ex *reg. 6. 8. &*

praced. Ità tota natura animalis continetur in homine, tota in leone, & cæteris.

3. II. Notamus, aliud esse dicere *tota natura scientiæ contemplativa*, aliud *universa scientia*, seu *cognitio contemplativa*. Prius importat omnia prædicata quæ ad essentiam scientiæ contemplativæ requiruntur, quemadmodum tota natura animalis est, corpus, animatum, sentiens, quia hæc omnia prædicata essentiam animalis complent, unde tota natura animalis continetur in homine, quia hoc totum, corpus, animatum, sentiens, in homine reperitur, & de eo prædicatur; tota natura scientiæ contemplativæ juxta Pererium, ut *praced. reg.* vidimus, est, quòd sit scientia talis quæ res subjectas doceat tantùm scire, at hæc tota natura competit cuilibet scientiæ, nam physica docet res sibi subjectas tantummodo scire, similiter & metaphysica, & disciplinæ mathematicæ. Posterius autem, nempe universa scientia seu cognitio speculativa importat extensionem & aggregationem omnium notitiarum contemplativarum de quocunque objecto sub speculationem cadente. Quod jam dicit Pererius, universam cognitionem speculativam non contineri in unaquaq; scientia, verum est, idq; rectè probat indè, quòd alioquin quælibet specularetur omnes res sub speculationem cadentes. Ità aliud est, si dicam, *tota natura coloris*, aliud *universus color*. Tota natura coloris continetur in albedine, & qualibet specie coloris; sed universus color non continetur in albedine, quia in ea nigredo & aliæ species coloris non continentur.

4. Patet ergò vehementer hallucinari Pererium dum hæc duo, *Tota* natura generis, v. g. scientiæ contemplativæ, & *universa* cognitio sive scientia contemplativa confundit, & cùm debuerat ità subsumere, Tota natura scientiæ contemplativæ non continetur in qualibet scientia, quod quidem falsum fuisset, ità subsumsit, Universa cognitio speculativa non continetur in qualibet scientia. Et certè si doctrina Pererii, & ratio argumentandi quam in hac & *praced. reg.* proposuimus, vera & legitima esset, nullum omnino

omnino daretur genus in ulla re, sed natura generis & specierum planè tolleretur.

Regula XIV.

Nulla species habet aliquid quod repugnet generi. ex 4. top. c. 3.

1. Rationem dat Aristoteles, *quia* nimirum *si aliquid competeret speciei quod repugnaret generi, cùm genus necessariò & perpetuò insit speciei, contraria,* sive *repugnantia, essent in eodem.* Congregatio igitur non est genus generationis, quia aliqua generatio fit segregatione, quæ segregatio est contraria congregationi. Quando autem ex aqua generatur aer, fit separatio & segregatio partium aquæ.

2. Dicunt nonnulli, intelligendum id esse de eo quod per se fit, existimantes per accidens posse aliquid competere speciei quod generi repugnet, quemadmodum in animalibus ex putrida materia genitio, fit defectus, ratione cujus non possit potentia generandi, quæ ipsi competit, ut animalia sunt, traduci in actum, qua de re vide Zabarellam, *de facult. animæ c.* 11.

3. Verùm ut contraria seu repugnantia prædicentur de eodem, nec per se nec per accidens fieri possit: nec per se nec per accidens potest aliquid inesse speciei quod generi repugnet. Quod autem de defectu animalium ex putri materia generatorum offertur, nec obstat, quia defectus ille non repugnat animali, cùm non sit de natura animalis ut potentia generandi possit edere suas operationes. Si enim esset de ejus natura, hoc ipso omnino necesse esset ut omnes species animalis, & omnia individua potentiam illam in actum traducere possent, cùm quod de natura generis est omnibus speciebus & individuis sub illo contentis necessariò competat. Taceo, quòd ipse Zabarella, animalis, ex putri materia geniti, non omnino deroget actum generandi, ex Philosopho 1. *de ort. animalium.*

Regula XV.

Necesse est id quod generis est particeps, esse alicujus speciei particeps.

1. Aliàs ità dicitur, *Quicquid sibi præscribit genus, præscribit sibi aliquam specierum ejus*; Item, Quicquid continetur sub genere, etiam continetur sub aliqua specierum ejus; vel, De quo affirmatur genus, de eo etiam speciem aliquam affirmari necesse est.

2. Objicis I. Scutum, cujus una pars dimidia est alba, altera nigra, est sub genere, est enim coloratum, sub nulla tamen specie coloris aut colorati est, quia nec album est, nec nigrum, neque medium aliquem colorem participat. II. Homo sibi præscribit genus, nempè animal, h. e. continetur sub animali tanquam genere. Homo non sibi præscribit aliquam speciem, h. e. non continetur sub aliqua specie animalis, quænam enim illa species animalis sub qua homo continetur, non certè sub bruto, ut patet, neque sub homine, quia nihil continetur sub se ipso, neque alia datur species animalis: E. aliquid, quod præscribit sibi genus, nullam sibi præscribit speciem illius generis.

3. Bifariam *contineri aliquid sub genere*: I. *Tanquam sub genere suo*, sive tanquam inferius sub superiori, ut Petrus sub animali, & hic color sub colore. II. *Tanquam denominatum sub denominativo*, ut scutum sub colorato. Quod continetur sub genere priori modo, continetur sub aliqua ejus specie, sicut quia Petrus est animal, ideò vel hominem vel brutum eum esse necesse est, & quia hic color est color, ideò vel albedo est, vel nigredo, vel alterius speciei color. At quod continetur sub genere posteriori modo, id licèt sæpè fiat ut sub una aliqua contineatur ejus specie, sicut charta, quæ alba est, continetur sub colorato, tanquam denominatum sub denominativo (prædicatio enim ista, Charta est colorata, est denominativa) & continetur etiam sub una specie colorati,

colorati, nempe ſub albo, id tamen neceſſe non eſt, quemadmodum probat argumentum, §. 2. primum, ſed ſufficit, ſi ſub pluribus ſpeciebus contineatur ſecundùm quid, quemadmodum ſcutum in poſito caſu ſecundùm quid album eſt, & ſecundùm quid nigrum, quam reſponſionem ſuggerit nobis Scotus, *q.* 54. *ſup. lib. Elench.*

4. (Et Tataretus reſpondet, *Dupliciter poſſe intelligi, ſcutum eſſe album & nigrum: 1.Copulativè, ut ſint duæ propoſitiones. 2. Copulatè, quomodò ſimplex eſt de copulato non ſubjecto ſed prædicato, hoc modo verum eſt, ſed poſteriori falſum.*)

5. Verùm dicat aliquis, hanc reſponſionem non poſſe conſiſtere, propterea quòd ſi monſtrato illo ſcuto ex parte albo & ex parte nigro, dicam, Hoc coloratum eſt coloratum, continetur hoc coloratum ſub colorato, tanquam inferius ſub ſuperiori, ſed non tanquam denominatum ſub denominativo, nec tamen continetur ſub una aliqua ſpecie colorati.

6. Reſp. Cum dico, Hoc coloratum eſt coloratum, poteſt prædicatio dupliciter intelligi: Vel *in ſenſu compoſito*, ſeu ità ut terminus (*hoc coloratum*) ſumatur formaliter, nempe ut eſt hoc coloratum, & ſic concedo ipſum contineri ſub colorato, tanquam inferius ſub ſuperiori. Vel, *in ſenſu diviſo*, ſeu ità ut terminus (*hoc coloratum*) ſumatur materialiter, nempe pro re quæ eſt colorata, & ſic continetur ſub colorato tanquam denominatum ſub denominativo, prædicatur enim coloratum de re quæ eſt colorata, ut de charta vel ſcuto denominativé. Reſpondere ergò poſſumus, id quod dictum fuit de eo, quod ſub genere continetur, tanquam denominatum ſub denominativo, accipiendum etiam eſſe de eo, quod licèt in ſenſu compoſito, ſcilicet formaliter, contineatur ſub genere, ut inferius ſub ſuperiori, in diviſo tamen materiale continetur ſub eo, tanquam denominatum ſub denominativo.

7. Dico autem ulteriùs, Regulam ità eſſe intelligendam, *Quicquid continetur ſub genere, continetur etiam ſub ſpecie, niſi ſit ipſa ſpecies*, in quam genus

primâ & immediatâ divisione dividitur. Quam quidem limitationem ipse Philosophus expressè habet 7. c. cùm dicit, Fieri nequit, ut generis sit particeps, quod nullius speciei est particeps, nisi forsan sit aliqua illarum specierum, quæ in prima divisione generis ponuntur, hæc enim solum genus participat.

8. Conceditur igitur, quod continetur sub genere non contineri sub aliqua ejus specie, nempe illud, quod est ipsa species, immediatè generi subjacens. Et hoc solùm argumentum probat secundum, §.2. Quia homo, qui præscribit sibi genus, nempe animal, est species immediatè generi subjecta. Primâ enim divisione, animal in hominem & bestiam dividitur. Hoc ergò modo Regula fit universalis, *Quod continetur sub genere, ut inferius sub superiori, continetur sub aliqua ejus specie, vel ipsum est species immediatè tali generi subjecta.*

9. Si igitur ponatur aliquid sub genere esse, quod tamen non sit sub aliqua ejus specie, nec ipsum sit aliqua species ipsi immediatè subjecta, alterum horum esse necesse est, nimirum vel id non esse revera sub tali genere, vel si firmiter probatum fuerit, esse sub tali genere, species illius generis non esse sufficienter enumeratas, sed plures esse dandas.

Regula XVI.

Genus prædicatur de speciebus æqualiter.

Porph. Isagog. c. 9. §. 2.

1. Quibusdam *æqualiter prædicari*, hîc est *prædicari absque dependentia unius ab altera.* Statuunt enim ad hoc, ut aliquid univocum sit, requiri, ut nè unum illorum de quibus prædicatur ab altero dependeat, in participando conceptu ejus rei, quæ univoca statuitur. Si enim una ab altera dependeat, dicunt esse analogum, aut commune πρὸς ἓν, ἢ ἀφ᾽ ἑνὸς, quemadmodum licèt ens de substantia & accidente prædicetur, non secundùm nomen solùm, sed etiam juxta rationem nomine entis significatam, tamen

ens

ens non univocum esse, sed commune ἀφ' ἑνὸς, cùm accidens sit ens per dependentiam à substantia. Hinc jam inferunt, cùm omne genus sit univocum, debere illud prædicari de pluribus æqualiter: 1. Absque dependentia unius ab altero, sicut animal ut est in homine non dependet à bruto, & ut est in bruto non dependet ab homine, quod vel indè apparet, quòd homo esse possit in rerum natura, etsi nullum brutum esset, & brutum esse posset, etsi nullus homo esset.

2. Pro hac sententia videtur militare quod habet Aristoteles, *in cap. de modis simul*, ea quæ ex eodem genere in divisione sibi invicem opponuntur, esse naturâ simul. Atqui species immediatè unum genus respicientes, ex eodem genere in divisione sibi invicem opponuntur, ut albedo & nigredo, in quas color dividitur. Sunt igitur naturâ simul. Quòd si naturâ simul sunt, non potest una ab altera dependere in participando genere.

3. Hanc tamen sententiam Cajetanus, *c.* 1. *antepræd.* improbat; & ex professo contra eam disputat, *disp. Logic.* 9. *s.* 4. Mendoza, existimans dependentiam illam non tollere univocationem, & posse aliquid esse genus aliquorum, etsi eorum unum ab altero in participando genere dependeat, quemadmodum qualitas statuitur genus potentiæ naturalis, & habitus in participanda natura qualitatis à potentia naturali dependeat. Nobis impræsentiarum de hisce sententiis judicium ferre animus non est, videbimus quomodo ipse Porphyrius regulam intelligat.

4. Ille, *c.* 10. §. 3. Ac genus quidem, *inquit*, quæ participant, æqualiter participant, accidens autem non æqualiter, quoniam intensionem & remissionem recipit participatio accidentium, generum non item. Ex quibus perspicitur, cùm Porphyrius dicit, *genus prædicari æqualiter de speciebus*, sensum esse, *quòd non prædicetur cum diversitate graduum*, ità ut uni conveniat magìs & intensè, alteri minùs & remissè.

5. Dicis, Homo est perfectius animal, quàm bos, E. est magìs animal. Respondet Tataretus per negationem consequentiæ, quia hominem esse perfectius animal quàm bos, non est, ipsum magìs esse animal, sed est, ipsum habere perfectionem differentiam, per quam animal contrahitur & determinatur ad constitutionem hominis, quæ sit illa, per quam determinatur ad bovem. Vide Tataretum, *sub fine lib. prædic. ibi 4. sciendum.*

TIT. XI. continens REG. XII. *circa doctrinam* *Differentiæ.*

Titulo generis & speciei subjungimus illum, qui Differentiam *complectitur, cùm tres hi termini perpetuâ quasi familiaritate inter se sunt conjuncti. Dividit enim genus differentia, & constituit speciem, adeóque fieri nequit illorum trium unum sine altero unquam ut reperiatur.*

Regula I.

Omnis differentia habet aliquam sibi oppositam differentiam. 6. top. 6 §. 2.

1. *Omne genus oppositis differentiis dividitur*, inquit *ibid.* Aristoteles. Atqui, inquis, substantiarum differentiæ non sunt oppositæ, quod probatur, quia nec relativè, nec privativè opponuntur, nec contradictoriè, nec contrarié: non *relativè*, quia cùm sub-

ſubſtantiæ ſint entia abſoluta, etiam differentiæ illarum eſſe entia abſoluta debent: non *privativè*, nec *contradictoriè*, quia ſic aliqua ſubſtantiarum differentia eſſet negativa, quod fieri nequit: non ut *contrariè*, quia ſubſtantiis nihil eſt contrarium, ut habet Philoſophus, *in prædic. ſubſtantiæ.*

2. *Reſp.* I. Oppoſita ſumuntur dupliciter: 1. *ſtrictiùs*, prout ad 4. ſpecies ab Ariſtotele, *c.* 10. *categ.* referuntur, nempe relativè, contradictoriè, privativè oppoſita, & contrariè, & hanc juxta acceptionem, non omnes differentias eſſe oppoſitas concedimus. 2. *Latiùs*, prout & diſparata comprehendunt, quomodo accipiuntur oppoſita ab ipſo Ariſtotele, *c.* 13. §. 5. *categ.* & juxta hanc acceptionem, omni differentiæ opponitur alia differentia, quemadmodum & ſubſtantiarum differentiæ ut diſparata opponuntur.

3. *Reſp.* II. Quando ſunt duæ alicujus generis differentiæ, quamvìs non contradictoriæ ſint formaliter, ſunt tamen contradictoriæ implicitè, quantùm ad terminos contradictorios redigi poſſunt, ut rationale & irrationale, quando enim animal dividitur in rationale & irrationale, licèt irrationale non ſit negatio contradictoria, quia tamen ex eo, quòd aliquod animal irrationale eſt, ſequitur, quòd ſit non rationale, ideò illæ differentiæ ad contradictoria referri poſſunt.

REGULA II.

Species non eſt Differentia.

Peccat, ſi quis ſpeciem tanquam differentiam adſignavit; ut ſi quis convitium definiat contumeliam cum irriſione, cùm irriſio ſit ſpecies quædam contumeliæ, proinde irriſio non eſt differentia, Ariſtoteles, *6. top. c. 6.* §. 9.

REGULA III.

Genus non poteſt eſſe differentia ſpeciei,

ibid. §. 10.

Genus enim prædicatur de ſpecie *in quid*, differentia verò *in quale quid*, hinc cùm cognitio ſit genus ſcientiæ, non poteſt ejus eſſe differentia.

REGU-

Regula IV.

Differentia non debet esse accidentalis speciei. ibid. §. 12.

1. Aliud est, aliquid esse quid *accidentale absolutè;* aliud, aliquid esse *accidentale alicui.* Accidentale absolutè opponitur substantiæ, & appellatur sic omne illud quod est in aliquo prædicamento accidentium; sed accidentale alicui, opponitur essentiali, & dicitur illud quod cum alicui competat non est de ejus essentia.

2. Loquitur regula *non de accidentali absolutè,* cùm enim multæ species sint accidentia, & differentiæ earum sint aliquid accidentale, h. e. in prædicamento accidentis. *Loquitur igitur regula de eo quod alteri accidentale est,* speciei non est differentia accidentalis, h. e. non est extra ejus essentiam; ratio est, quia essentiam speciei constituit, & secundùm rem est ipsa speciei essentia.

3. Dicitur autem *quòd differentia non sit accidentalis speciei.* Nam si respectu generis consideretur, tunc aliud dicendum est, *generi differentia accidentalis est,* cùm ità de eo prædicetur, ut sit extra essentiam ejus constituta, sicut patet de rationali, quod de essentia animalis non esse in confesso apud omnes est.

Regula V.

De differentia non prædicatur genus. ibidem §. 13.

Prædicatione scilicet *naturali & ordinata & in quid.* Negari enim non potest *genus de differentia prædicari,* ut rationale est animal, disgregativum visûs est color, sed hæ prædicationes sunt innaturales, seu inordinatæ contra ordinem: prædicantur enim in iis terminus absolutus, & substantivus de adjectivo & denominativo, qua de re videatur Du Trieu, *t. p. 1. c. 2. a. 2.* Hujusmodi præterea prædicationes non sunt *in quid,* cùm omne quod in quid de aliquo prædica-

tur,

catur, aut totam essentiam & rationem ejus exprimat, sicut patet de definitione respectu definiti, aut in ratione & essentia ejus includatur, quemadmodum patet de genere respectu speciei. At genus nec totam differentiæ rationem dicit, nec in ea includitur, cùm genus & differentia sint conceptus formaliter contradistincti, & ex iis species secundùm rationem & conceptus nostros componatur.

REGULA VI.

Differentia est posterior genere, & prior specie. ibid. §. 16.

Hoc, quia differentia constituit speciem, omne constituens enim est prius constituto: istud, quia, *sicut à genere ad speciem, ità etiam à genere ad differentiam non reciprocatur essendi consequentia.* Nam valet rationale est, Ergò est animal, sed non vice versâ, Animal est, Ergò rationale est. Sicut igitur genus est prius specie, ità & differentiâ prius est, & per consequens differntia est genere posterior. *Vide ea, quæ circa tit. præced. reg. 3. diximus.*

REGULA VII.

Eorum, quæ ad aliquid referuntur, etiam differentiæ ad aliquid referuntur.

Vel

Relatorum relativæ sunt differentiæ: ib. §. 23.

1. Ità scientia est quid *relativum*, refertur enim ad subjectum, sc. scibile, & dicitur scibilis scientia. Unde etiam *contemplativum, activum, & effectivum*, quæ ejus differentiæ sunt, ad aliquid referuntur. Contemplativum enim est alicujus contemplativum, & activum alicujus activum, & effectivum alicujus effectivum.

2. Patet autem Aristotelem non tantùm loqui de *relativis prædicamentalibus*, sed & de aliis, *quæ propriè non sunt in prædicamento relationis*, quemadmodum

dum scientia, licèt relativum quid sit, non ad prædicamentum relationis, sed qualitatis pertinet.

Regula VIII.

Uniuscujusque eorum, quæ ad aliquid referuntur, differentia peti debet ab eo, ad quod suâ naturâ refertur.

ibidem §. 24.

Quibusdam eorum, quæ ad aliquid referuntur, ad nihil aliud uti licet, quàm ad id, ad quod naturâ referuntur, ut aspectu solùm ad cernendum; nonnullis verò etiam ad alia uti licet, ut strigili haurire aliquis aquam potest, si quis tamen strigilem definiat instrumentum ad hauriendum aquam, peccat, quia non est ad hoc comparata: Ejus autem, ad quod nata res est, definitio est id, ad quod utitur prudens, & propria scientia, quæ circa quamque rem versatur. *Sunt verba Aristotelis.*

Regula IX.

Differentia debet esse in eodem prædicamento in quo est id cujus est differentia.

1. Quod Aristoteles, *loc. cit* §. 20. dicit: Esse alicui non esse differentiam substantiæ, id ad omnia prædicamenta possumus accommodare & dicere, differentiam, & id cujus est differentia, non debere esse in diversis prædicamentis. Est autem differentia tum generis, tum speciei differentia; illud dividit, hanc constituit, quòd differentia esset in alio prædicamento, in alio genus, species quæ ex genere & differentia constituitur non esset per se ens, cùm ex rebus diversorum prædicamentorum non fiat nisi unum per accidens. Quòd si differentia est in eodem prædicamento cum genere, est etiam in eodem prædicamento cum specie, quia genus est species in eodem sunt prædicamento.

2. Idcirco & eos reprehendunt, *inquit Aristoteles l. c.* qui terrestri & aquatili animal dividunt; quòd

quòd terrestre & aquatile significent esse alicubi, at in his non reprehendunt rectè, quoniam aquatile & terrestre non significant esse in aliquo nec alicubi, sed quale quid; nam etsi sit in loco sicco, æquè erit aquatile; similitérq; si terrestre sit in loco humido, terrestre erit, non aquatile. Verùm tamen, si quando differentia significet esse in aliquo, manifestum est, eum peccasse, qui definit, h. e. si quis definire volens substantiam, assignarit differentiam pertinentem ad prædicamentum Ubi, peccabit.

3. Verùm hîc quis objicere posset, quòd cùm accidentia definiantur per subjectum, tanquam per differentiam, & verò subjectum sit substantia, ut cùm dicitur, Tonitru est sonus in nube; cùm physica definitur, Quòd sit scientia corporis naturalis, certè substantia erit differentia accidentis, & per consequens, differentia & id cujus est differentia sæpe in diversis erunt prædicamentis.

4. *Resp.* In definitionibus accidentium, non subjectum, sed habitudo & respectus ad subjectum differentia est; sed quia illa habitudo non potest explicari nisi mentione subjecti, ideo necesse est subjectum in eorum definitionibus poni, ità tonitru ex natura sua respicit subjectum in quo insit, nempe nubem, & idcirco per nubem definitur; & physica essentialiter importat respectum ad corpus naturale, tanquam ad subjectum circa quod, & idcirco per corpus naturale definitur.

5. *Instas:* Ex hac responsione adhuc sequi, differentiam, & id cujus est differentia, posse esse in diversis prædicamentis, quia tonitru tanquam sonus, & scientia tanquam habitus, sunt qualitates, illarum autem differentiæ, cùm sint respectus quidam, pertinent ad prædicamentum relationis.

6. *Resp.* Non omnis respectus ad prædicamentum relationis pertinet, quod vel ex eo constat, quòd Aristoteles in prædicamento relationis negat respectum quem caput ad capitatum importat, esse relationem, de prædicamento relationis. Sunt quidam respectus transcendentales, aut tales, ut indè relata

vocentur secundùm dici, illi in prædicamento relationis propriè non collocantur, hujusmodi respectus etiam est is, quem omne accidens ad subjectum, & scientia ad scibile habet. *Vide quæ circa* 11. *tit. præc. dicta fuerunt.*

7. Notandum autem regulam istam loqui de differentia *essentiali* & *specifica*. Nam si differentia dicatur id, per quod aliquid quocunque modo differt, sic accidentia posse esse differentias substantiarum, nec semper differentiam, & id cujus est differentia, in eodem esse prædicamento extra controversiam est, sicut cœlum & terra differunt per Ubi, quòd illud suprà est, hæc in medio.

REGULA X.

Differentia non debet esse negativa.

1. Ex 6. *top. c.* 6. §. 5. ubi dicitur eos peccare qui negatione genus dividunt. Notandum autem I. Regulam esse intelligendam de *entibus positivis:* entium positivorum differentiæ non debent esse negativæ, & ratio est; quia differentia constituit essentiam speciei, sed negatio entis positivi non potest constituere. At eorum quæ in negatione & privatione consistunt, alia est ratio, quod expresse significat Aristoteles quando §. 7. dicit, Fortassis autem in nonnullis, necesse est negatione uti eum, qui definit, ut in privationibus, nam cœcum, est quod non habet visum, quando secundùm naturam habere debet.

2. Notandum II. Sermonem esse de differentia *essentiali & specifica*, & propriissimè sic dicta. Nam alioquin negativis differentiis dividi genus non est dubium, ut animal dividitur in id quod pedes habet, & iis caret; in plumatum, & implume. Oportet autem differentiis negativis sæpe nos uti, propterea quòd veræ & specificæ differentiæ latent, fit & ut vox privativè sit, quâ tamen utamur ad significandum quid positivum, ut patet de irrationali, per quod dividitur animal.

REGULA XI.

Differentia non reciprocatur cum eo cujus est differentia. Porph. c. 13. Isag. §. 4

1. Regulâ 10. diximus, differentiam esse & generis & speciei differentiam. Intelligitur hoc dictum Porphyrii de *differentia respectu generis*, quod scil. dividit, cum genere non reciprocatur differentia. Est enim differentia dividens genus, angustior genere, sicut rationale est quid angustius quàm animal.

2, Quòd differentiam attinet *respectu speciei*, sic dupliciter consideratur, vel enim comparatur cum specie quam immediatè constituit, & *cujus respectu dicitur specifica*, & hâc ratione *reciprocatur cum specie*, ut disgregativum visûs cum albo; vel, nisi sit differentia speciei specialissimæ propria (*nam differentia propria speciei specialissimæ, solùm constituit speciem aliquam immediatè, nullam mediatè, quoniam species specialissima infra se aliam speciem non habet*) comparatur cum aliqua specie quam constituit mediatè, & ejus respectu generica dicitur; atque isto modo *non reciprocatur cum specie*, sed est quid latius, sicut sensitivum est differentia constitutiva hominis, quem constituit mediante animali, & latiùs patet quàm homo.

REGULA XII.

Generum diversorum, & non subalternatim positorum, diversæ sunt specie differentiæ: Eorum verò quæ subalternatim posita sunt, nihil probibet easdem esse differentias. Arist. in antepræd.

1. Sciendum genera tribus modis posse dici *diversa*: 1. Ut nec unum sub altero, nec utrumque sub uno tertio collocetur. Talia sunt omnia genera diversorum prædicamentorum, ut substantia & quantitas, animal & scientia, dicuntúrque non solùm genera diversa, sed etiam genere diversa, ut notant commentarii, *in Log. Aristotelis*, sub nomine Colleg. Conimbricensium falsò editi. 2. Ut licèt unum sub al-

tero non contineatur, ambo tamen contineantur sub tertio aliquo genere, ut animal & planta, animal enim non continetur sub planta, nec planta sub animali, ambo tamen continentur sub corpore, tanquam sub genere. 3. Ut unum sub altero contineatur, ut corpus & animal.

2. Genera primo modo diversa *nullas differentias neq; constitutivas neq; divisivas habent easdem.* Sic animalis differentiæ constitutivæ sunt, corporeum, animatum, sensitivum: divisivæ, volatile, terrestre, aquatile. Istæ non sunt differentiæ scientiæ, non enim constituitur scientia per corporeum, animatum, sensitivum: nec dividitur per volatile, terrestre, & aquatile:

3. *Inquis:* Animal & instrumentum domesticum genera sunt primo modo diversa, quia non ad idem pertinent prædicamentum, easdem tamen habent differentias divisivas, nam ut habere pedes, & non habere pedes, sunt differentiæ dividentes animal: sic & instrumentorum domesticorum pedes alia habent, ut lectus, scamnum; alia non habent, ut pelvis.

4. Sed responsio est facilis. Loquitur enim Aristoteles, & nos cum ipso, de *differentiis specie iisdem, vel diversis.* Habere pedes, & non habere pedes, cùm dicuntur de animalibus & instrumentis domesticis, licèt sint differentiæ nomine & analogiâ eædem, specie tamen eædem non sunt, oportet enim easdem specie differentias habere eundem conceptum, sicut sentiens ut prædicatur de homine & leone est eâdem specie differentia, éstque unus idémque ejus conceptus in homine & leone: at habere pedes, & non habere pedes, non dicuntur eodem conceptu de animalibus & instrumentis domesticis, quia pedes horum non sunt ejusdem rationis & essentiæ cum pedibus illorum.

5. Genera secundo modo diversa quòd attinet, duplicia ea faciunt commentarii suprà citati. Quorundam enim utrumque, vel saltem alterum ponitur immediatè sub summo genere, ut corpus & spiritus, item animal & spiritus, & talia nec divisivas nec constitutivas differentias easdem habere dicunt.

Quo-

Quorundam verò utrumque mediatè ponitur sub summo genere, & talia quidem nullas habere differentias dividentes communes, habere tamen aliquas constitutivas easdem, asserunt.

6. Dicitur *aliquas*, easdem enim non omnes habent genericas, scilicet non specificas, ut corporeum & animatum sunt differentiæ constitutivæ genericæ communes animali & plantæ, quæ sunt genera secundo modo diversa. Differentia autem animalis specifica, quæ est *sensitivum*, non competit plantæ; nec differentia specifica plantæ competit animali.

7. Rectè hæc, nisi quòd alii rectiùs docere videntur, *generum secundo modo diversorum, posse esse interdum easdem etiam differentias divisivas.* Nam animal terrestre, & animal volatile, sunt genera secundo modo diversa, easdem nihilominus habent differentias dividentes. Nam bipes & quadrupes sunt differentiæ dividentes animal terrestre, est enim animalium terrestrium quoddam bipes ut homo, quoddam quadrupes ut equus; eædem differentiæ dividunt etiam animal volatile. Nam & volatilium quoddam est bipes, quoddam quadrupes, qualis gryphus esse narratur.

8. *Genera tertio modo diversa easdem habent differentias constitutivas & divisivas*, eo tamen pacto, ut quotquot constituunt superiora constituant inferiora, & quotquot dividunt inferiora dividant etiam superiora, non verò vice versâ: v. g. animal & corpus animatum sunt genera tertio modo diversa, differentiæ, corporeum & animatum, quæ constituunt corpus animatum, constituunt etiam animal; animal verò dividitur in rationale & irrationale, in quæ etiam dividitur corpus animatum.

9. Dixi, *non vice versâ*, quia non omnes differentiæ constitutivæ inferioris sunt constitutivæ superioris. Differentia enim propria & specifica constituit inferius, non tamen superius; ut rationale, quod constituit hominem, non constituit animal. Similiter non omnes differentiæ dividentes superius, dividunt inferius, ut corpus dividitur in animatum & inanimatum,

tum, animal verò non ità poteſt dividi, nullum ſiquidem animal eſt inanimatum.

10. Non dixi §. præc. *nulla differentia*, ſed dixi, *non omnes*. Aliquæ enim conſtituentes inferius conſtituunt ſuperius. Tales ſunt genericæ, ſicut materiale, quod conſtituit ità animal, ut conſtituat priùs corpus, & corpus animatum, aliquæ etiam dividentes ſuperius ſimul dividunt inferius, ſicut bipes & quadrupes, in quæ animal dividitur, dividitur etiam animal terreſtre, quod eſt inferius animali.

11. Reipsâ ſic explicatâ, quæritur, quid per *genera ſubalternatim poſita, & non ſubalternatim poſita*, in verbis Philoſophi, ſit intelligendum. Certum & extra controverſiam, *genera primo modo diverſa eſſe non ſubalternatim poſita, genera verò tertio modo diverſa eſſe ſubalternatim poſita*. Sed de ſecundo modo diverſis eſt dubitatio. Quidam, inter quos Titelmannus, *l.* 2. *conſid. Dial. c.* 14. comprehendunt ſub non ſubalternatim poſitis.

12. Verùm nos contrà ſic argumentamur: Genera non ſubalternatim poſita non poſſunt habere eaſdem differentias. At genera ſecundo modo diverſa poſſunt habere eaſdem differentias. Ergò, non ſunt genera non ſubalternatim poſita. Major probatur, quia cùm Ariſtoteles in priori regulæ parte afferat, genera quæ non ſunt ſubalternatim poſita, habere diverſas differentias, in poſteriori autem dicat, nihil obſtare quò minùs ea quæ ſubalternatim poſita ſunt, habeant eaſdem, apertè ſignificat, genera de quibus agit in priori parte, nempe quæ dicuntur non ſubalternatim poſita, non poſſe habere eaſdem, aliàs nullum conſtitueret diſcrimen inter genera quæ priori & quæ poſteriori regulæ parte continentur. Minor manifeſta eſt ex §. 6. & 7.

13. Patet hinc, *genera ſecundo modo diverſa, comprehendi ſubalternatim poſitis*; ſi enim non ſunt ſubalternatim poſita, Ergò, ſunt ſubalternatim poſita, quia inter ſubalternatim poſita, & inter non ſubalternatim poſita, non datur medium. Unde perſpicuum eſt, per *genera non ſubalternatim poſita* ſolùm intelligi

ea,

ea, quæ nec ſub uno tertio, nec ſub ſe invicem continentur: *per ſubalternatim* verò *poſita*, tum ea, quorum unum ſub altero, tum ea, quorum utrumque tantùm ſub uno tertio comprehenditur. Eſtque adeò ex dictis ſenſus totius regulæ manifeſtus.

TIT. XII. continens REG. XIV. *circa doctrinam Definitionis.*

C*Um ex* genere *&* differentia *conficiatur* definitio: *Diviſio autem vel ſit generis in differentias & ſpecies, ut totius eſſentialis & integralis in partes, ideò omnino conveniens erit, ſi ſtatim à titulis* Totius *&* Partium, Generis *&* Speciei *&* Differentiæ, *regulas de* definitione *&* diviſione *proponamus.*

Regula I.

Definitio non ſit obſcura. 6. top. 1.

1. *Oportet* enim *eum*, inquit Ariſtoteles, *qui definit*, quoad ejus fieri poteſt, *clariſſimâ interpretatione uti*, quia cognoſcendi causâ definitio traditur.

2. Eſt autem, ut declarat Philoſophus, *ib. c. 2.* definitio obſcura, 1. *Si vocabulum æquivocum contineat*, ut ſi quis definiat generationem, *per deductionem ad ſubſtantiam*; aut ſanitatem, *συμμετρίαν callidorum & frigidorum*, nam & deductio & *συμμετρία* ſunt vocabula æquivoca, itaque dubium eſt, utrum dicere velit

velit eorum quæ ſignificantur voce, quæ multis modis dicitur.

3. *Inquis*: Si vocabula pleraque ſunt æquivoca, fieri aliter non poteſt, quàm ut ſæpè æquivocis in definitionibus utamur.

4. *Reſp.* Dupliciter fieri, *vocem æquivocam in definitione poni.* Vel enim conſtat, quo ſignificatu vox accipiatur, vel non conſtat. Conſtat, quando expreſsè additur particula aliqua quæ verbi multiplicem ſignificationem ad unum trahat, aut aliàs ex ſubjecta materia clara eſt & determinata ejus ſignificatio. Hoc modo non eſt prohibitum, voces æquivocas in definitione ponere, imò, ut probat argumentum neceſſarium, id ſæpe eſt, propterea quòd pleraque vocabula æquivoca ſint. Unde locum hîc habet illud vulgatum, *Æquivoca quando diſtinguuntur non ſunt ampliùs æquivoca*, deficitque hîc ratio propter quam æquivoca à definitionibus excluduntur, propterea ſcilicet quia obſcurant eas, at certè æquivoca, quando diſtincta ſunt, aut aliàs apparet quo ſignificatu ſumantur, definitionem non faciunt obſcuram, cùm proinde tunc ſe habeant, ac ſi æquivoca non ſint. Quando igitur dicitur, *æquivoca non debere poni in definitione*, intelligendum eſt ſolùm eo de caſu, *cùm non perſpicitur*, vel ex ſubjecta materia vel aliunde, *quomodo vocabulum ſit accipiendum.*

5. Et quòd iſta reſponſio ſit ad mentem Ariſtotelis patet ex ultimis verbis §. 2. ex ipſo adductis. Vult enim ex illis verbis, propterea definitionem eſſe obſcuram, in qua collocentur voces ambiguæ, & duas vel plures ſignificationes habentes, quia non perſpicitur utrum dicere velit eorum, quæ ſignificantur voce, quæ multis modis dicitur, hoc eſt, quia non perſpicitur, in qua ſignificatione vox æquivoca accipiatur. Ergò, quando perſpicitur in qua ſignificatione accipiatur, ceſſat ratio obſcuritatis.

6. II. Porrò ſicut in definitione non debet poni vocabulum æquivocum, ità definitio quodammodo redditur obſcura, ſi (*ſunt verba Philoſophi*) cùm definitum multis modis dicatur, *non adhibita diſtinctione* definierit:

definierit: dubium enim est, utrius definitionem tradiderit, & cavillari licet quasi definitio non omnibus aptetur quorum definitionem tradit.

7. III. Si in definitione ponantur *translationes*, præsertim remotæ, & intellectu difficiles, ut si quis definiat hominem *arborem inversam*, aut scientiam per hoc, quòd *labi non possit*, aut temperantiam, per *concentum*. Πᾶν γὰρ ἀσαφὲς τὸ κατὰ μεταφορὰν λεγόμενον, ait Philosophus § 4.

8. IV. Si usurpentur *voces parùm usitatæ*, ut si medicus imperet ægroto, ut sumat terrigenam herbicratam, domiportam, sanguine cassam, ut ægrotus cochleam intelligat. Præterea obscurè definit, *ait Aristoteles*, qui non utitur κειμένοις ὀνόμασι, *positis nominibus*, ut Plato fecit, qui oculum definit ὀφρυόσκιον, *ciliumbrem*; aut τὸ φαλάγγιον σηψιδακὲς, araneam *putrimordacem*; aut medullam, *ossigenam*. Πᾶν γὰρ ἀσαφὲς τὸ μὴ εἰωθὸς, *omne enim verbum inusitatum obscurum est.*

9. V. *Si ex data definitione rei contrariæ definitio non fiat manifesta.* Solet enim rei definitio contrariæ ex definitione alterius contrarii perspicua fieri, quemadmodum quia malum definitur quòd sit *carentia perfectionis debitæ inesse*, statim perspicitur bonum consistere *in perfectione debita inesse*. Ità ex definitione liberalitatis, quòd nimirum sit *virtus, servans mediocritatem in dando & accipiendo*, innotescit quid prodigalitas sit & avaritia.

10. VI. *Si per se non appareat cujus sit definitio*, sed similis veterum pictorum opinionibus, quæ erant ejusmodi, ut nisi quid superscripsisset, cognosci non posset, quid unumquodque esset, sicut habet Aristoteles §. 8.

REGULA II.

Quicquid definitur debet definiri per priora & notiora: Vel, ***Definitio debet confici ex iis quæ sunt priora & notiora definito.*** 6. top. c. 4.

1. Ratio est, quia definitio datur ut cognoscatur & explicetur res, non autem potest aliquid cognosci & explicari per aliquid, nisi notius sit. 2. Cùm

2. Cùm autem *notius* aliquid dicatur dupliciter; simpliciter scilicet, sive *naturâ* & *nobis*, quâ de distinctione videatur in *tit.* 3. explicatio hujus regulæ, *Causa notior est effectu.* Definitio propriè dicta debet constare ex iis quæ simpliciter sunt notiora, qualia sunt genus & differentia. Definitio enim cognitionis distinctæ gratiâ adhibetur, at distinctè res non cognoscitur, nisi ex illis quæ naturâ sunt notiora.

3. Ex hoc ipso jam statim perspicitur, Definitionem debere ex *prioribus* constare, siquidem quæcunque naturâ sunt notiora, priora etiam sunt: quòd si quis ex notioribus simpliciter cognitionem adipisci nequeat, necesse est fortassis definitionem ex iis conficere, quæ illi nota sunt, ut si quis definiat aliquid per effectum, aut per proprium accidens, hæc tamen non erit propriè dicta definitio, sed descriptio. Quod si neque ex iis quæ simpliciter sunt notiora, neque ex iis quæ sunt nobis notiora, definitio perfecta sit, manifestum est, ipsam nec *definitionis* propriè dictæ, nec *descriptionis* nomen mereri.

4. Exprimit porrò Philosophus tres modos, quibus definitionem non ex *prioribus* fieri dicit: I. est, *Si oppositum per oppositum definiatur*, sunt enim opposita simul naturâ, quò pertinet si quis definiat id quod in divisione ponitur, per illud quod ponitur in eadem divisione, ut si dicas, impar esse, quod unitate majus est quam par: quæ enim in eadem divisione ponuntur, simul quodammodo opposita, & per consequens simul naturâ sunt.

5. Hoc tamen certum est, *excipiendas esse privationes*, quæ per habitum oppositum definiuntur, sicut cœcitas definitur *privatio visûs*, & malum *carentia boni debiti inesse*, & cessat in his ratio Philosophi, quia privatio & habitus non sunt simul naturâ, sed habitus notior est, & quodammodo prior. Unde etiam privatio per habitum definiatur, habitus tamen non definiendus est per privationem, sicut non definiendus visus est per cœcitatem.

6. *De relativè oppositis specialis est difficultas.* Nam relatum

relatum definitur per correlatum, nec tamen relatum correlato est notius, nec unum altero prius. Sed hac de re in explicatione *reg. quartæ.*

7. II. *Si definitum ponatur in definitione*: sed de hoc erit peculiaris regula, nempe quarta. III. *Si superius per inferiora definiatur*, ut si quis bonum definiverit, quòd sit habitus virtutis, qui sub bono continetur tanquam inferius sub superiori. Inferius autem esse posterius, & naturâ minùs notum quàm superius, in confesso est.

Regula III.

Definitionem licet ponere loco definiti. ex Aristotele 2. top. c. 2. §. 3. 4. top. c. 4. §. 14 & 7. Metaph. t. 18.

1. Obstat, quòd si liceret definitionem ponere loco definiti, necesse esset, fieri inanem & nugatoriam ejusdem repetitionem. Si enim dicam, *nasus simus*, & cùm definitio simi sit *nasus concavus*, ponam loco *simi* ejus definitionem, hæc habebis verba, *nasus, nasus concavus*. 2. Dari progressum in infinitum. Nam cùm *nasus concavus*, & *nasus simus* sint idem, propositis verbis, *nasus nasus concavus*, rectè diceremus, *nasus nasus simus*, & si liceret definitionem ponere loco definiti, in locum vocis *simus*, fas esset substituere ejus definitionem, forentque tunc verba hæc, *nasus nasus nasus concavus*, & sic in infinitum. Hæc inconvenientia desumuntur ex ipso Aristotele, *t. c. l. 7. Metaph.*

2. Solet duplex statui definitio: Quædam datur *per mera intrinseca & essentialia*, quales sunt substantiarum completarum, tanquam specierum prædicamenti substantiæ, cùm dicimus, hominem esse animal rationale, vel esse quid compositum ex anima rationali & corpore organico, intra essentiam enim hominis continetur & animal & rationale, ut & anima rationalis & corpus organicum, & hujusmodi definitiones primariò nomen *definitionis* merentur, & consueverunt à nonnullis vocari *quidditativæ*. Do-

minc. de Flandria, 7. *Metaph. q. 9. a.* 3. vocat definitiones quidditativas *secundùm se totas. Quædam autem per aliquid extrinsecum datur, & quod non est de essentia definiti*, indéque tantùm connotatur per definitum, quam ob causam & hujusmodi definitiones dicuntur à Philosopho ἐκ προσθέσεως, *per additamentum*, quales sunt accidentium, quæ definiuntur per subjecta vel objecta etiam, aut alia quæ eorum constitutionem & essentiam non ingrediuntur, quamvìs subjectum interdum exprimatur casu obliquo, nempe cùm definiuntur in abstracto; ut, simitas est concavitas simi, tonitru est sonus in nube, interdum in recto, cùm nempe in concreto definiuntur, ut simum est nasus concavus, quæ diversitas definitionum fundatur in Aristotele, 7. *Met. c.* 17. Non solùm autem accidentia definiuntur per additamentum, sed & alia, ut substantiæ incompletæ, quemadmodum materia per formam, & forma per materiam, sicut Philosophus 1. *phys.* dicit, quòd materia sit subjectum cujusque rei, & 2. *de anima* definit animam per *corpus organicum.*

3. *Resp.* Jam, quòd *definitionem liceat ponere loco definiti*, universaliter verum esse de definitionibus quæ traduntur *per merè intrinseca*, ut cum dico, Homo currit, loco definiti possum ponere ejus definitionem, & dicere, Homo, animal rationale, currit: item in hac definitione, Homo est animal, loco verbi *animal*, licet ponere illa verba, *substantia corporea, mixta, animata, sentiens, rationalis*. At definitionem, *quæ est per additamentum*, dicunt *non semper licere substituere in locum definiti*, neque de istiusmodi definitionibus loqui regulam, & per hoc patet responsio ad argumentum, §. 1. Cùm enim definitio simi, quòd sit nasus concavus, sit ex quodam additamento, siquidem nasus tantùm connotatur per simum, tanquam per aliquid quod non sit de ejus ratione formali (*quod indè perspicitur, quòd cùm nasus de simo prædicatur, illa prædicatio non est in primo modo per se*) hinc negant, licere eam *ponere loco definiti*, hæc responsio est Scoti, *in* 7. *Metaph. sum.* 2. *cap.* 4. *num.* 35.

Javelli,

Javelli, *l.7. Epitom.Met.c.*4. *& lib.eod.q.7.*& aliorum.

4. Certum eſt, licere nonnunquam etiam definitionem, quæ ἐν περιστάσει, ſubſtituere in locum definiti, quod nec Javellus diffitetur, ut in hac oratione, Hujus hominis naſus eſt ſimus, licebit pro nomine *ſimus*, ponere definitionem ejus, & dicere, *hujus hominis naſus eſt naſus concavus*, item pro oratione illa, *Video album*, licebit dicere, *video corpus affectum colore viſum diſgregante.* Similiter cùm dico, *Hic callet phyſicam*, loco *phyſicæ* licet ponere ejus definitionem, & dicere, *Hic ſcientiam callet corporis naturalis quatenùs eſt naturale.* Ex quibus patet, explicationem §. *præced.* eſſe imperfectam, & cùm perfectior determinatio ſuppetat, eam apponemus.

5. Dicimus *totam definitionem*, etiam eam, quæ eſt ἐν περιστάσει, licitum eſſe collocare loco definiti, niſi quando aliqua ejus pars jam poſita eſt. Tunc enim illâ parte omiſsâ, nè inani & tautologicâ ejuſdem vocis repetitione ſermo deformetur, reliqua pars exprimitur. Itaque cùm dicimus *naſus ſimus*, non licet in locum *ſimi* integram ejus definitionem, quæ eſt *naſus concavus*, ſufficere, eò quòd prior vox, nempe *naſus*, jam adeſt, ponemus igitur tantùm *concavum* loco *ſimi*, & dicemus, *naſus concavus*. Ità cùm & homo & mas definiatur per animal, cùm ille ſit animal rationale, hic animal potens generare in alio, ſi hominem marem per definitionem utriuſque definire velis, integram definitionem hominis tantùm afferes, quantùm ad definitionem maris omiſſo vocabulo animalis, nè bis ponatur, reliqua verba ſatìs erunt, ità ut definitio hominis maris evadat talis, *Homo mas eſt animal rationale potens generare in alio.* Hanc explicationem nobis ſuppeditat Fonſeca, *in t.* 19. *c. l.* 7. *Metaph.*

6. Atque hinc conſtat inconvenientia illa, quæ §. 1, adducta fuerunt, non ſequi ex noſtra regula, ſiquidem ſupponitur in iis, cùm dico, *naſus ſimus*, loco vocis *ſimus* fas eſſe ponere integram ejus definitionem, quod non eſt concedendum, ut patet ex §. *præcedenti.*

7. *Dicis* 1. Si totam definitionem licet ponere loco definiti, quando ejus nulla pars jam posita est, sequitur, si dicam v. g. id quod è longinquo video, est homo mas, tunc licere loco vocis *mas* sufficere integram ejus definitionem, ità ut propositio sit talis, Id quod è longinquo video, est homo animal, potens generare in alio, neque opus esse, ut τὸ *animal* omittam, quia illud jam antè non est positum. Consequens autem absurdum & ineptum est.

8. Licet in hac propositione, Id quod è longinquo video est homo mas, τὸ *animal* expresse non reperiatur, continetur tamen in homine, & quidem formaliter, & tanquam prædicamentum quidditativum, & non tanquam connotatum. Unde si in locum vocis *mas* substitueretur integra ejus definitio, cùm loco vocis *homo*, etiam liceat ponere ejus definitionem, fieret, ut animal expresse bis ibi poneretur: Id quod è longinquo video, est animal rationale, animal potens generare in alio. Quapropter dico, non licere integram ponere definitionem loco definiti quando ejus aliqua pars vel expresse jam posita est, vel in alia intrinsecè & formaliter continetur, tunc enim illa pars omittenda est, cujus ratio ex modò dictis perspicitur.

9. Sed quæris, cur in ista oratione, Id quod è longinquo video est homo mas, pro homine licet ponere integram ejus definitionem, nempe animal rationale, pro mare verò non licet ponere integram definitionem, sed omittendum est animal; cur non æquè animal omittere, & tantùm alteram partem definitionis, nempe τὸ *rationale*, exprimere licet, si loco hominis velim ponere ejus definitionem?

10. Responsio potest sumi ex præcedentibus, quia scilicet definitio hominis est quidditativa, & per mera intrinseca, prædicatúrque animal de homine essentialiter & in quid, sed definitio maris est ἐκ προσθέσεως, & connotatur tantùm animal, tanquam quid quodammodo extrinsecum. Atque hanc ob causam cùm in hoc exemplo, Id quod è longinquo video, est homo mas, non possit utriusque & hominis nimirum

& maris definitio integra simul in ipsorum locum substitui, animal potiùs in definitione maris omittendum est, quàm in definitione hominis. Quam responsionem res ipsa confirmat. Nam si in posito exemplo ponam integram definitionem maris pro mare, partem autem tantùm hominis definitionis pro homine, dicendo, Quod è longinquo video est rationale animal, potens generare in alio, minùs commoda est locutio, quàm si totam hominis definitionem ponam, in definitione autem maris, τὸ *animal* omittam, dicendo, Quod è longinquo video, est animal rationale, potens generare in alio, imprimis cùm hic etiam integra maris definitio contineatur, refertur enim illud, *potens generare in alio*, ad animal, & propterea vox *animal* non est repetenda. At, cùm ità dicitur, Quod è longinquo video, est rationale, animal potens generare in alio, tota hominis definitio hîc non habetur.

11. Dicis II. Si non licet ponere integram definitionem pro definito, quando ejus pars aliqua jam posita est, sequitur cùm dico, Hujus hominis nasus est simus, non licere loco simi integram ejus definitionem ponere, ut propositio sit talis, Hujus hominis nasus est nasus concavus, cujus contrarium tamen assertum fuit §. 4.

12. Resp. Id quod §. 5. diximus, non licere integram definitionem ponere loco definiti, quando ejus aliqua pars jam posita est, intelligendum est ità, quòd scilicet non liceat in eadem parte orationis aut propositionis, quando nimirum vox, scilicet definitum, in oratione ponitur, nempe non licet in prædicamento propositionis ponere pro aliqua voce ejus integram definitionem, si ejus aliqua pars in prædicato jam continetur. Similiter nec in subjecto licet integram defin'tionẽ ponere, si ejus aliqua pars jam in subjecto continetur, alioquin inanis & nugatoria esset repititio ejusdẽ. At in diversis propositionis partibus est alia ratio. Non enim absurdum est pro prædicato, aut voce in prædicato contentâ, ponere integram definitionem quamvìs ejus definitionis aliqua particula

ticula in subjecto jam contineatur, sic enim non est inanis & nugatoria eiusdem repetitio, ut patet, cùm dico, Hujus hominis nasus est nasus concavus; & à communi consuetudine & usu minimè abhorret eam vocem quæ in subjecto continetur, in prædicato repetere. Dicimus enim v. g. causa univoca est causa, cui respondet effectus ejusdem rationis, syllogismus demonstrativus est syllogismus, &c.

13. Verùm superesse adhuc alia videntur quæ regulæ obstant. Nam I. si licet ponere definitionem loco definiti, sequitur definitionem directè & per se collocari in prædicamento, consequens falsum esse indè patet, quia incomplexa tantùm per se, & directè in prædicamentis collocantur. Consequentia probatur, quia definitum, v. g. homo, est per se & directè in prædicamento. Si igitur licet definitionem collocare loco definiti, definitio hominis, quæ complexum quid est, etiam ponetur per se & directè in prædicamento.

14. II. Si licet ponere definitionem loco definiti, 1. Licebit in enunciatione, in qua definitio de definito prædicatur, definitionem pro definito substituere, & sic perinde erit, sive dicam, Homo est animal rationale, sive dicam, Animal rationale est animal rationale, quod tamen absurdum est, cùm in priori prædicatum explicet quid sit subjectum, quod in posteriori non fit, quandoquidem nihil seipsum explicat. 2. Sequetur, licitum esse, ut in syllogismo sint duo tantùm termini: sit syllogismus, Omne animal rationale est risibile. Omnis homo est animal rationale. Ergò, omnis homo est risibilis: ponatur definitio hominis loco vocis *homo*, & syllogismus sic habebit, Omne rationale est risibile. Omne animal rationale est animal rationale. Ergò, omne animal rationale est risibile.

15. Colonienses, *in tract. supposit.* docent, *definitionem aliquam*, v. g. animal rationale, *dupliciter posse sumi*: 1. Pro eo quod *immediatè significat*, & sic esse terminum complexum. 2. Pro eo quod *ultimò* & *remotè significat*

significat, & sic esse quid incomplexum, sic enim significare ipsum definitum. Quantùm igitur ad primum argumentum, licèt definitio priori modo non directè & per se in prædicamento ponatur, potest tamen poni posteriori modo.

16. Potest responderi, & dici, definitionem & definitum bifariam posse considerari: 1. Quantùm ad id *quod significant*. 2. Quantùm ad modum *quo significant*, & ut sustinent diversa officia, aut oppositas notiones sive denominationes. Quando in definito solùm res significata attenditur, licet ponere definitionem loco prædicati, & ratio est, quia quantùm ad rem significatam, idem sunt. Ità pro eo, Hic homo ambulat, licet dicere, Hoc animal rationale ambulat: & pro eo, Hujus hominis nasus est simus, licet dicere, Hujus hominis nasus est nasus concavus. Quando autem posteriori modo definitio & definitum considerantur, non licet; ídque probant argumentum §. 13. & 14. quia scilicet sic non sumuntur ut idem, sed ut diversa, imò ut opposita, ità cùm aliquid ponitur in prædicamentis, non solùm res ipsa ostenditur, sed & modus significandi. Cùm enim complexa sint tantùm per se & directè in prædicamentis, quando aliquid significatur jam ut complexum, qualis est definitio, jam ut incomplexum, quale est definitum, posteriori modo tantùm in prædicamento ponitur. Ità in propositione, quâ prædicatur definitio de definito, alter, verb. gr. minor, est definitum, attenditur diversus significandi modus, attenditur enim hoc, quòd definitio significet rem distinctè, definitum autem confusè, stántque ibi sub oppositis nominibus, quia actu unum definitio est, alterum definitum, unum terminus medius, alterum extremus, quæ notiones oppositæ sunt.

Regula IV.

Definitum non debet ingredi definitionem.

6. Top. 4. §. 17.

1. Continetur ista regula sub tertia, ex eâq; patet ejus veritas, quia hoc ipso, quòd definitum ponitur

in definitione, definitio non assignatur per priora & notiora, cùm nihil seipso prius aut notius sit.

2. Duplici modo autem accidit, definitum poni in definitione: 1. *Expressè*, ut si dicas, *Genus est quod prædicatur de pluribus, quæ generi subjiciuntur in quid.* 2. *Implicitè*, & ut loquuntur *consecutivè*, cùm nimirum definitur aliquid per aliquid, quod vicissim per ipsum definitur, scil. cùm in alicujus definitione ponitur aliquid, in cujus definitione illud vicissim ponitur, ut si *solem* definias per *diem*, dicendo, *Sol est astrum, quod dum dies est, nostrum Hemisphærium illustrat*, nam cùm *dies* etiam definiatur per *solem*, nempe quòd sit *motus solis super terram*; & verò juxta definitionem præcedentem in definitione loco alicujus vocis, licet ponere ejus definitionem, si loco vocabuli *dies* in definitione solis, ponatur definitio diei, sol expressè ponetur in definitione sui ipsius, sic enim erit definitio, *Sol est astrum, quod dum motus solis est super terram, nostrum Hemisphærium illustrat.*

3. Non solùm priori, sed & posteriori modo prohibitum est *definitum ingredi definitionem.* Ex eo enim quòd aliquid implicitè in definitione sui ipsius ponitur, sequitur ipsum etiam expressè poni, per hoc nimirum quòd definitionem licet ponere loco vocis in definitione positæ, sicut patet *ex § præced.* Si quis igitur concederet, definitionem ejusdem per seipsum implicitè, necesse esset, ut & concederet, definitionem ejusdem per seipsum explicitè, quoniam concesso antecedente, consequens negari nequit.

4. Hîc iterum sese offert difficultas circa relata. Nam relata definiuntur per se invicem, sicut pater dicitur ille qui habet filium, & filius ille qui habet patrem, hîc cùm pro aliquo posito in definitione liceat ponere ejus definitionem, pro filio in definitione patris poterit substitui definitio filii, quo facto idem expressè definitur per seipsum, seu ponitur in definitione sui ipsius, erit enim definitio patris hæc, Pater est qui habet eum, qui habet patrem. Pertinet huc dubium cujus *reg.* 2. §. 6. mentio facta, quod

scilicet

ſcilicet relatum definiatur per correlatum. quod tamen correlato nec prius, nec notius eſt.

5. Nos miſſis modò iis, quæ circa has difficultates, Cajetanus, Conimbricenſes, & alii, *in cap. de ſpecie* diſputant, Fonſeca, *l.* 5. *inſt. c.* 9. Maſius, *in præd. relat.ſ.*3. *q.*1. & alii, utpote parum ſatisfacientibus, dicimus cum Scoto, 1. *diſt.* 30. *q.*1. Tatareto, *in cap. de ſpecie*, aliiſque Scoti diſcipulis, Soario, *diſp. Metaph.* 47 *ſ.*16. Gabriel Vazquez, *part.*1.*tom.*2.*diſp.* 159. *c.* 6. Petro Hurt. de Mendoza, *diſp. Met.*15.*ſ.*7. *relatum non eſſe definiendum per correlatum*; & per conſequens, nec per ſe invicem, propter ipſas rationes §. *præc.* Omnino enim ſi relatum definiretur per correlatum, definitio non fieret per notiora, & definitum ingrederetur definitionem ſui ipſius.

6. Facit nobiſcum Arniſæus, *lib.* 1. *de repub. c.* 3. *ſ.*2.§.20. reprehendens illam definitionem, quâ *ſervitus* dicitur *conſtitutio juris gentium, quâ quis Domino alieno contra naturam ſubjicitur*, *lib.* 4. *de ſtat. hom.* quia cùm ſervitus & dominium ſint relativè oppoſita, unum altero notius non eſt, & ſic, cùm ſervitus per dominium definitur, definitur ignotum per æquè ignotum, Et nugæ ſunt, *inquit Arniſæus*, ſi quis definiat ſubjectum, quod habet adjunctum; & vice versâ, patrem, qui habeat filium. *Hæc Arniſæus.* Dicendum igitur potiùs, *patrem eſſe perſonam exſiſtentem alteri perſonæ, ejuſdem eſſentiæ, quam genuit in alio.*

7. Confirmatur hæc ſententia ipsâ praxi Ariſtotelis. Nam relatum & correlatum ſunt materia & materiatum, definitio & definitum, ſervus & dominus. At in definitione materiæ non poſuit vocem materiatum, ſed dixit eam eſſe id, ex quo aliquid fit, cùm inſit, eſſe ſubjectum cujuſque rei; non dixit eam eſſe id, ex quo materiatum fit, cùm inſit, aut eſſe ſubjectum vel partem materiati; non dixit, definitionem eſſe definiti explicationem, nec alio modo vocem definitum in definitione definitionis expreſſit, ſed ità naturam ejus explicavit, quòd ſit λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων, *oratio ſignificans quid res ſit.* 1. *top. c.* 4. & *alibi.*

alibi Serv. 1.*polit.c.*3.naturam exprimens non usus est voce *dominus* aut *herus*, sed ex ipso talis colligitur definitio, Servus est instrumentum patrisfamiliâs animatum, rationis compos, quod totum est ipsius.

8. Verùm obstat, quòd ipse Philosophus, 6.*top.c.*4. §. 13. cùm monuisset, oppositum non esse definiendum per oppositum ità scribit, Sed non est ignorandum, quædam fortasse non posse aliter definiri, ut duplum non posse definiri sine dimidio, & quæcunque per se ad aliud referuntur, in his omnibus eadem est essentia, & ad aliquid quodammodo afficiuntur quare fieri nequit, ut sine alterius notitia hujus comparetur, proinde necesse est, ut in alterius definitione alterum quoque comprehendatur.

9. Verùm respondeo, Relatum & correlatum posse dupliciter considerari: 1. *Formaliter*, & ut relatum & correlatum est, & formaliter alteri relato opponitur. 2. *Materialiter*, seu pro eo quod sustinet denominationem relati; concedo, *relatum definiri per aliud, ad quod refertur*, ídque correlatum est, & relato formaliter oppositum, sed nego, *definiri debere per id, ad quod refertur, ut formaliter est correlatum*, & ipsi oppositum. Ipse enim Aristoteles non definivit relata per correlata & opposita eorum formaliter sumta, sicut patet *ex* §. 7. ut non definivit definitionem per definitum, ut significatur voce definiti, nec materiam per materiatum, ut hâc voce significatur, idem patet de domino & servo. Quando autem dixit, definitionem esse orationem significantem quid res, seu quid aliquid sit; & quando dixit, materiam esse id ex quo aliquid fit, vel esse subjectum cujusque rei, per vocem *res* & *aliquid* significatur in priori quidem definitione definitum, in posteriori materiatum, sed non exprimuntur hæc vocabulis istis relativis, sed magìs absolutis. Ità in definitione servi *paterfamilias* est id ad quod servus refertur, sed non significatur voce relativâ, & non est formaliter correlatum & oppositum servi.

10. Verùm huic responsioni officere videtur, quod Aristoteles, *in præd. relat.* §. 9. & *seq.* tam curiosè

præcipit,

præcipit, ut cuilibet relato correlatum verum, & quod formaliter est correlatum, assignetur, nec referatur ad aliquid absolutum, & quod non sit formaliter relativum: Peccare enim ait, si dicatur, alam esse avis alam, aut clavum navis clavum, sed dicendum esse, alam esse alati alam, & clavum clavati clavum.

11. Verùm respondeo Aristotelem, *loc. cit.* non agere de modo definiendi relata, sed proponere quandam eorum proprietatem, quæ est, quòd *omnia relata dicantur ad ea, quæ convertuntur*, hoc est, quæ vicissim ad ipsa referuntur, quod ut fiat, monet verum correlatum esse assignandum, adeò quidem, ut si nomina desint, fingere ea liceat. Unde si dicatur, ala est avis ala, non refertur ala ad τὸ ἀντιςϱέφον, quia avis non est alâ avis, sed alatum est alâ alatum. Unde quando ala dicitur alati ala, rectè assignatur correlatum, eadem ratio est clavi & navis. Sed nulla est consequentia. Non est dicendum, ala est avis ala, sed potiùs ala est alati ala, & in universum verum correlatum, vel aliquod quod est formaliter relatum exprimendum est, ut fiat ἀντιςϱοφὴ inter relata. E. etiam definiendum est per id quod est formaliter ejus correlatum, & formaliter ipsi opponitur.

12. Atque hæc quidem de dubio quod ex definitionibus relatorum desumebatur. Aliunde insuper probari posse videtur definitum interdum ingredi definitionem. Quæ definiuntur, eorum quædam unicâ voce significantur, & dicuntur incomplexa, ut si definiamus, quid homo sit; quædam pluribus significantur vocibus, & dicuntur complexa, ut si quis definiat, quid sit animal terrestre. Docet ità Aristoteles, quando cùm dixisset, definitionem esse orationem significantem quid res sit, adhibetur autem, *ait*, aut oratio pro nomine, aut oratio pro oratione, possunt enim & multa, quæ oratione significantur definiri. *Hæc Aristoteles.* Quando definitum est incomplexum quid, absurdum est ipsum ingredi definitionem, quia sic utique ignotum definiretur per æquè ignotum, at cùm definitum est complexum quid, vel, *ut ait Aristoteles*, oratione significa-

tur,

tur, tunc tantùm abest, ut absurdum sit definitionem ingredi definitum, ut etiam usitatissimum sit, quemadmodum possumus dicere, Causa instrumentalis est causa, quæ concurrit ad effectum virtute non ignobiliori, quàm ad ipsum producendum requiritur. Item, Animal terrestre est animal quod aptum natum est in terra versari. Quòd si quis in his definitionibus causam & animal non expresse poneret, subintelligere tamen deberet.

13. *Resp.* Aliud est definitum ingredi definitionem, aliud partem definiti definitionem ingredi. Ipsum definitum integrum non potest suam ipsius definitionem ingredi, quia sic definitio non esset notior definito ut *præced.* §. probatum est, sed pars definiti definitionem potest ingredi. Neque hoc absurdum est, quia fit, ut cùm definitum est complexum, ejus aliqua pars, utpote per definitionem jam explicata, nota sit, & notior integro definito, quemadmodum in præsentibus exemplis cùm definitur causa principalis, aut animal terrestre, notum jam est, quid sit causa, & quid sit animal, cùm priùs explicari debeat, quid sit genus, vel id, quod se habet per modum generis, quàm ad species veniamus.

14. Ex quo ipso etiam colligitur, *non quamlibet partem definiti complexi fas esse in definitione ponere*, quia scilicet non quælibet pars est nota, hinc vitiosa est Keckermanni & Timpleri definitio, quâ dicunt, causam principalem esse eam, à qua effectus principaliter dependet, quia cùm dicitur causa principalis, & quæritur quid sit, ignotum est quid importetur per vocem *principale*, neque notius est quid sit, effectum ab aliqua causa *principaliter dependere*, quàm quid sit *causa principalis*, quapropter vox *principale* vel *principaliter* in dictam definitionem inconvenienter inseritur.

Regula V.

In definitione ponatur genus proximum.

1. Duplici modo contingit in definitione poni genus remotum: 1. Ità ut ipsi conjungatur sola differentia

ferentia specifica, & hæ definitiones reprehenduntur, ut si dicas, Homo est corpus rationale. Mendoza has definitiones appellat ineptas: Fonseca, *l.* 5. *inst. c.* 11. eas non simpliciter rejicit, & addit graves autores, nè minutissima omnia persequantur, multas nempe omittere medias differentias, præsertim si facilè intelligi possint.

2. Nostra sententia est, has definitiones esse quidem essentiales (*explicant enim essentiam rei & differentiam specificam, quæ sunt prædicata essentialia, & simul sumta reciprocantur cum definito*) non tamen esse perfectas, quoniam cùm non omnes differentias intermedias contineant, non explicent expressè totam rei essentiam. Unde patet, tales definitiones vitii aliquid habere, aliquo tamen modo tolerari posse.

3. Contingit, 2. aliquid definiri per genus remotum, ità ut ipsi non solùm specifica differentia, sed omnes etiam intermediæ apponantur, verbi gratiâ, Homo est corpus animatum, mixtum, sentiens, rationale; vel, Est substantia corporea, mixta, animata, sentiens, rationalis. Atque hujusmodi definitiones nihil planè vitii habent, sed æquè excellentes sunt atque illæ in quibus ponitur genus proximum cum differentia specifica, quia æquè perfectè explicant rei essentiam per prædicata essentialia. Videatur Aristoteles, 7. *Met. c.* 12.

REGULA VI.

Unius rei unica est definitio. 6.top.c.4. §.2.

1. *Unius rei*, inquit Nicolaus de Orbellis tract. 3. summul. *est una definitio, quæ datur per genus & differentiam, sed possunt esse plures descriptiones, vel definitiones largè sumtæ, quibus notificatur quid per nomen importetur.*

2. Sed per hoc nondum tollitur omne dubium, nam & plures definitiones essẽtiales & propriè dictæ unius rei dari possunt. Nam, 1. datur definitio ex genere proximo & differentia specifica. 2. Datur ejusdem definitio ex genere remoto & differentia specifica.

fica, unà cum intermediis; *ſicut ex reg. prac.* conſtat. 3. Ex materia & forma, ut homo eſt ſubſtantia ex corpore organico & anima rationali compoſita, quæ definitiones omnes eſſentiales ſunt.

3. Pro explicatione ſciendum, *unius rei eſſe plures definitiones*, dupliciter poſſe intelligi: 1. Ità, *quoad eſſentiam*, quia ſcilicet plures exprimunt eſſentias, hócque modo impoſſibile eſt, unius rei plures eſſe definitiones, cùm enim unius rei unica ſit eſſentia, unicâ etiam hâc ratione ejus erit definitio; & hoc ipſo, quòd plures definitiones plures declarant eſſentias, non ſunt ejuſdem rei definitæ definitiones, ſed diverſarum: & hoc modo negare Philoſophum, *loc. cit.* unius rei plures eſſe definitiones, *ex textu* manifeſtum eſt. 2 Ità, *ut ſint plures & diverſa quoad conceptus, vel modum concipiendi*, licèt unicam eſſentiam explicent; & hoc modo unius definiti plures eſſe poſſunt definitiones eſſentiales, id quod probatum fuit. Tres enim illæ definitiones, ſunt plures, non priori modo, quia una & eadem eſt eſſentia, verb. gr. hominis quam explicant, ſed poſteriori, nempe quoad conceptus, vel modum concipiendi. Prima enim & ſecunda differunt à tertia, quòd illæ ſunt aſſignatæ per terminos logicos, hæc verò etiam per phyſicos, duæ priores autem inter ſe differunt, quòd in ſecunda, differentiæ communes actu exprimuntur, & à genere diſtinguuntur; in prima verò implicitè & in ipſo genere continentur, in animali ſiquidem mixtum, vivens, & ſenſitivum, eſſentialiter comprehenduntur.

Regula VII.

Definitio debet reciprocari cum definito.

1. Top. 7. §. 2.

1. *Definitionem cum deffinito reciprocari*, eſt *eam de definito & viciſſim definitum de definitione univerſaliter affirmari*, ut patet de definitione hominis: Omnis enim homo eſt animal rationale, & omne animal rationale eſt homo. Appellantur autem ea quæ ſic reciprocantur etiam convertibilia.

2. Cùm

2. Cùm autem quandocunq; aliqui termini, quales sunt definitio & definitum, inter se comparantur, vel repugnantes sint,vel convertibiles,vel se habeant ut magìs & minùs communes, vel ut excedens & excessum, quemadmodum patet ex Philip.Du Trieu, *tract.* 1 *p. c.*1.*a* 10. Patet hinc cùm *definitio & definitum sunt convertibilia*, quòd 1. *Non possint esse repugnantia*; in repugnantibus unum de altero non potest affirmari, quod de definitione & definito dicere absurdissimum est. 2. *Non debeant se habere ut magìs & minùs communia.* Definitio igitur 1. *Non sit latior*, sive magìs communis,quàm definitum,quia alioquin definitio quidem universaliter de definito, sed definitum non universaliter, sed particulariter tantùm de definitione prædicaretur : ut si quis definiat hominem, quòd sit animal bipes, omnis enim homo est animal bipes, sed non omne animal bipes est homo. 2. Quod non debeat esse *angustior*, seu minùs communis. Nam alioquin definitum quidem universaliter de definitione, sed definitio non universaliter de definito prædicabitur,ut si definias hominem animal rationale, sanum, nam omne quidem animal rationale sanum, est homo ; sed non omnis homo est animal rationale, sanum ; potest enim esse aliquis homo æger. 3. Non debent se habere ut *excedentia,ut excessa*, aliàs enim neutrum de altero uuiversaliter affirmabitur, sed utrumque de altero particulariter tùm affirmabitur tùm negabitur, ut si quis dicat hominem esse animal album,nam non omne animal album est homo , ut patet de cygno, nec omnis homo est albus, ut patet de æthiope, quoddam tamen animal album est homo, ut quidam homo est animal album, ut Germanus.

Regula XII.

In definitione nihil desit.

Dupliciter contingit, aliquid in definitione deesse, vel enim ità deest, *ut propter defectum hunc definitio non reciprocetur cum definito, sed sit latior.* Et talis defectus omninò tollit rationem definitionis, propterea

terea hoc modo nunquam aliquid deesse debet, ut si definias hominem, quòd sit corpus animatum, sentiens, ubi propter absentiam differentiæ specificæ definitio latior est definito. Vel ità deest aliquid, *ut tamen definitio amplior definito non sit, sed cum eo reciprocetur*, quod fit quando aliquid definitur per genus remotum & differentiam specificam, omissis differentiis intermediis: quibus de definitionibus quid sentiendum sit patet *ex reg. 6.*

REGULA IX.

In definitione nihil redundet. 6.top.c.1.§.6.

1. Ejus quod non rectè, sc. in definitione, *inquit ibi Aristoteles*, duæ sunt partes: una, si obscurâ interpretatione usus sit; altera, si plus dixerit in definitione quàm oportuit. Quicquid enim adjicitur in definitione supervacaneum est, quò pertinent quæ *l. c. c.7.* §. 3. habet, Omne illud redundat, quo ablato, id quod remanet perspicuam facit definitionem. Ità si definias hominem, quòd sit animal rationale, bipes, ablatâ hac voce *bipes*, reliqua verba sufficienter declarant essentiam hominis, *bipes* igitur redundat. Ex quo perspicimus, quid sentiendum sit de vulgata definitione Unius, quâ dicitur, Unum esse quod est indivisum in se, & divisum à quolibet alio, cùm enim ablatis illis verbis, *divisum à quolibet alio*, ea quæ remanent naturam unius exprimant, ipsa certè superflua sunt. Unde etiam Aristoteles, 5. *Metaph. c.6.* §.11. *& l.* 10. *c.*1 .*t.* 2. *& c.*5. *t.* 9. explicans naturam unius, tantùm per negationem divisionis eam explicavit, de divisione ab alio nihil dixit.

2. Potest autem aliquid redundare in definitione dupliciter: 1. Ità ut *definitio indè fiat angustior, nec cum definito reciprocetur*, ut si dicam, hominem esse animal rationale, sanum; & talis redundantia, quia omnino evertit naturam definitionis, omnino exesto. 2. Ut *latitudini ejus nihil decedat, sed maneat convertibilis cùm definito*, ut si dicas, hominem esse animal rationale, bipes; & hoc vitium priori longè est tolerabilius. *Vide Fonsecam, l.* 5. *inst. c.* 11.

REGULA

REGULA X.

Definitio non debet esse negativa. ex 1. post. c. 11. t. 103. & 6. top. 6. §. 5.

1. Dupliciter accipitur definitio: 1. & quidem magis propriè, Ut *à definito contradistinguitur*, & non est integra enunciatio, sed terminus complexus explicans rei essentiam, ut prædicatum hujus enunciationis, Homo est animal rationale. 2. *Pro integra enunciatione, ex definito & definitione concinnata*, qualis est integra hæc propositio, Homo est animal rationale. Diversum hunc vocis definitionis usum locis ex Aristotele & Quintiliano adductis vide probatum apud Fonsecam, l. 5. *inst. c.* 1.

2. Est autem in utroque sensu regula explicanda; 1. *post. t.* 103. asserit Philosophus, definitionem esse affirmativam, & loquitur de ea in posteriori acceptione: significat enim propositionem ex definitione & definito constantem non esse negativam, sed affirmativam. Et in hoc sensu regula nullam planè admittit exceptionem aut explicationem. Cùm definitio & definitum sint termini reciproci seu convertibiles, non potest unum de altero verè negari. At in 6. *top. c. 6.* loquitur de definitione juxta priorem acceptionem, & vult differentiam in definitione non debere esse negativam, sub qua voce etiam privativos terminos comprehendimus.

3. Pererius, *l.* 5. *de mat. & privat. c.* 11. Quanquam, *inquit*, 6. *top.* vituperantur definitiones negativæ, attamen hæ tolerantur, & propemodum necessariæ sunt in duobus rerum generibus, nimirum in *rebus imperfectissimis*, qualis est materia prima, cujus natura aptè declaratur removendo ab ea omnes perfectiones (unde Philosophus 7. *Met. t.* 8. his verbis materiam definivit, *dico autem materiam, quæ per se ipsam neque quid, neq; quantum, neq; aliquid aliud eorum est quibus ens determinatur*) & in rebus perfectissimis, cujusmodi est Deus, qui propter excellentiam suæ perfectionis magis à nobis cognoscitur remotione & negatione quàm affirmatione.

4. Sed

4. Sed limitatione istâ non opus esse existimo, nam materiam primam Philosophus non tantùm per negationem & remotionem definivit, 7. *Met. t.*8. sed apud usum etiam habetur definitio verbis positivis concepta. Nam, 1. *phys. Materia est primum subjectum, ex quo quippiam eo pacto fit, ità ut insit non per accidens, et si intereat, ad hoc ultimum proficiscatur.* Cùm igitur materiæ definitio detur verbis positivis concepta, ut quid dicit Pererius, propemodum necessarium esse eam negatione definiri. 2. Præter res imperfectissimas qualis est materia ; & perfectissimas, qualis est Deus, dantur etiam aliarum rerum definitiones negativæ, quæ æquè necessariæ esse videntur atque definitio negativa materiæ primæ. Ita Philosophus, 1. *top. c.* 4. accidens definivit ita, *Accidens est quod neque definitio est , neque proprium, neque genus, inest autem rei*; cui similem accidentis definitionem proponit Porphyrius, *in cap. de anteced.* In anteprædicamentis describens Aristoteles, quid sit esse in subjecto, *In subjecto*, inquit, *esse dico, quod est in alio, non tanquam pars*; & in prædicamento substantiæ, in definitione substantiæ primæ utitur negationibus, *Substantia*, autem inquiens, quæ *maximè propria*, & primùm & maximè dicitur, *est quod neque de subjecto aliquo dicitur, neque in subjecto aliquo est.*

5. Ubi simul vides, adductas omnes definitiones non esse negativas ut vox definitionis posteriori modò accipitur, sed ut accipitur priori. Non enim hæc propositio, Substantia prima est, quæ neque de subjecto aliquo dicitur neque in subjecto aliquo inest, est negativa, sed affirmativa; eademq; est ratio reliquarum. Ponuntur tamen negationes in his definitionibus, vel potiùs ipsæ definitiones sunt negativæ, prout â definitis contradistinguuntur.

6. Pro ulteriori regulæ explicatione distinguimus inter *definitiones essentiales*, seu propriè dictas, & inter *descriptiones. Descriptiones possunt esse negativæ*, imò sæpe sunt necessariæ. Quod definitiones propriè dictas attinet, iterum distinguo & dico, Definita esse

vel

vel *entia positiva* quæ in sua natura & essentia non includunt negationem, vel esse talia, quæ *in sua natura negationem important*. In prioribus, *definitiones non debent assignari per negationes*, nisi fortè vox quædam negativa sit, per eam autem positivum quid intelligatur. In posterioribus, quando scilicet definita ipsa in sua ratione negationem & privationem dicunt, *definitiones eo quidem pacto, quo earum definita talia capacia sunt, utique per negationem assignari possunt & debent*, id quod testatur ipse Philosophus, *6. top. c. 6.* §. 7. Fortasse, *inquiens*, in nonnullis necesse est definientem uti negatione, ut in privationibus, nam cœcum, est quod non habet visum, quem secundùm naturam habere debet.

REGULA XI.

Omnis definitio constat genere & differentiâ.

1. *Decet*, inquit Philosophus *6. top. c. 4.* §. 5. *eum, qui rectè definit, ex genere & differentia definire.* & ib. c. 6. § 5. *Ex differentia & genere est speciei definitio.* & 7. Met. c. 12. *Nihil est aliud in definitione quàm genus & differentia.*

2. Dicis I. Dantur definitiones ex materia & forma constantes. II. Nonnulla definiuntur per subjectum, & non per genus; ut simum est nasus concavus, album est corpus præditum colore disgregante visum. Ergò non omnis definitio constat genere & differentiâ.

3. *Resp.* ad 1. Etiam in definitionibus quæ dantur per materiam & formam, si accuratè assignentur, *debet poni genus*, quod reliquum est, & materiam & formam continet, vel differentia est, vel instar differentiæ, & generi adjunctum non minùs naturam rei explicat quam differentia, ut si dicas, Homo est substantia composita ex corpore organico & anima rationali.

4. Ad 2. Dico definitionem constare ex genere & differentia, quando id quod definitur est *ens per se*, & unius naturæ, sed quando *ens per accidens* est, quale est simum & album, ipse Aristoteles docuit

per

per *materiam* seu subjectum in casu recto, & sic generis loco positum, licitum esse definire. *Vide quæ circ tit. 9 reg. 8. & tit. 10. reg. 11. diximus.*

5. Notandum autem & hoc, tunc definitionem constare ex genere & differentia propriè dictis, *quando id quod definitur est species propriè dicta.* Cùm enim omnis species, secundùm essentiam suam, ex genere & differentia quodammodo componatur, ex genere & differentia definitur. At quando aliquid definitur, quod propriè loquendo non est species alicujus generis sed sub aliquo continetur, tanquam communi, πρὸς ἓν ἢ ἀφ' ἑνὸς, tunc per illud commune, atque ità non per genus, definitur. Quî enim id per genus definiatur, quod sub genere non est? Ità cùm Aristoteles, 1. *post. c.* 2. demonstrationem definivit per syllogismum, illa definitio non est, propriè loquendo, per genus, quia syllogismus non est genus demonstrationis, sed de illa prædicatur ut commune ab uno. *Vide Zabarellam, de spec. demonst. c.* 1. Quanquam certè apud Aristotelem definitiones ità propriè non dicantur nisi illæ quæ sunt specierum propriè dictarum: Quò pertinet quod 7. Metaph. 13. dicit, *Nullum igitur eorum, quæ species generis non sunt, quidditas* (τὸ τί ἦν εἶναι) *convenit, sed his tantùm.*

6. Quòd si quis ità etiam dicere velit, *omnem definitionem constare ex genere & differentia, vel iis quæ se habent ut genus & differentia*, non repugnabimus.

Regula XII.

In definitione non debet esse usus conjunctionis copulativæ & disjunctivæ.

1. Prior pars sumitur ex 2. *post. t.* 30. ubi dicitur, hominem esse animal bipes, terrestre, sed non esse animal, & terrestre. Posterior, ex 6. *top. c.* 7. §. 5.

2. Priori parti obstare videtur, quòd ipse Philosophus usus est conjunctione copulativâ in definitionibus, quod vel ex sola Naturæ definitione perspicitur. Dixit enim *naturam esse causam & principium motûs & quietis ejus, in quo inest, primò, per se*

& non secundùm accidens. 2. Quòd necessarium est in definitionibus quæ constituuntur ex partibus physicis poni conjunctionem copulativam, ut si dicas, hominem esse compositum quoddam ex corpore & anima rationali.

3. Contra posteriorem partem iterum videtur esse Philosophus, qui de *interpret. cap.* 4. *enunciationem* definivit, quòd sit *oratio in qua verum vel falsum inest:* & 1. *Prior. cap.* 1. *propositionem* dicit *esse orationem affirmantem vel negantem aliquid de aliquo.*

4. Respondeo, Conjunctionem copulativam dupliciter posse in definitione poni. Vel enim ponitur inter genus & differentiam, & hanc cum illo copulat, ut si dicas, Homo est animal & rationale, & hoc prohibet Philosophus, ut vel ejus exemplo manifestum est, negat enim hominem definiendum esse quòd sit animal & bipes, ubi τὸ *&* inter genus & differentiam collocatur: Vel ponitur inter illa ipsa verba, per quæ differentia, vel etiam genus, explicatur, & hoc ã Philosopho non est prohibitum. Et hinc patet responsio ad duo priora argumenta, siquidem in allegatis definitionibus conjunctio copulativa non connectit genus & differentiam, sed ponitur inter verba quibus genus vel differentia exprimitur. Ad illud quod §. 3. opponitur, respondeo, *Licere uti disjunctione, quando differentia specifica est ignota;* vel saltem pro captu aliorum definitio notior est, si disjunctione constet.

5. Scherbius *in disp. de differentiis t. 69.* respondet, quando definitum est ex eorum numero quæ dicuntur πρὸς ἓν ἢ ἀφ' ἑνὸς, sive, *per prius & posterius*, ita ut planè univoca non sint, nec unum omnino conceptum habeant, univocis tamen sint propinqua, tunc id non posse aliter definiri, nisi enumeratione rerum significatarum, & sic mediante conjunctione disjunctivâ: ita entis, cujus nullum conceptum dari dicit, definitionem, quantum rerum natura patitur, hanc esse ait, *Ens est substantia, aut quantitas, aut qualitas, aut reliquorum aliquid*. Ita & Alexander

in 1. prior. docet, propositionem non esse genus ad affirmativam & negativam propositionem, sed de illis dici per prius & posterius, & propterea per particulam disjunctivam, & enumerationem differentiarum definiri, quamvìs in hoc ipso Joh. Grammaticus contra eum disputet.

Regula XIII.

De quocunque affirmatur vel negatur definitio, de eo etiam definitum; & contrà, De quocunque affirmatur vel negatur definitum, de eo affirmatur vel negatur definitio, & vice versâ.

Itâ cùm *Theologia sit qualitas, perficiens potentiam naturalem*, nempè intellectum, *comparata crebris actionibus*, quæ est definitio habitûs mentis acquisiti, negari non potest, eam habitum esse, & quidem mentis, acquisitum. *Invidia est dolor perceptus ex rebus secundis viri boni*, & propterea invidus est is qui dolet propter res secundas viri boni. Hæc definitio cùm viro bono non conveniat, vir bonus non erit invidus. Sed in hisce immorari opus non est, cùm à pueris etiam intelligantur.

Regula XIV.

Quicquid affirmatur vel negatur de definitione, affirmatur vel negatur etiam de definito; & contrà, Quicquid affirmatur vel negatur de definito, affirmatur vel negatur etiam de definitione.

1. Inquis: De definitione affirmatur quòd explicet definiti essentiam, quòd sit notior definito. At id de definito dici nequit, definitum enim non explicat essentiam definiti, nempe sui ipsius, nec est notior definito, nempe seipso. Non E. omne id, quod de definitione dicitur, de definito etiam dici necesse est.

2. Resp.

2. Resp. *Regula loquitur de iis, quæ conveniunt definitioni vel definito, quoad materiale;* sive, quoad rem substratam, quâ ratione unum sunt. Ità perinde est, si dicam, Homo ambulat, ridet, disputat; sive dicam, Animal rationale ambulat, ridet, disputat, quantùm ad veritatem sermonis: at de iis *quæ conveniunt definitioni vel definito formaliter*, sive ut substant his notionibus, quâ ratione opponuntur, nec definitio est ipsum definitum; regula non est vera. Et hoc evincunt ea quæ § *præced.* proponuntur, quòd enim definitio explicat definiti essentiam, quòd eo notior est, hoc competit ipsi, ut definitio est & à definito distinguitur.

3. Est autem utraque regula, tam præcedens scil. quàm ista, non solùm intelligenda de definitionibus essentialibus & propriè dictis, sed & de iis quæ vulgò *descriptiones* dicuntur, nam ratio utriusque regulæ ea est, quòd definitio & definitum reciprocantur & sunt convertibilia, cùm igitur & descriptio debeat converti cum eo cujus est descriptio, necesse est ut & istæ regulæ de descriptione, & de eo cujus est descriptio, veræ sint.

TIT. XIII. continens REG. VII. *circa doctrinam* *Divisionis sive Distributionis.*

Regula I.

Divisum & omnia membra divisionis simul sumta, debent inter se adæquari.

1. Duobus modis accidit, divisum & membra divisionis simul sumta non adæquari: 1. *Quando aliquid in diviso continetur, quod in membris dividentibus non continetur;* ut si dicas, Animalium aliud habet alas continuas, aliud scissas, datur enim animal quod nec continuas habet nec scissas, quia scilicet nullas habet, ut bos. In idem vitium incides, si corporis humani

humani partes dicas esse tres, ventrem supremum nimirum, medium, & infimum. Nam in corpore humano continentur etiam artus, qui inter membra hujus divisionis non recensentur. 2. *Quando in membris dividentibus continetur aliquid quod non continetur in diviso*, ut si animal dividas in hominem, brutum & plantam, planta enim sub animali non continetur. Vult igitur regula, *omnia quæ in vel sub diviso continentur, deberi etiam contineri in vel sub membris dividentibus, & vice versâ.*

2. Obstare videtur, quòd *Physica dividitur in partem communem & propriam*, quæ tamen duo membra simul sumta non adæquantur physicæ, sed extra eam patent, cùm etiam Logica soleat dividi in partem communem & propriam. Item hujus divisionis, alborum quædam sunt dura, quædam mollia, quædã liquentia: membra simul sumta latiùs patent quàm album, quia etiam atrorum quædam dura sunt, ut ferrum, quædam mollia ut pix, quædam liquentia ut atramentum.

3. Resp. cum Fonseca, *l.4.inst.c.*10. In divisionibus hujusmodi ipsum divisum in singulis membris debere exprimi, aut certè subintelligi. Unde cùm physica dividitur in partem communem & propriam, membra dividentia non sunt simpliciter pars communis & propria, sed pars physicæ communis & pars physicæ propria. Hoc modo membra ista Logicæ non competunt, quia Logica dividi nequit in partem physicæ communem & partem physicæ propriam. Eadem ratio est posterioris divisionis, nam molle, durum, liquens, conveniunt quidem atris, sed si ipsum divisum subintelligatur, ità ut membra sint, album durum, album molle, & album liquens, jam atro non conveniunt, nec extra album patent.

4. Dici etiam potest *pars communis & propria* quæ physicæ tribuuntur, cùm Logicæ etiam applicantur, non esse eadem membra, quia *æquivocè hisce diversis disciplinis tribuuntur*, quod patet ex earum definitionibus. Nam si physicam dividas in partem communem & propriam, *pars communis dicitur, in qua agitur de corpore naturali in genere; pars propria autem,*

in

in qua agitur de speciebus corporis naturalis. Hæ definitiones non competunt parti communi & propriæ, quando hæc vocabula logicæ dividendæ accommodantur. Sic igitur nego, cùm physica in partem communem & propriam dividatur, membra hujus divisionis logicæ competere, quæ enim æquivoca sunt pro iisdem non habentur.

REGULA II.

Divisum plus debet continere, quàm singula membra divisionis; vel, *Singula membra divisionis minus contineant quàm divisum.*

1. Ità, cùm animal dividitur in hominem & brutum, plus continet animal, quàm homo, quia præter hominem continet etiam brutum; plus etiam continet quàm brutum, quia præter brutum continet hominem. Sic etiã cùm homo dividitur in corpus & animam rationalem, plus continet homo, quàm corpus, quia præter corpus continet animam; plus etiam continet quàm animam, quia præter animam continet corpus.

2. Obstare autem regulæ videtur, quòd hujus bonæ divisionis, Hominis altera pars ratione ipsum componens est animal, altera rationale: prior pars quæ animal est plus continet quàm homo, qui hîc dividitur, continet enim & hominem & brutum. Verùm ad hanc objectionem *reg. seq.* respondebimus.

REGULA III.

Membra divisionis debent inter se esse opposita.

1. Ità expressè Philosophus, 10. *Metaph.* c. 11. Πάντα γὰρ διαιρεῖται τοῖς ἀντικειμένοις. & 1. *de part. animal.* c. 3. τοῖς ἀντικειμένοις χρὴ διαιρεῖν, ità non possunt dividi animalia in alba & natantia, ut ibi habet Aristoteles, quia natans potest esse simul album. Ità Scaliger, *de plant.* 2. *pag.* 420. reprehendit divisionem causæ in efficientem, materiam, formam, finem & instrumentum, quòd instrumentum

non opponatur causæ efficienti sed sub ea cõtineatur.

2. Importat igitur hæc regula, ut nè unum membrum divisionis sub altero contineatur (*quorum autem unum sub altero continetur, illa non opponuntur*) quemadmodum per *præcedent. reg.* docemur, & divisum non debere contineri sub aliqua parte dividente. Quòd si enim sub parte aliqua ipsum divisum contineretur, jam illa pars non contineret minus quàm ipsum divisum, quia sub diviso continentur omnes partes dividentes.

3. Verùm hîc objicitur, I. Ens dividitur itâ, ut dicatur accipi dupliciter: *Nominaliter*, & *participialiter*, & tamen hîc unum membrum sub altero continetur, cùm ens participialiter sumtum contineatur sub ente nominaliter sumto, sicut metaphysici docent. Eadem ratio est, quòd nomen *substantia* itâ distinguitur, ut interdum accipiatur latè pro essentia, quomodo etiam accidentibus convenit; interdum strictiùs, ut opponitur accidenti; & tamen substantia sumta ut opponitur accidenti, continetur sub substantia ut sumitur generaliter pro essentia.

4. II. Divisio quâ bonum in *honestum, jucundum*, & *utile* distribuitur, approbata est tanquam bona, & tamen membra ejus non opponuntur, siquidem eadem actio potest esse utilis, jucunda, & honesta.

5. III. Aristoteles dividit substantiam in materiam, formam & compositum, compositum tamen tanquam membrum divisionis continet in se reliqua, nempe materiam & formam, constituitur enim compositum ex materia & forma.

6. IV. Arguitur simul contra præsentem & præced. reg. Prædicabile dividitur *in genus, speciem, differentiam, proprium* & *accidens*, & tamen ipsum divisum continetur sub aliquo membro dividente, scil. genere, quia prædicabile est genus respectu generis, speciei, & reliquorum prædicabilium, & hoc est contra *præced. reg.* Item omnia membra hujus divisionis continentur sub uno membro, nempe specie, nam *genus, species, differentia, proprium* & *accidens* sunt species ipsius prædicabilis. Eadem difficultas videtur occurrere in

oppo-

oppositis, ubi & ipsum divisum & membra divisionis sub uno membro, nempe relativè oppositis continentur. Nam ipsum divisum, oppositum sc. est relativè oppositum, est enim oppositum opposito oppositum, & contrarium est contrario contrariū, contradictorium contradictorio contradictorium, &c sicque aliæ oppositionis species sub relativè oppositis continentur.

7. V. In divisionibus substantiarum in species aut differentias substantiales membra divisionis non opponuntur, non opponuntur relativè, quia non consistunt in mutua σχέσει aut habitudine, ut patet de rationali aut irrationali, quæ sunt differentiæ animal dividentes, nec sunt privativè aut contradictoriæ oppositæ, cùm quælibet harum differentiarum aut specierum sit aliquid positivum, sed nec ut contraria, quia substantiis nihil est contrarium.

8. VI. *Oppositio est tantùm inter duo*, ut patet ex Aristotele, 10. *Met.* sed membra divisionis sæpe plura sunt quàm duo, E. inter ea sæpe non est oppositio.

9. Ad 1. Resp. regulam intelligendam esse de *veris divisionibus*, quæ sunt rerum, ut quibus genus dividitur in species, in hisce unum membrum divisionis non debet contineri sub altero. At de distinctionibus *vocabulorum æquivocorum in sua æquivocata* alia est ratio. Ut enim hæ non sunt propriè divisiones, ita non mirum si non quadrant ad rigorem regularum veræ divisionis. In illis certè unum membrum distinctionis potest sub altero contineri; id quod probatur argumento §. 3. proposito. Sunt enim illæ non veræ divisiones, sed distinctiones vocabulorum, posśetq; illa res mille aliis exemplis ostendi.

10. Ad 2. resp. Fonseca, *l.* 4. *inst. c.* 3. repugnantiam membrorum dividentium sæpenumero non *in verbis*, sed *in sensu* quo divisio usurpatur, sitam esse, ut in illa Pythagoræ divisione: Eorum qui ad ludos Græciæ confluebant, quidam spe victoriæ, alii quæstum faciendi cupiditate, alii visendi studio ducebantur. Hic quod verba attinet, nulla est membrorum dividentium repugnantia: fieri enim potuit ut multi & lucri cupiditate, & spectandi simul studio ducerentur.

In ſenſu tamen cernitur repugnantia, ſi hoc modo diviſionem interpreteris: Eorum qui ad Græciæ ludos unâ præcipuè de cauſa confluebant, quidam ſpe victoriæ, quidam lucri faciendi cupiditate, nonnulli ſtudio viſendi confluebant. Hâc ratione poterit probari diviſio boni, & dici, membra eſſe oppoſita hoc ſenſu: Eorum in quibus una aliqua bonitatis ratio potiſſimùm elucet, quædam utilia tantùm, quædam honeſta ſolùm, alia jucunda tantùm dicuntur.

11. Quantùm ad 3. & id quod *reg. præc.* objectum fuit, dicimus, *fieri poſſe ut aliqua mutuò ſe contineant*, ut A verbi gratiâ contineatur à B, & B viciſſim contineatur ab A, ſed diverſo modo. Sub aliquo membro diviſionis, nec ipſum diviſum, nec alia membra debent contineri eodem modo, quo ipſum diviſum membra continet; diverſo tamen modo ſi fiat, nihil abſurdi eſt. Quando igitur diviſum tanquam totum eſſentiale aut integrale continet in ſe membra diviſionis actu, quoniam nimirum actu ex illis conſtituitur, unum illorum membrorum, nec diviſum ipſum, nec alia membra actu contineri poteſt. Quando autem diviſum, tanquam totum univerſale, continet membra diviſionis poteſtate tantùm, & quoad amplitudinem prædicationis, quia ſcilicet de ſingulis prædicatur, tanquam magìs commune de minùs communibus, nullum membrum diviſionis ipſum diviſum, & alia membra, hoc modo continere debet. Et ex hiſce patet reſponſio ad argumentum tertium, & ad id quod *reg. præced.* objiciebatur; nempe ſubſtantia tanquam diviſum continet materiam, formam, & compoſitum per modum generis, & ſic potentiâ & amplitudine prædicationis, quia de illis omnibus prædicatur. Hoc modo compoſitum non continet materiam & formam, quia de illis non prædicatur. Continet igitur compoſitum, materiam & formam actu, quantùm ab iis conſtituitur, qui eſt diverſus continendi modus ab eo, quo ſubſtantia tanquam diviſum iſta omnia membra continet. Itâ homo tanquam totum eſſentiale phyſicum continet actu in ſe animal & rationale, & ſic actu plus continet quàm animal, quia animal

mal non continet actu in se rationale, quòd autem animal plus continet quàm homo, fit diverso modo, quia continet plus potentiâ & amplitudine prædicationis, cùm & de homine ipso prædicetur & de brutis, de quibus homo non prædicatur.

12. Similiter: quando divisum continet membra essentialiter, quia scilicet de illis essentialiter prædicatur, non potest fieri ut unum membrum vel ipsum divisum, vel alia membra, hoc modo contineat. At absurdum esse non videtur, si sub membro aliquo divisum ipsum aut alia membra contineantur *accidentaliter*. Ex quo sumi potest responsio ad 4. *prædicabile*, tanquam divisum continet sub se genus, speciem, differentiam, proprium & accidens *essentialiter*, quia de illis per modum generis prædicatur, continetur etiam prædicabile sub genere, quia est genus eorum, sive, ut diximus, de illis per modum generis prædicatur, omnia etiam prædicabilia continentur sub specie, quia sunt omnes species ipsius prædicabilis, at hoc fit accidentaliter. Hæc enim prædicatio, *Prædicabile est genus quinque prædicabilium*, est accidentalis, cùm omnis prædicatio sit de omni, si igitur essentialis esset, omne prædicabile esset genus quinque prædicabilium; ita cùm dico, Genus est species τȣ prædicabilis, differentia est species τȣ prædicabilis, &c. æquè prædicationes accidentales sunt, atque cùm dico, hominem esse speciem animalis, albedinem speciem coloris; eadem responsio accommodanda est ad objectionem de oppositis. Contraria, relativè, privativè & contradictoriè opposita, formaliter sumta, continentur sub oppositis tanquam species sub genere, & ita cùm opposita generaliter accepta de illis prædicantur, est prædicatio essentialis: At oppositum in sua latitudine dicitur oppositum relativè oppositum, & contrarium contrario relativè oppositum, &c. accidentaliter.

13. Ad 5. & 6. potest dici, *opposita* hîc ita accipi, ut etiam *disparata* complectantur, quorum unum pluribus repugnat. Ad 5. in specie etiam respondetur, *contrarietatem* esse duplicem: Quædam est

 perfecta,

perfecta, & est maxima distantia rerum sub eodem genere, inter quas datur motus physicus seu transmutatio successiva: Quædam *imperfecta*, & maxima est distantia rerum sub eodem genere, & sic contraria sunt quæcunque specie differunt sub eodem genere. Substantia non est substantiæ contraria contrarietate perfectâ, quæ Aug. Niphus, 10. *Metaph.* *q.* 6. *c.* 4. vocat *contraria secundùm rationem physicam*; & hoc modo sumit *contraria* Aristoteles in prædicamentis. Substantia tamen una alteri contraria est contrarietate imperfectâ, quæ Niphus vocat *contraria secundùm rationem metaphysicam*, quomodo sumit Aristoteles contraria *l.*10. *Met.* Vide Aug. Niphum, *l.*2.*&* Soncinatem,*l.eod.q.*24.

14. Ad 6. & hîc dici potest, *opposita* ita accipi, ut etiam complectantur *disparata*, aut dicitur ita, quòd licèt sæpe sint plura membra divisionis, quàm duo, posse tamen illa per aliam divisionem & subdivisionem eò redigi ut semper *una differentia uni tantùm respondeat*. Dicit enim Soncinas, *loc. cit.* omne genus dividi immediatè duabus tantùm differentiis, ita prædicabilium quinq; constituuntur species, possunt autem eò redigi, ut semper una differentia uni tantùm in divisione respondeat: Hoc vel simili modo, quòd scilicet quæ de pluribus prædicantur vel prædicantur *essentialiter* vel *accidentaliter*; quæ essentialiter prædicantur vel *in quid* vel *in quale*: quæ in quid, vel *de pluribus specie differentibus* prædicantur, & *est genus*; vel *de pluribus numero tantùm differentibus*, & *est species*. Quod autem in quale essentialiter prædicatur, *est differentia*. Rursus quæ accidentaliter prædicantur vel *necessariò* prædicantur & *reciprocè*, & tunc est *proprium*; vel *contingenter*, & non *reciprocè*, & tunc est *accidens*.

REGULA IV.

Divisio debet fieri in partes immediatas. ex Aristotele 2. posterior. t. 75.

1. Bifariam potest dici *partes divisionis mediatæ*:
1. *Inter se*, quando nimirum aliquid sub diviso conjunctur,

tinetur, quod sub partibus non continetur, ut si animal dividatur in terrestre & aquatile, datur enim animal volatile, quod nec sub terrestri nec aquatili continetur. 2. *Respectu ipsius divisi*, quando scilicet partes ipsum divisum non immediatè attingunt, quod fit, quando inter divisum & partes intercedunt unus vel plures conceptus, qui comprehenduntur à diviso, & comprehendunt partes, ut si quis divideret corpus animatum, tanquam genus, in brutum, hominem, & plantam, tanquam species, intercedit enim corpus animatum, & inter hominem & brutum, animal, quod est species corporis animati, & genus hominis & bruti. Aut si quis divideret corpus animatum, in hominem, brutum, arborem, fruticem & herbam, intercedunt enim inter divisum & partes dividentes duo conceptus, nempe animal & planta, qui tanquam species sub corpore animato continentur & continent, animal quidem hominem & brutum, planta verò reliquas species.

2. Priori modo, *Si in partes mediatas divisio fiat, nullo modo tolerabilis est*, quoniam sic partes non adæquantur ipsi diviso. Si posteriori modo fiat, dico fore 1. *Ut sæpè partes divisionis resultent admodum multæ*, ut patet in divisione corporis animati in hominem, brutum, arborem, fruticem & herbam. Longè plures autem fierent, si loco bruti species ejus, ut equum, bovem, leonem, &c. poneres. Sic enim infinita ferè membra divisio esset habitura. 2. *Ut oriatur confusio, & importuna ejusdem repetitio*, ut si corpus animatum dividas in ratione præditum & ratione destitutum, in explicatione illius necessariò tibi erit agendum de ratione sentiendi, cùm essentialiter in eo, nempe corpore animato ratione prædito, includatur: At verò hîc idem conceptus denuò occurret in subdivisione corporis animati, ratione destituti, quia hoc dividendum esset in sentiens & sensûs expers.

3. Nota autem, *fieri posse, ut in eadem divisione utroque modo peccetur*. Ut si dividatur animal in id quod alas integras habet, & quod fissas. 1. Enim in hisce membris non omnia genera animalium conti-

nentur, cùm detur animal nullas habens alas. 2. Inter partes divisionis, nempe animal habens alas integras & habens fissas, & inter ipsum animal tanquam divisum datur conceptus intermedius, nempe animal alatum, quod est species animalis habentis alas integras & fissas. Et sic membra hujus divisionis non attingunt immediatè ipsum divisum. Primùm ergò dividendum animal fuerit in alatum & alis destitutum, & illud vicissim in habens alas integras & habens fissas.

4. Docet autem Fonseca, *c. l. 6. c.* 11. sæpe nos dividere totum in partes remotiores seu secundo modo ignotas, quòd ignotæ nobis sint proximè atq; immediatè.

Regula V.

Membra divisionis non debent esse admodum multa.

1. Inconveniens certè esset, si quis animal divideret in hominem, simiam, equum, leonem, canem & reliquas species specialissimas, ut sic longissima efficeretur oratio. Quòd si alicujus totius admodum multæ sint partes, utendum est primò divisione in pauciores, proximiores seu immediatiores, quarum partium subdivisiones tamdiu instituendæ, donec ad species specialissimas, aut alias minimas partes perveniatur. Si enim una divisio per admodum multa constituatur membra, fieri vix potest, quin eadem etiam sint remotiora, & minimè immediata. Videtur præterea facilior reddi cognitio, si subdivisionibus potiùs utamur quàm si omnia membra in unam divisionem conjiciamus, quantùm per subdivisiones eorum convenientiæ simul & differentiæ nobis innotescunt.

2. Cæterùm non ità superstitiosi esse debemus, ut nullas admittamus divisiones, nisi bimembres. Non veretur Georg. Adamus Brunnerus, *in synopsi locor. legal. loc.* 5. scribere, in tradendis divisionibus Jurisconsultos non esse adeo adstrictos regulis Philosophorum

phorum, ratio ejus est, quòd Philosophi abstinere jubeant à divisionibus quæ non sint bimembres, cùm tamen Jurisconsulti plures ferè habeant trimembres & quadrimembres, quàm bimembres. Verùm injuriam fecit Philosophis, nam apud ipsos multæ, eæque celebres sunt divisiones constantes pluribus membris quàm duobus. Sic Aristoteles, 1. *Ethic.* c. 8. scribit, bona esse distributa in tres partes, aliáq; externa, alia animi, alia corporis dici. Propositionem, 1. *prio. c.* 1. dividit in universalem, particularem, & indefinitam. Et quid opus est recensere omnes divisiones illas apud Aristotelem, & alios præstantissimos Philosophos occurrentes. Quòd si nonnulli ex novatoribus sunt, quibus omnes divisiones, nisi duorum membrorum sint, sordeant, error hic & intemperies non est adscribendus Philosophis sine discrimine.

3. Ejusdem farinæ est, quòd aliàs sæpe ab illis, qui artis logicæ ignari sunt, auditur, nempe Jurisconsultos non esse adstrictos in definiendo ad regulas Logicorum. At certè adstricti sunt in loquendo ad regulas Grammaticorum. Non enim Jurisconsulto permissum est ut dicat, *patrius potestas*, aut *nuptiæ incepti*, Ergò, etiam in dividendo & definiendo ad regulas Logicorum adstricti sunt, quia ut *Grammatica est ars docens loqui*, sic *Logica est ars docens definire & dividere*, & quantum juris illa habet in sermonem, tantum ista habet in definitiones & divisiones. Præterea Jurisconsultis in argumentando non licet transgredi regulas Logicorum, Ergò, nec in definiendo & dividendo, quia eadem est ratio, cùm Logici sit non minùs regulas definiendi & dividendi proponere, quàm modum argumentandi docere. Antecedens patet, quia ipsis non licet argumentari in prima figura ex minori negativa aut majori particulari, nec in secunda ex utraque præmissarum affirmativa.

REGULA VI.

Per negationem non est dividendum.

1. Duplex est negatio: *Absoluta*, & *privativa*. Illa est terminus negativus alteri contradictoriè opposi-

tus, ut non homo, qui homini contradictoriè opponitur. Hæc est terminus negativus alteri privativè oppositus, ut somnus, qui est privatio vigiliæ. De utraque negatione regula intelligenda videtur, & est sensus, *Cùm aliquid dividitur in partes, constituto uno vel pluribus membris positivis, non esse addendum aliud quod negationem ejus vel eorum significet, sive illa negatio sit privativa, sive absoluta.*

2. Quod tamen ad divisionem subjecti in accidentia, & similes divisiones, extendendum esse non existimo; quid enim desideratur, si dicatur, animalium aliud vigilat, aliud dormit, & usitata est divisio vocis in significativam & non significativam: & ratio est, quia nihil impedit, quo minùs negatio sit accidens alicujus. Quòd si universale in species & differentias essentiales dividere velimus, certum est, nullam partem posse esse negativam, negatio enim non est species alicujus positivi, neque ut differentia essentialis illi subjicitur.

3. Tribus tamen de causis, inquit Fonseca, *l.* 4. *inst. c.* 12. cogimur interdum dividere rem in partem unam, & in negationem alterius partis: 1. Est, ut *faciamus divisionem necessariam, & quam nemo negare possit, de quacunque enim re vera est affirmatio vel negatio.* 2. Est, quia sæpenumero *reliqua pars, aut partes ex opposito illi respondentes, carent nominibus positivis*, quo fit ut ad negativas sit confugiendum, ut cùm substantiam dividimus in corpoream & incorpoream, animal in rationale & irrationale, quia ignoramus veras differentias quæ angelum & brutum constituunt, si fortè brutum animal est una quædam species animalis. 3. Est, *si partes, in quas divisio immediatè facienda est, fuerint plures quàm perspicuitas divisionis pati possit.* Tunc enim omnes præter unam significandæ sunt, nomine significativo, ut si dicas, bestiarum aliæ sunt pennatæ, aliæ implumes, nisi velis partes quasdam nominare, reliquas verò omnes paucis verbis complecti; ut si dicas, Figurarum rectilinearum, quædam est trium laterum, quædam quatuor, aliæ verò plurium, &c.

REGULA VII.

Cujus divisionis membra continent rationes contradictorias, inter ea non datur medium.

1. Atqui inquis 1. Membra non debent continere rationes contradictorias, aliàs alterum necessariò esset negativum, quod præcedente regulâ prohibitum fuit. 2. Omnia contradictoria carent medio, quid ergò opus est hoc de membris divisionis rationes contradictorias importantibus specialiter docere.

2. Respondeo ad 1. Aliud est, aliqua esse *formaliter contradictoria*; aliud, *continere* vel *includere contradictoria*, seu *rationes contradictorias*. Ad illud requiritur ut alterum sit terminus negativus, ut homo non homo, at hoc potest contingere etsi utrumque sit positivum, quantum ex uno sequitur negatio alterius, sicut cùm ens dividitur *in* substantiam & accidens, partes non sunt formaliter contradictoriæ, cùm utraque sit aliquid positivum, continet tamen rationes contradictorias, quia accidens est ens in alio tanquam in subjecto, substantia verò est ens per se subsistens, hoc est, quod non est in alio tanquam in subjecto. Hîc, esse in alio tanquam in subjecto, & non esse in alio tanquam in subjecto contradictoria sunt, ut patet, sicut animal dividitur in hominem & brutum, quæ membra continent rationes contradictorias, quatenus animal rationale homo est, brutum verò animal non rationale.

3. *Instas:* Hoc modò regula non erit vera cùm inter membra, rationes contradictorias includentia, medium detur, sicut planta est medium inter hominem & brutum, cùm neque homo sit neque brutum. Ita etiam Chimæra est medium inter substantiam & accidens, cùm neque sub illa neque sub hoc comprehendatur.

4. Resp. *Inter contradictoria formaliter nullum datur medium*, sed sub iis continetur ens & non ens, sicut nihil concipi potest quod non sit homo vel non homo. At inter ea *quæ positiva sunt continent tamen rationes contradictorias, non datur medium ejus generis,*

seu quod contineatur sub diviso cujus illa sunt partes. Absolutè tamen inter ea *potest dari medium*, sed illud medium extra illud genus est, sive divisum, & hoc probat argumentum §. *prac.* planta enim inter hominem & brutum, & Chimæra inter substantiam & accidens medium est, sed ita, ut planta non contineatur sub animali, cujus species sunt homo & brutum, & Chimæra est extra ens reale, quod in substantiam & accidens dividitur.

5. Ratio autem hujus diversitatis est, quòd eorum quæ formaliter contradictoria sunt, alterum est simpliciter & purè negatio alterius, ita ad omnia se extendat, præter id cujus est negatio, neque per aliquid positivum restringatur. At membrorum divisionis positorum, quæ continent rationes contradictorias, alterum importat negationem alterius, ita ut amplitudo negationis ejus restringatur per ipsum divisum, quantum quælibet divisionis est divisi pars, atque ita negatio illa coarctatur ita, ut extra divisum non porrigatur

6. Notandum tamen hîc probè est, non sufficere ad hoc, ut inter membra divisionis non detur medium, quòd contineant rationes contradictorias quovis modo, vel quod eódem recidit, quòd unum importet negationem alterius. Nam si colorem dividam in albedinem & nigredinem, hæc membra continent rationes contradictorias, cùm albedo sit color disgregativus visûs, nigredo sit color non disgregativus visûs, & nihilominus inter albedinem & nigredinem dantur colores medii: requiritur ergò ut membrum unum ita alterius negationem importet, ut conceptus constans ex diviso & negatione illa, cum membro illo reciprocetur, neque sit latior, quemadmodum patet in divisione animalis in hominem & brutum, ubi homo & brutum rationes contradictorias important, quantùm homo est animal rationale, brutum verò animal non rationale, ubi animal non rationale cum bruto reciprocatur, quicquid enim brutum est, animal non rationale est, & quicquid animal non rationale est, brutum est. Idem perspicitur in divisione entis in substantiam & accidens.

7. Atque

7. Atque hinc manifestum est, cur, etsi nigredo importet negationem contradicentem rationi albedinis, colores tamen dentur intermedii, & nec sub albedine nec sub nigredine contenti: ratio nimirum est, quia non est idem, esse nigredinem, & esse colorem non disgregativum visûs, h. e. esse colorem non disgregativum visûs non reciprocatur cum nigredine, cùm non omnis color qui non disgregat visum sit nigredo.

8. His sic explicatis pro regula argumentor itá: Sicut se habet rationale & non rationale ad medium, quod sit animal: sic inter rationale & non rationale simpliciter non datur medium, Ergò, neque inter rationale & non rationale datur medium, quod sit animal: Ergò, neque inter hominem & brutum, quia homo & brutum idem sunt, quod animal rationale, ac animal non rationale: quod argumentum accommodari potest ad cujuslibet divisionis membra contradictionem involventia.

9. Ex dictis jam etiam liquet quid respondendum sit ad argumentum secundum, §. 1. Cum enim 1. Non idem sint contradictoria simpliciter, & membra alicujus divisionis rationes contradictorias importantia. 2. Inter illa nullum planè detur medium, inter hæc verò tantùm non detur medium quod sub diviso contineatur, manifestum est, non absque causa hoc de divisione præceptum esse propositum.

TIT. XIV. continens REG. XIV.

circa doctrinam Subjecti & Accidentis.

QUia hactenus Regulas, tria priora prædicabilia quæ essentialiter prædicantur, concernentes proposuimus,

posuimus, Titulos etiam de Definitione & Divisione, quæ, quo modo cum istis prædicabilibus connexa sint, absolvimus; Consequens est ut de Subjecto & Accidente *aliquid dicamus. Cum autem* accidens *præcipuè ità hîc sumamus, ut opponitur* essentiæ; proprium *etiam sub eo comprehensum volumus.*

REGULA I.

Quicquid advenit enti, est accidens.

1. Tripliciter accipi potest vox *accidentis*, quantùm ad præsens: 1. Ut *opponitur substantia*, & dicitur *accidens prædicamentale*, quomodo accipitur, cùm ens in substantiam & accidens dividitur, neque ulla substantia hâc acceptione accidens dici potest. 2. Ut *opponitur essentia*, vel ei, quod est de essentia, & sic dicitur omne id, quod cùm alicui competat, non est essentia, vel de essentia & ratione formali ejus. 3. Pro eo, quod *continetur sub quinto prædicabili, & opponitur quarto prædicabili*, quod *proprium* vocari solet, diciturque propterea *accidens prædicabile*.

2. Quidam intelligunt regulam de *accidente prædicamentali*, inter quos est Joan. de Rada, 1. *sent. controvers. p.* 64.

3. Sed ista sententia non placet: Nam dens, vel dentatum esse, advenit homini postquam jam est in actu, & quidem completo, & tamen dens vel dentatum esse potiùs substantiam importat, quàm accidens: sic & in polypo caruncula, interiora nasi occupans, advenit homini, post esse perfectum & completum, quæ tamen substantia est. Quapropter nos latiùs vocem *accidentis* hîc, & accipimus secundo modo, *ut opponitur essentiæ & essentiali.*

4. Plerique

4. Plerique etiam accipiunt regulam de *actu completo*, ita eam enunciantes, Quicquid advenit enti in actu completo, est accidens. Verùm si loquuntur de accidente in prima significatione, nempe de prædicamentali §. *praced.* jam in contrarium disputavimus, & regulam sic veram non esse ostendimus. Si in secunda sumunt significatione, sicut non negamus eam hoc modo formatam esse veram, h. e. concedimus *id quod advenit enti in actu completo esse accidens*, ita asserimus veritatem & usum ejus latiùs sese extendere, atque adeo omne *quod advenit enti, quod est actu sive completo, sive incompleto, esse accidens ejus*. Ita cùm anima à corpore separata, dicit intellectionem, aut cùm corpori denuò unitur, hæc dubio procul sunt accidentia ejus, cùm istæ propositiones, Anima intelligit, anima unitur corpori, sint accidentales, & tamen adveniunt animæ constitutæ in actu non completo, cùm non sit ens completum, sed incompletum, & ratio est, quia accidens hîc dicitur omne illud, quod cùm rei competat, est extra ejus essentiam. Atque etiam illud quod advenit enti constituto in actu incompleto, ei competit ita, ut sit extra ejus essentiam, sicut manifestum est ex modò posito exemplo.

5. Dicitur autem ens actu id quod *est in rerum natura extra nihil.* Et sic sensus regulæ constituitur hic, Quicquid advenit, i. e. competit rei, ita ut præsupponatur jam esse in rerum natura, illud ita ipsi competit, ut sit extra ejus essentiam. Est autem & de accidente in tertia significatione regula hoc modo vera, *Quicquid* enim *competit rei post esse in rerum natura, ita competit ipsi, ut possit abesse & adesse citra ejus corruptionem*, quæ est definitio & conceptus accidentis in tertia significatione. Res clara est, si ad exempla §. *prac.* respiciamus.

6. Alii pro voce *actu* usurpant vocem *esse*, dicentes, Quidquid advenit enti, post ejus esse, est accidens, ubi repetitum volumus ex *reg.* 4. *tit.* 5. duplicis esse apud Philosophos fieri mentionem, nempe *esse essentiæ*, & *esse exsistentiæ*. De esse exsistentiæ explicavimus jam

jam reg. §. *praeced.* Diximus enim ens in actu vocari id, quod est in rerum natura extra nihil: Atqui aliquid esse in rerum natura extra nihil, & habere esse exsistentiæ, sunt unum & idem.

7. Potest tamen regula in sano sensu etiam latiùs extendi, ita ut per *esse* intelligatur esse essentiæ, sive ipsa essentia (*hæc enim idem sunt*) sitq; sensus, *Quicquid competit enti præsupposità ejus essentiâ, illud est accidens ejus, sumtâ hac voce in secunda significatione.* Ut enim non semel diximus, quod competit rei, ut non sit essentia vel de essentia ejus, id est ejus accidens. Atqui quicquid convenit rei præsuppositâ & conceptâ jam ejus essentiâ, id ita convenit ipsi, ut non sit essentia vel de essentia ejus; aliàs enim non competeret ipsi præsupposità & conceptâ jam essentiâ, sed in conceptu ejus includeretur: E. omne quod est hujusmodi, accidens est; ita de quantitate prædicatur, quòd sit divisibilis, dico divisibilitatem esse accidens quantitatis, quia ita prædicatur de quantitate ut sit extra ejus essentiam, nam essentia quantitatis consistit in hoc, quòd sit accidens extensum, h. e. habens partem extra partem; hunc conceptum essentialem quantitatis sequitur, quòd sit divisibilis, divisibilitas igitur prædicatur de quantitate, ut non sit essentia vel de essentia ejus, aliàs enim non sequeretur conceptum essentialem ejus.

8. Inquis, hanc regulam non posse accommodari ad proprietates rerum, imprimis si à re ipsa non differant secundùm rem, quomodo se habet divisibilitas respectu quantitatis. Quod enim semper convenit rei, imò realiter idem est cum ea, illud non potest dici ipsi advenire: At propria semper conveniunt rei, imò revera sunt ipsæ res, quemadmodum divisibilitas est ipsa quantitas.

9. Resp. *Propria rei, ut divisibilitas quantitati, non possunt dici advenire, quantùm ad rem,* seu quantùm ad esse in se, multò minùs autem ratione temporis, quasi tempore posteriora sint, possunt tamen dici advenire rei in esse, *in quantùm concipitur, sive, quantùm ad conceptum ejus,* Cùm enim essentia rei sit id quod

primò

primò in re concipitur, proprium cùm ejus conceptus sit posterior, & posteriùs concipiatur quàm rei essentia, potest dici advenire rei in esse, sive ratione conceptûs rei essentialis.

REGULA II.

Omne accidens est in subjecto fini suo proportionato.

1. *Omnis forma est in materia sibi finique suo proportionata*, sicut patet tum de anima, imprimis de sentiente, quæ non informat materiam homogeneam & similarem, sed dissimilarem, propterea quòd ad operationes animæ sentientis organorum diversitas requiritur, quibus caret materia homogenea, tum indè, quòd materia, & forma eam informans, habent se ut potentia & actus, sed *inter potentiam & actum debet esse proportio, & quædam convenientia.* Atqui jam subjectum accidentis est forma, E. omne accidens est in subjecto sibi finique suo proportionato.

2. Possumus autem hac propositione uti, I. pro Scoto, ad probandum virtutes morales esse in voluntate, tanquam in subjecto, quoniam ordinatur ad προαίρεσιν, quod constat per Aristotelem, qui definit virtutem moralem, quòd sit ἕξις προαιρετική. At voluntas est subjectum proportionatum tali fini, cùm proprius ejus actus sit προαίρεσις. Atqui ista ratio secundùm rem est ipsius Scoti, 3. *sent. dist.* 33. *q. unic. ib.* contrà, virtus. In eadem ferè materia usurpatur ista propositio à Soario, *& M.* 44. *s.* 1. *n.* 9.

3. II. Uti eâ possumus ad probandum, scientiam & artes non esse in libro, sed in animo. Sumamus Logicam, ejus actus & finis est construere & resolvere syllogismum, at non liber, sed animus hominis est subjectum proportionatum huic fini. Si enim liber aliquis in se scripta contineat præcepta logicæ, per multa annorum millia, nunquam tamen poterit construere vel resolvere syllogismum, cùm hæ operationes non possint provenire nisi à facultate cognoscente, quâ liber tanquam quid inanimatum caret.

Regula III.

Quod excluditur per aliquod accidens, id ipsum est accidens.

1. Fonseca, *l. 9. Met. c. 1. q. 1. s. 3.* τὸ *esse potentia* non esse de essentia rerum, sed ipsis accidere indè probat, quòd esse potentiâ excluditur per esse actu, quia per hoc, *quòd aliquid est actu, desinit esse in potentiâ*, neque cum hoc, quòd aliquid actu est, stare potest, quòd sit simul potentiâ: At esse actu, est accidentarium rebus, cùm contingens sit res creatas esse actu seu exsistere. Ex hac argumentatione hæc formari potest regula, *Quicquid excluditur per aliquod accidens, id ipsum est accidens*, huic enim propositioni argumentatio illa innititur, ejúsque veritate vacillante vacillat, ita esse frigidum, excluditur vel removetur ab aqua, per esse calidum, per hoc enim quòd aqua est calida, necessariò non est frigida, cùm ergò esse calidum sit accidens aquæ, E. & esse frigidum erit ejus accidens. Sic cùm accidat Philosophiæ, quòd sit in homine fideli, etiam accidens ejus erit, quòd sit in infideli, cùm per hoc, quòd est in fideli excludatur ab infideli (*Idem enim numero philosophia habitus, qui in fideli est non potest esse in infideli*) adeò ut malè quidam profitentes, se locuturos de philosophia per se, & in sua essentia considerata, proferant argumenta concernentia philosophiam, *ut fuit in Ethnicis.*

2. Nullum autem dubium est, quin Fonesca loquatur de *accidente prædicabili*, quale est esse actu, respectu rerum creatarum. Nam si loqueretur de accidente prædicamentali, argumentum ejus nullum esset, siquidem loquitur de *esse actuali quarumvis rerum* quæ in prædicamentis collocantur, & substantiarum: At exsistentia seu esse actuale substantiarum, non est accidens prædicamentale, sed pertinet ad prædicamentum substantiæ.

3. *Dicis*: Esse frigidum excluditur per calorem ignis, expellit enim calor ignis frigus ex aqua, & tamen calor ignis non est accidens prædicamentale, respectu

respectu aquæ, cùm aqua non possit elici calida per calorem ignis, licèt sit accidens prædicamentale.

4. Resp. Dicitur aliquid *excludere aliquid* dupliciter: *Per modum efficientis*, & *per modum formæ*. Calor ignis in aqua excludit frigus per modum causæ efficientis, quia producit calorem in aqua cum quo frigus in aqua stare non potest, sed calor in aqua productus à calore ignis excludit frigus ab aqua per modum formæ, quia calor in aqua productus est forma, per quàm aqua est calida, & cum qua, in aqua, frigus simul consistere nequit: Loquitur autem regula de eo quod excludit aliquid *per modum formæ*: non mirum igitur, quòd calor ignis non est accidens aquæ, cùm solùm efficienter excludat frigus ab aqua.

5. Potest tamen & de *accidente prædicamentali* intelligi, id sc. est accidens prædicamentale quod excluditur per aliquod accidens prædicamentale, modò id quod excluditur *sit quid positivum*. Quod addo propterea quòd id quod positivum non est, non est accidens prædicamentale, cùm *sola positiva sint in prædicamentis per se*. Hinc etsi tenebræ per lumen excluduntur, quod est accidens prædicamentale, tenebræ tamen non sunt accidens nisi reductivé.

6. *Dicis:* Forma substantialis ignis excluditur per frigus, non autem potest ibi forma ignis consistere ubi frigus est, at frigus est accidens, E. etiam forma substantialis ignis erit accidens, quod absurdum.

7. *Resp.* Potest aliquid *excludere aliquid* dupliciter: *Immediatè*, seu per se; & *mediatè*, seu per aliud. Intelligenda est regula de eo quod excludit *per se*, & *ratione sui*; frigus excludit formam ignis quidem, sed per aliud, nempè ratione caloris, calorem excludit frigus ratione sui, sed quia forma ignis non potest alicubi consistere, nisi cum calore, hinc quia calor per frigus excluditur, consequenter etiam per idem excluditur ipsa forma ignis.

REGULA IV.

Quod recipitur, recipitur per modum recipientis.

1. Usitata apud autores propositio. Eâ voluerunt probari nonnulli, omnem formam informantem materiam, esse quantam & extensam, non quidem per se, sed per accidens. Argumentabantur enim ita: Quicquid recipitur in materia quanta, est quantum. Forma recipitur in materia quanta, E. ipsa est quanta. Major probatur, quia quod recipitur, recipitur per modum recipientis, E. quod recipitur in quanto, recipitur ita, ut ipsum fiat quantum. Hoc fundamento alii conati fuerunt probare, animam rationalem non esse formam informantem hominis, sed saltem adsistentem, quia sc. ipsa non est quanta. At si esset forma informans materiã, cùm materia sit quanta, fieri non posset quin ipsa evaderet quanta, quoniam omne receptum recipitur per modum recipientis.

2. Quidam apud Herphæum, 1. *dist.* 9. *q.* 1. *a.* 2. distinctionem facientes inter formas, & dicentes, Omnes formas inanimatorum esse quantas, nullam autem animam esse quantam, distinguebant & limitabant nostram propositionem ita, Quod recipitur, recipitur per modum recipientis, sive, ut ipsi loquebantur, *trahitur ad naturam recipientis*, h. e. ejus conditionibus afficitur, quando id quod recipitur est imperfectius & ignobilius recipiente, quando verò est nobilius & perfectius id quod recipitur, sive, *ut ipsi aiebant*, superat naturam recipientis, tunc receptum non trahitur ad naturam recipientis, sed potiùs recipiens trahitur ad naturam & conditionem recepti. *Hinc dicunt*, cùm omnis anima sit nobilior materiâ, in qua recipitur, eam non trahi ad conditionem materiæ, nec recipi per modum recipientis, & per consequens, licèt materia sit quanta, ipsam non reddi quantam.

3. Verùm hanc explicationem ipse Herphæus refutat, I. indè, quòd in ea præsupponitur, formam substantialem non habere aliunde, quòd sit quanta, nisi quia in quanto recipitur, cùm potiùs dicendum

ſit quod ſit quanta, & quidem per accidens, quia recipit quantitatem unà cum materia, ſicut enim, *inquit*, non oportet, ut omne, quod dicitur album, dicatur album quia recipitur in albo, imò quia recipit albedinem, ita non oportet, quod omne, quod dicitut quantum, dicatur quantum quia recipitur in quanto, ſed quia recipit quantitatem vel per ſe, vel cum aliquo.

4. II. Si verum eſſet, id quod recipitur non trahi ad naturam & conditionem recipientis quando eſt nobilius, tunc ſequeretur, nullam formam ſubſtantialem in materia quanta receptam, extenſam & quantam eſſe, propterea quòd omnis forma ſubſtantialis nobilior eſt materia.

5. III. Si id quod recipitur, quando eſt nobilius trahit recipiens ad ſuam naturam, cùm anima ſit indiviſibilis, & non quanta, neceſſe eſt, ut materia quæ ipſam recipit fiat indiviſibilis & non quanta, quod abſurdum.

6. Ipſe Herphæus circa hunc rem ita philoſophatur: *Intelligendum*, inquit, *quòd quando recipitur aliquid in aliquo, utrumque trahit utrumque in aliquo ad ſuam naturam, & quòd dicitur, quod recipitur recipitur per modum recipientis & non per modum recepti, non ſic eſt intelligendum, quòd receptum in nullo retineat modum qui ſibi per ſe convenit, ſed quia non omnem modum habet illud, quod in illo recipitur, quem haberet ſi non eſſet receptum, vel quem haberet ſi eſſet receptum in alio alterius conditionis. Similiter etiam poteſt dici de recipiente, quòd ſcilicet recipiens aliquid trahitur in aliquo in naturam recepti, & non habet omnem modum quem haberet ſi non reciperet, vel ſi aliud reciperet, quàm illud. In illis autem verum eſt, quòd ſecundùm quod unum plus dominatur, quàm aliud, unum plus trahitur ad conditionem alterius, quàm è converſo, & ibi ex dominio, quod habet aliqua forma ſuper materiam non ſequitur, quòd ſit quanta, vel quòd in nullo trahatur ad conditiones materiæ, ſed quòd non ita trahitur ſicut illa, quæ minùs dominentur. Quicquid autem ſit de iſta propoſitione, nihil facit ad propoſitum,* ut

ut dictum est, quia substantia composita ex materia & forma dicitur esse quanta per accidens, non propter hoc, quòd recipitur in aliquo, sed quia recipit quantitatem. Hæc Herphæus.

7. Quæ explicatio Herphæi, §. *præc.* proposita, licèt ex parte admitti posse videatur, non tamen per omnia videtur veritatem attingere, imprimis, quòd statuit, quod plus vel minus dominatur, id est, magìs vel minùs perfectum est, quàm aliud, plus vel minùs trahi ad conditionem alterius, nescio an consistere possit. Nam anima rationalis est perfectissima omnium formarum, & excedit materiam perfectione magìs, quàm omnes aliæ formæ, nec tamen magìs materiam trahit ad suas conditiones, quàm aliæ formæ, imò minùs potiùs eam trahere videtur. Sic & anima sensitiva in perfectione longè magìs superat materiam, quàm anima vegetativa, nec tamen minùs eam trahit materia ad suam conditionem, quàm animam vegetativam. Quæcunque enim prædicata habet anima vegetativa à materia, ut quòd sit quanta, materialis, ea æquè anima habet sensitiva.

8. Nos præferimus explicationem Greg. de Arim. *q. 2. dist. 16. & 17. q 1. a. 1. Cum assumitur*, inquit, *quòd omne quod recipitur in alio recipitur per modum recipientis, dicendum, quòd ista propositio, quæ à multis asseritur quasi maxima, si veritatem debeat habere, intelligenda est sic*, Omne quod recipitur recipitur per modum recipientis, i.e. secundùm quod recipiens est aptum recipere, *non autem quòd tale sit quale est recipiens, saltem secundùm omnes conditiones recipientis, instantias enim innumerabiles haberet. Constat enim quòd in incorruptibili materia recipitur corruptibilis forma, & in vase denso, frigido, sicco, recipitur aer rarus, calidus, & humidus; & ideo, quamvis in quibusdam quædam recepta conformentur recipientibus, sicut aqua calida, & alia fluida configurantur secundùm figuras recipientium, non tamen omnia.* Hæc Gregorius.

9. Nempe hoc vult, quando aliquid recipitur in aliquo, tunc receptio fiat secundùm aptitudinem recipientis seu subjecti, adeo ut etsi agens vehementer agat,

agat, si subjectum ejus est conditionis ut resistat, aut non facilè admittat actionem, tunc agens parùm promoveat, & si idem agens eodem modo & æquali vehementiâ agit in diversa subjecta, propter diversam naturam aut inæqualem aptitudinem subjectorum ad recipiendum seu patiendum, diversi aut inæquales sequuntur effectus.

10. Huic explicationi subscribit, eámque magìs illustrat Scaliger, *exer. 36. s.* 2. barbarè quidam, non è rostris aut comitiis, sed philosophicè & verè, *Receptivum*, inquit, *non recipit per modum imprimentis sed per modum suæ receptivitatis quæ est in recipiente*, non sequitur necessariò sed contingenter, omne patiens tantum pati quantum agit agens, materia quidem favet aliquando, minùs interdum, nec sequitur, Quercus vehementi motu movetur, Ergò, vehementer movetur; imò parùm, vehementi motu. Idem movens eadem bivario motu diversa movebit, non enim idem grave æque grave erit mulo & muri, quin in quibusdam plus patitur patiens quàm agens agit. Exemplum habemus apud Philosophum 4. *Met. c.* 9. in fissili quod & 2. *de plant.* Scaliger adducit, si enim fissile, ut fissile, verbi gratiâ lignum, secundùm longitudinem dividatur, anticipat & ulteriùs porrigitur divisio quàm dividens dividat, id quod in sectione minimè accidit. Hinc fissile ità definitur à Philosopho, Ἔστι δὲ σχιστὸν τὸ δυνάμενον διαιρεῖσθαι, σχίζεται γὰρ ὅταν ἐπὶ πλεῖον διαιρῆται ἢ τὸ διαιροῦν διαιρεῖ, καὶ προηγεῖται ἡ διαίρεσις· ἐν δὲ τῇ τμήσει οὐκ ἔστι τοῦτο.

11. Ità communis est omnium sententia sapientium, quibus ingenium durius illis difficiliorem apprehensionem, retentionem pertinaciorem; quibus mollius, eos facilè recipere, retentione uti minùs fideli & uturnâ. Scaliger, *Exer.* 37. *s.* 38.

12. Ex dictis patet argumenta §. 1. nullius esse roboris, quia fundantur in pravo regulæ intellectu, ita enim accipitur quasi receptum recipi per modum imprimentis idem sit, quod receptum affici naturâ & conditionibus recipientis, & reddi tale, quale est recipiens.

REGULA V.

Accidens non migrat de subjecto in subjectum.

1. Obstat 1. Cùm ignis calefacit aquam, calor transit de igne in aquam; radii item solares transeunt de sole in aerem. 2. Calor vitalis in subita consternatione revocatur à partibus exterioribus ad interiora. 3. In scriptione nigredo transit de penna in chartã. 4. Color apparens seu spiritalis transit de subjecto in subjectũ, nam à vino phialâ contento, producitur splendor in linteo. Si phialam moveas, splendor ille recipitur in alio subjecto. 5. Cum ex aqua generatur aer, fit hoc mediante calore, non enim generatur aer ex aqua, nisi aqua priùs incalescat, & sic resolvatur in aerem, hic ille ipse calor, qui antea erat in aqua, postmodum est in aere, migravit ergò ex aqua in aeré

2. Sciendum, regulam ita esse intelligendam, *unum idémque numero accidens non poteſt relinquere unum subjectum, & recipi in alio.* Est autem veritas ejus perspicua ex natura accidentis, accidens enim non potest esse absque eo in quo est. Ergò, non potest migrare de subjecto in subjectum. Antecedens probatur, quia accidens est in aliquo tanquam in subjecto. At quod hoc modo est in aliquo, non potest esse seorsim ab eo in quo est. Aristoteles, *c. 2. categ.*

3. Quanquam autem hoc de *accidente*, seu forma accidentali, *tantùm plerunque* pronunciari soleat, rectè tamen etiam usurpatur de *forma substantiali*, unde alii generaliter dicunt, *Forma non migrat de subjecto in subjectum*, quod quidem verissimum est de *omni forma materiali*, dependent enim formæ materiales in esse à materia (*quæ subjectum dicitur*, 1. *phys. t.* 82.) in qua sunt, Ergò, non possunt ab ea separari, & in alio subjecto exsistere.

4. Dixi autem *forma materialis*, quia anima rationalis, quæ dicitur forma immaterialis, à materia non dependet, neque alligata est ad corpus quod informat, unde in morte migrat de subjecto suo, corpore nimirum, quamvìs non videatur asserendum eam migrare in aliud subjectum, quia tantùm migrat in aliquod ubi, quod non puto appellandum esse subjectum.

5. Nota

5. Noto autem inſuper, regulam eſſe intelligendam de ſubjecto, *cui accidens inhæret immediatè*, ſubjecti autem quod denominat accidens, mediante aliquâ ſubſtantiâ cui inhæret, alia eſt ratio, ab hoc enim migrare in aliud non eſt contra naturam accidentis,ſed hoc §.clarius reddetur ex ſubſequentibus.

6. Ad argumentum I. Reſp. aliud eſſe *tranſitum ejuſdem accidentis de ſubjecto in ſubjectum*, aliud, *productionem alicujus accidentis de novo in alio ſubjecto, vel alio accidente alterius ſubjecti*. In calefactione idem numero calor non tranſit ab igne in aquam, quia ille ipſe calor qui in igne eſt, manet in igne, neque igne relicto in aqua recipitur, ſed tantùm alius numero calor producitur in aqua à calore ignis. Idem dicendum eſt de radiis ſolaribus,radiorum enim qui in aere recipiuntur ſubjectum ſol nec eſt nec fuit, ſed tantùm cauſa efficiens eorum eſt, à qua in aere producuntur.

7. Ad II. Subjectum immediatum caloris vitalis recedentis ab exterioribus partibus in interiores,ſunt ſanguis & ſpiritus, atqui calor non relinquit ſanguinem & ſpiritum, & in alio ſubjecto immediatè recipitur, quia non aliter revocatur ab exterioribus ad interiora,quàm quòd ſanguis & ſpiritus,quibus ineſt, localiter moventur ab exterioribus ad interiora. Ipſæ quidem exteriores partes corporis, ex quibus calor migrat, ſicut & internæ ad quas migrat, ſunt ſubjectum iſtius caloris, ſed tale quod denominatur ab eo mediante ſanguine & ſpiritibus,quibus inhæret:& hoc ipſo probatur id quod §. 5. conceſſimus, nempe non eſſe abſurdum, accidens migrare de ſubjecto quod ab eo denominatur, mediante aliâ ſubſtantiâ, in aliud tale ſubjectum.

8. Idem dicendum eſt ad III. Subjectum immediatum nigredinis, quod in ſcriptione tranſit de calamo in chartam, eſt ſubſtantia ſeu corpus atramenti, atque ex eo illa non egreditur, ſed unà cum ea communicatur chartæ.

9. Facilè autem quilibet perſpicit,tranſitum iſtum accidentis de ſubjecto, quod mediatè tranſmigrat

in aliud, non competere accidenti per se, sed per accidens, nempe ratione subjecti, cui immediatè inest. Quia enim, verbi gratiâ, spiritus & sanguis in animali revocantur ab exterioribus ad interiora, ideo & calor, qui ipsis inest, revocatur; & quia corpus atramenti transit de calamo in chartam, eo mediante nigredo etiam transit. Per se igitur accidens nec ex immediato, nec ex mediato transit subjecto.

10. Ad IV. Non est idem numero splendor productus in alio subjecto cum eo qui linteum antea irradiabat.

11. Ad V. Qui asserunt, in genito manere eadem accidentia numero, quæ antea fuerunt in corrupto, asserunt (& id quidem necesse est) accidentia illa esse immediatè in materia prima. Cùm E. illa eadem numero sit in genito & corrupto, accidentia non transeunt in generatione de subjecto, cui immediatè insunt, in aliud. Unde patet, cùm ex aqua aer generatur, calorem manere in eodem subjecto, nempe in materia, cùm illa eadem sit in aere genito, quæ antea fuit in aqua. Hinc si vel maximè concederemus, calorem migrare ex aqua in aerem, regulæ nostræ nihil obesset, quia aquæ & aeri inest calor mediante materiâ. Sed nec illud ipsum propriè videtur dici posse, ut enim aliquid propriè dicatur migrare de subjecto in subjectum, requiritur ut deserat unum subjectum, at in generatione aeris ex aqua, calor non deserit aquam, sed potiùs aqua per suum interitum relinquit & deserit calorem, quandoquidem calor in ea maneret, si ipsa non interieret.

REGULA VI.

Accidentis non est accidens.

1. Dupliciter dici potest *accidentis esse accidens*: I. ita, *ut unum alteri non insit, prædicetur tamen unum de altero accidentaliter*, propter quod utrumque accidit & inest alicui tertio, nempe substantiæ, hoc modo sese habent album & dulce, accidit enim albo quòd sit dulce, & dulci quòd sit album, & sunt istæ prædicationes quæ per accidens dicuntur ve-

ræ, Album eſt dulce, & dulce eſt album, non quòd dulcedo albedini, aut albedo dulcedini inſit, ſed quia utrumque accidens ineſt alicui ſubjecto, verbi gratiâ, lacti; hoc modo dubium non eſt quin unum accidens ſit alterius accidens, ſicut patet ex modò allato exemplo,& confirmatur expreſsè loco Ariſtotelis mox citando.

2. II. Poteſt dici ita, *ut unum accidens alteri inſit, & unum alterius ſit ſubjectum.* Hoc modo affirmant Durandus, *in* 1. *diſt.* 8. *p.* 2. *q.* 4. & alii multi; quos ſequitur Suarez, *D.M.*13.*ſ.*4. aſſerunt enim qualitates phyſicas eſſe in ſubſtantia, mediante quantitate, tanquam in ſubjecto. Probant id etiam exemplo habituum & actuum intellectûs & voluntatis, qui in hiſce facultatibus inſunt.

3. Contraria ſententia eſt Gregorii, 2 *diſt.*12.*q.*2. *a.*2. negantis unum accidens eſſe verum ſubjectum alterius cui revera inſit. Præter autoritatem Ariſtotelis adducit hanc rationem: Nulla forma eſt principium patiendi aut recipiendi aliud, aliàs enim confunderetur munus formæ cum officio materiæ, materiæ enim eſt recipere & pati. Sed omne accidens eſt forma. E. nullum accidens eſt principium patiendi aut recipiendi aliud.

4. Autoritas autem Ariſtotelis eſt, 4. *Met. t.* 14. ubi, *Accidens*, inquit, *non eſt accidentis accidens, niſi quia utrumque eidem accidit.* Quibus verbis negat Philoſophus, nullam aliam ob cauſam *accidens eſſe accidentis accidens*, quàm ob eam, *quòd utrumque accidat alicui ſubjecto.* At ſi unum accidens eſt alterius accidentis accidens, propterea quòd unum alteri revera & immediatè inſit, eóq; mediante ineſt ſubſtantiæ, ſequitur aliam eſſe cauſam cur accidentis ſit accidens præter eam quæ à Philoſopho aſſignata eſt.

5. Sed neſcio, an iſtis Gregorius ſatìs tueri ſe poſſit. Ad argumentum ejus reſpondetur majorem eſſe falſam, nam anima eſt forma, & tamen recipit in ſe habitus & actus intelligendi & volendi, neque per hoc confunduntur officia materiæ & formæ, quia id fit diverſo reſpectu, anima enim eſt forma cor-

poris, sed est subjectum & principium receptivum non corporis, sed habituum & actuum. Ita non repugnat, superficiem esse formam, per quam substantia dicitur lata & longa, & simul materiam seu subjectum, respectu albedinis, nisi forsan aliæ obstiterint rationes.

6. Quod attinet ad locum Aristotelis respondet Joannes de Rada, 4. *sent. q.* 11. *a.* 2. 1. Vocem, *quia*, ibi non esse notam causæ, sed concomitantiæ, ut sit sensus, Non accidit accidens accidenti nisi quando ambo accidunt alteri. At in argumento, quod ex illo textu construximus, præsupponitur τὸ *quia* significare causam. 2. Resp. loqui ibi Aristotelem de accidentibus disparatis, hoc est, quæ *quando unum de altero prædicatur faciunt prædicationem per accidens*. Et hanc responsionem alii etiam inculcant, & est ad mentem Aristotelis, agit enim ibi de iis accidentibus, quorum unum alteri ita accidit, sicut album musico, at ex hisce fit tantùm prædicatio per accidens, éstque adeo de hujusmodi accidentibus verissimum, quòd unum non accidat alteri, nisi quia utrumq; accidit subjecto, sicut ex antea dictis manifestum est.

7. Quanquam etiam de iis quæ pro priori sententia proposita sunt, non immeritò dubitatur. Præsupponitur enim 1. facultates animæ esse accidentia, & secundùm rem à substantia distinctas, at id Gregorius, & multi alii non concedunt, videtúrq; ea sententia, quòd facultates animæ sint secundùm rem ipsa substantia animæ, alterâ longè probabilior; quin & quantitatem negat Gregorius secundùm rem à substantia differre, & etsi differat, illud tamen exemplum non convincere multi putant: & quid Mendoza respondeat *D. phys.* 6. *s.* 2. *subs.* 2. apud ipsum vide.

8. Videtur tamen exemplo modorum accidentalium probari posse, aliquod accidens posse esse in alio tanquam in subjecto, verbi gratiâ, quantitati inesse, quòd sit alicubi, sed nihil determinabimus jam, sufficiat indicasse diversorum autorum sententias. Legantur autem citati *loc. cit.* & alii.

9. Solùm ostendendum, quomodo si præsupponatur

tur illa ſententia quam Durandus & Suarez defendunt, poſſit ſtare veritas noſtræ regulæ: Dicimus duplex alicujus accidentis ſubjectum eſſe poſſe, *ultimum, & propinquum*. Illud eſt ità ſubjectum ut id non ſit in alio ſubjecto, huic tamen nihil repugnat alteri ſubjecto ineſſe. Unum accidens non eſt accidens alterius accidentis, tanquam ſubjecti ultimi. Eſt enim omne accidens in ſubjecto, ergò nullum accidens eſt ſubjectum ultimum alterius: præſuppoſito E. unum *accidens eſſe in altero tanquam in ſubjecto*, dicendum, id verum eſſe *de ſubjecto propinquo*, & non ultimo. At quando dicitur *accidentis non eſſe accidens*, accipiendum eſt *de ſubjecto ultimo*.

REGULA VII.

In Deum non cadit accidens.

1. Conradus Vorſtius, *tract. de Deo & attrib. div.* p. 209. non veretur ſcribere, in Deo eſſe aliud & aliud, videlicet ſubjectum & accidens, & paulò pòſt, *Non ſunt axiomata iſta vulgò quidem recepta ſimpliciter & omnimodò vera, In Deum non cadere compoſitionem, Nullum in Deo accidens eſſe*, &c.

2. Sed impia eſt iſta ſententia, ab eáque alii Theologi abhorrent. Sciendum autem ſermonem eſſe de *accidente prædicamentali, & realiter diſtincto ab eo cujus eſt accidens*, quo præſuppoſito ità argumentor: In quocunque eſt accidens, in eo eſt potentia paſſiva ſeu receptiva. In Deo non eſt ejuſmodi potentia, ergò in Deo non eſt accidens. Major probatur, quia omne accidens inhæret, & receptum eſt in eo cujus eſt accidens. Sed nihil poteſt in alio contineri ſeu recipi niſi habeat potentiam paſſivam ſeu receptivam, ſicut ex terminis conſtat. Minor probatur, quia potentia paſſiva importat imperfectionem. At Deus cùm ſit ens infinitè perfectum, nihil imperfectionis in ſe habere poteſt.

3. *Dicis.* De Deo prædicatur aliquid accidentaliter, E. in Deum cadit accidens. Antecedens probatur, quia Deus dicitur *creator*, dicitur *cognoſci* & *coli à creaturis*: At iſta ſunt prædicata pertinentia ad 5. prædicabile, quod eſt accidens.

4. *Resp.* Paulò antè dictum est, axioma intelligi de accidente prædicamentali; certè Deo tribuere accidens prædicabile, quod de eo per denominationem extrinsecam dicitur, absurdum non est, quandoquidem hujusmodi accidens nullam importat imperfectionem, nullam efficit mutationem in eo cujus accidens dicitur, nihil ipsi addit, nihil detrahit, sicut per hoc, quòd paries videri dicitur, quæ denominatio extrinseca est, paries non mutatur, neq; quicquam perfectionis acquirit aut amittit. Jam cùm Deus dicitur *creator*, aut *cognosci*, vel *coli à creaturis*, non importatur aliquod accidens quod Deo inhæreat, sed sunt istæ denominationes extrinsecæ à creatione vel à creatura & à cognitione & cultu, quem ipsi creaturæ exhibent, petitæ.

5. Sed *instas*: Sapientia est accidens prædicamentale. Sapientia est in Deo, ergò accidens prædicamentale est in Deo.

6. *Resp.* Major vera est de sapientia creaturarum, at sapientia quæ in Deo est, & per quam Deus dicitur *sapiens*, non est alicujus creaturæ sapientia, & huc pertinet illud Theologorum, Quæ in creaturis sunt accidentia, cùm Deo attribuuntur transeant in substantiam. Solutionem argumentorum Vorstii vide apud Albert. Grawerum, *disp.* 1. *quæst. illustr. q.* 9. & Becanum, *p.* 1. *theol. schol. c.* 11. *q.* 4. & 5.

REGULA VIII.

Quod in uno est accidens, in alio non est substantia.

1. Si substantia sumatur latè pro cujusque rei essentia, & accidens pro prædicato quod est extra essentiam, aut ut pertinet ad quintum prædicabile: sic quod in uno est accidens, in alio substantia esse potest, quia quod uni competit ita ut de essentia ejus non sit, sed prædicetur de eo, tanquam accidens quinti prædicabilis, id alterius rei essentia esse, & de eo essentialiter prædicari potest, quemadmodum scientia hominis accidens, geometriæ autem essentia est.

2. At si accidens pro eo sumatur, quod est in aliquo ex 9. prædicamentis accidentium, & substantia prout peculiare constituit prædicamentum, sic quod est accidens in uno non potest substantia esse in alio, & vice versâ: Quod testatur Aristoteles, 1. *phys.t.*26. his verbis, ὃ γὰρ δή ἐστιν ἄλλο ὑπάρχον τὸ ὅπερ ὄν, per τὸ ὅπερ ὂν substantiam intelligit, & cùm dicit, *eam in alio non esse*, substantiam accidens esse negat.

3. Alexandr. Aphrodisæum statuisse perhibent, qualitates primas in elementis, ut calorem in igne, frigus in aqua, substantiam seu formam substantialem; in mixtis verò accidentia esse, id ex nostra regula refutatur, & disputat contra eum Averroes, 5. *phys.t.* 10. ubi inter alia sic loquitur, *Impossibile est ut aliquid in alio sit de aliquo prædicamento, & in alio de alio, ita quòd calor sit in homine de qualitate, & in igne de substantia.*

4. Sed obstat quod *reg. præc.* dictum est, sapientiam esse in Deo substantiam, in creaturis accidens, & universim quæ in creaturis sunt accidentia, cùm Deo attribuuntur in substantiam transire.

5. *Resp.* Sapientia non dicitur de sapientia Dei & hominum univocè, & secundùm unum conceptum. In homine & perfectionem dicit & imperfectionem, in Deo tantùm reperitur secundùm id quod perfectionis est, remotâ qualibet imperfectione. Eadem ratio est aliorum quæ cùm in creaturis sint accidentia, in Deo in substantiam transire, hoc est, substantia esse dicuntur, non enim de Deo & creaturis univocè prædicantur, at regula nostra de eo loquitur, quod pluribus inest *univocè*.

Regula IX.

Duo accidentia solo numero differentia non possunt esse in eodem subjecto.

1. Thomas, *p.*1.*q.*85.*a.*4. asserit, nec diversarum quidem specierum sub eodem genere (*quod proculdubio de proximo intelligit*) accidentia posse esse in eodem subjecto simul; ita enim ibi, *Impossibile est*, in-

quit, *idem subjectum perfici pluribus formis unius generis & diversarum specierum, sicut impossibile est quòd idem corpus, secundùm idem, coloretur diversis coloribus, vel figuretur diversis figuris.*

2. Verùm isti sententiæ obstat, quòd plures scientiæ specie differentes sub eodem genere proximo in eodem intellectu simul exsistunt, sicut & plures virtutes morales ejusdem generis, diversarum verò specierum in eodem appetitu simul consistere certum est.

3. Nec satisfaciunt Thomistæ, quando dicunt Thomam loqui de formis exsistentibus in actu completo (*quomodo quidem ipse etiam se explicat, q. 8. de verit. a. 14.*) duas autem scientias, vel duas virtutes morales exsistere in eadem potentia actu incompleto, quia sunt simul in actu primo, non in actu secundo, non enim possunt duarum scientiarum vel virtutum actus simul exerceri.

5. Non inquam satisfaciunt, 1. Quia non potest reddi sufficiens ratio sententiæ Thomæ, nam quòd ille eam probat exemplis colorum & figurarum, nihil agit, nam illa accidentia non possunt esse simul in eodem subjecto, non propterea quòd specie differunt sub eodem genere, sed quia includunt aliquam oppositionem in ordine ad subjectum, semper enim duo colores opponuntur, aut tanquam extremè contrarii, aut sicut extremus & medius, aut sicut duo intermedii; figuræ etiam includunt repugnantiam in situ, aut in rectitudine, seu obliquitate, aut in alia re simili: non est autem necesse omnia accidentia specie differentia habere hujusmodi oppositionem respectu subjecti.

5. Dico *respectu subjecti*, quia omnia accidentia diversarum specierum habent oppositionem inter se quatenus una de altera in abstracto saltem prædicari nequit, sicut Geometria & Arithmetica in uno quidem sunt homine, & unus idémq; homo dici potest Arithmeticus & Geometra, & sic respectu subjecti non habent oppositionem, si tamen eas scientias à subjecto præscindam, & inter se considerem, habent quandam oppositionem seu repugnantiam, nec de se

invicem

invicem prædicari possunt, non enim Geometria est Arithmetica.

6. II. Quod dicunt, duo accidentia posse quidem *sine actu secundo* esse simul in eodem subjecto, non autem cum actu secundo, quia scil. ipsi actus secundi non possunt esse simul in illo subjecto, simili modo eliditur, nam quòd duo actus secundi non possunt simul esse in eodem, non est ex parte ipsorum, quòd specie differant sub eodem genere; non enim est major repugnantia in actibus, quòd non possint esse in eodem, quàm in ipsis habitibus, aut aliis accidentibus ejusdem generis, nec est ex parte potentiæ receptivæ, sed causa videtur referenda in virtutem activam, quæ non potest simul illos actus efficere, sicut intellectus dum est occupatus in eliciendo actu ad quem ab uno habitu inclinatur, non potest exercere actum ad quem ab alio inclinatur.

7. III. Per hoc, quòd accidens est in subjecto absque actu secundo, non rectè dicitur esse in eo incompletè, cùm actus secundus nihil faciat ad existentiam accidentis in subjecto, & complementum ejus. Vide Soarium, *D. M.* 5. *s.* 9.

8. Sed hæc de accidentibus diversarum specierum, de illis ejusdem speciei quæ sunt, solóq; differunt numero, major est difficultas. Aristoteles, 5. *Met. c.* 10. *t.* 15. in universum videtur negare accidentia hujusmodi in eodem subjecto simul esse posse, asserit enim ibi omnia illa specie differre, quæ cùm in eadem ipsorum substantia sint, differentiam habeant.

9. I. Certùm est, nec duas albedines posse esse simul in eadem charta aut alio subjecto, secundùm eandem partem, neque duos calores in eodem igne, &c. Concessum est II. aliqua accidentia solo numero differentia, in eodem esse subjecto. Nam species visibiles duorum hominum, v. g. Petri & Pauli, tantùm numero differunt, sicut & ipsi Petrus & Paulus solo differunt numero, ambæ tamen simul sunt in eodem oculo, aliàs enim non posset idem homo eodem oculo utrumq; simul videre, ita quidem docent

in uno patre habente plures filios, esse plures relationes, ita ut aliâ relatione ad alium referatur filium, quis autem neget, omnes illas relationes solo differre numero.

10. Verùm generalem hîc assignare aliquam & sufficientem distinctionem proponere & explicare, quænam illa sint accidentia, quæ solo numero differentia in eodem possint esse subjecto, & quæ non possint, res est perquam difficilis, & varii varia finxerunt, sed parùm satisfacientia, quibus immorari jam non placet; videantur apud Soarium, *apud l. c.* Nos reliquis omnibus præferendam judicamus ipsius Soarii sententiam, facit ille duplicia accidentia solo differentia numero. Quædam præter distinctionem entitatum in reliquis omnibus habent *quandam similitudinem & convenientiam*, in munere videl. vel officio ad quod destinantur, & in quacunque habitudine ad quam dicunt, ut sunt duo calores, duæ albedines, & similia. Alia verò sunt, quæ licèt in specifica ratione conveniant, & sub ea tantùm numero differant, *tantam tamen similitudinem inter se non habent*, sed differunt vel in munere vel in habitudine, ut duæ species Petri differunt numero priori modo, duæ autem species visibiles, scil. quarum una Petri, altera Pauli, differunt numero hoc posteriori modo, non enim tã similes inter se sunt sicut priores duæ, nam diversas habent habitudines ad objecta & ad diversa ordinantur munera

11. Accidentia prioris generis *non possunt multiplicari* in eodem subjecto, quæ verò sunt posterioris generis, *possunt*, ídque probari potest inductione & exemplis allatis. Nec deest ratio diversitatis inter utraque accidentia, si enim accidentia omnino similia multiplicarentur in eodem subjecto, daretur aliquid superfluum & otiosum in natura, si verò sunt aliquo modo diversa, diversásque habitudines participant, ut contingit in duabus speciebus visibilibus, quarum una Petrum altera Paulum repræsentat, in diversis item relationibus quibus idem pater refertur ad diversos filios, eorum multiplicatio non est omnino superflua & supervacanea. Quanquam quod relationes

attinet,

attinet, multi affirment, unicâ relatione unum patrem ad plures referri filios. Plures alias rationes pro sua distinctione proponit Suarez, qui etiam juxta eam explicat locum Aristotelis, 5. *Met.t.* 15. dicens, non esse necesse, ut illud indicium diversitatis specificæ sit universale omnino de omnibus accidentibus, sed de his, quæ in individuo sunt perfectè similia.

12. Atque hactenus etiam disquisivimus, an duo accidentia solo numero differentia possint in eodem subjecto simul esse. Quæritur ulteriùs, an *successivè* possint. Dicuntur autem successivè esse in eodem subjecto, quando subjectum idem priùs habuit unum accidens, & deinde illud amisit, acquisivit verò postea aliud ejusdem speciei. Defendimus affirmativam quæ communis est, & dicimus, non solùm posse sed & *actu* esse duo accidentia ejusdem speciei specialissimæ (*quod est dicere, solo numero differentia*) in eodem subjecto successivè, sicut si aqua calida ponatur in loco frigido, calor ejus corrumpitur, quòd si postea denuò igni admoveatur, denuò calor producitur. Esse verò hos duos calores numero diversos, est communis sententia, & confirmari potest autoritate ipsius Aristotelis, 2. *de gener.* & *corrup. t. ult.* quamvìs firmam aliquam pro hac sententia rationem afferre non ità facilè sit. Sed non placet diutiùs hisce immorari, quæ ferè ex Soario descripsimus, quia ille præ reliquis dextrè rem explicavit, neque melius quid jam occurrit.

REGULA X.

Unum numero accidens non potest esse in duobus subjectis.

1. Accidens esse vel non esse in duobus subjectis bifariam potest intelligi: 1. Ità ut illa *subjecta sint divisa:* ut duo homines, duæ chartæ: vel ut *non sint divisa*; & hoc iterum dupliciter, vel subalternata sunt illa subjecta, hoc est, accidens inest uni, mediante altero: vel non subalternata sunt, sed accidens inest utrique æquè primò, vel non æquè primó. Sciendum & hoc, *regulam posse intelligi, vel quòd subjectum*

simul

simul insit, vel successivè; & si successivè, quòd subjectum utrumque sit *mediatum*, vel *immediatum*.

2. Quibus præmissis dico, 1. *Unum numero accidens successivè potest esse in duobus subjectis mediatis*, in immediatis non potest. Prima pars conclusionis patet de sententia illorum, qui asserunt eadem numero accidentia manere in genito, quæ fuerunt in corrupto, sic enim cùm ex aqua aer generatur, ille ipse calor qui antea fuit in aqua, modò est in aere; sic & duæ spongiæ possunt esse successivè subjecta ejusdem numero humiditatis, si nimirum aquam ex spongia exprimamus, & illâ ipsâ spongiam aliam imbuamus, quòd autem illæ spongiæ rectè dicuntur subjecta humiditatis, indè patet, quòd utraque spongia dicitur humida ab illa aquæ humiditate, denominativè & accidentaliter; quòd etiam humiditas illa in utraque spongia eadem numero sit, dubitari non potest, propterea quòd aqua, cui humiditas illa immediatè inest, eadem numero est in illis, neque ulla probabilis ratio in contrarium suppetit.

3. Hæc tamen exempla probant solùm, idem numero accidens posse successivè esse in duobus subjectis mediatis, quæ scilicet mediante aliquâ substantiâ ab accidente denominantur, aquæ enim & aeri calor inest mediante materiâ primâ, cui immediatè inest, & sic subjectum, cui immediatè inest, est unum numero, quia eadem est materia in aere, quæ antea erat in aqua, ex qua aer genitus est. Similiter duæ spongiæ denominantur humidæ, mediante aquâ, quæ tanquam subjectum immediatum unum numero est in utraque spongia. In duobus subjectis immediatis, nè successivè quidem unum numero accidens esse potest, quæ est altera pars conclusionis; & ratio diversitatis est, quòd sicut una numero substantia naturaliter non exsistit nisi unicâ subsistentiâ, ita etiam unum numero accidens non exsistit nisi unicâ inhærentiâ in subjecto, qualis enim & quanta familiaritas & connexio inter substantiam & subsistentiam, talis & tanta intercedit inter accidens & inhærentiam ejus in subjecto. Jam si esset idem numero accidens

accidens ſucceſſivè in duobus ſubjectis immediatè, exſiſteret diverſis inhærentiis, quantùm enim deſinit eſſe in ſubjecto, cui prius immediatè inerat, & in alio recipitur, deſtruitur etiam illa inhærentia, quâ priori ſubjecto inerat, & nova, quæ cum altero recipitur, ſuccedit. At ſi maximè ſit in diverſis ſubjectis immediatè, modò immediatè in uno inhæreat, non exſiſtit per novam inhærentiam, qui cùm eſſet antè aquæ calor modò eſt calor aeris ex aqua geniti, utrique ineſt eâdem inhærentiâ, quia illis non aliâ inhærentiâ ineſt quàm eâ quâ ineſt materiæ, ineſt autem materiæ exſiſtenti modò ſub forma aeris eâdem inhærentiâ, quâ ipſi inerat cùm eſſet ſub forma aquæ. Quòd ille calor erat antea aquæ calor, jam verò eſt aeris calor, vel quod eódem recidit, quòd mediatum ſubjectum ejus antea erat aqua, modò verò aer, non indè eſt, quaſi calor in ſe novam acquiſiverit inhærentiam, ſed quia materia novam acquiſivit unionem cum forma aeris, cùm antea eſſet unita formæ aquæ.

4. Dico II. *Unum numero accidens poteſt eſſe ſimul in duobus ſubjectis ſubalternatis*, h. e. ut uni inſit immediatè, alteri mediante illo. Cùm autem dupliciter ſubjecta hoc modo ſeſe habere poſſint, vel ut unum in altero includatur, tanquam pars in toto, vel ut aliàs unum alteri inſit. Priori modo concluſio noſtra eſt omnino certa, ſicut patet de anima & homine, quorum utrique ineſt eadem numero ſcientia, & idem actus intelligendi, ſed homini mediante animâ, tanquam toti mediante parte, & aliàs accidens, quod parti ineſt immediatè, ineſt etiam toti per illam partem. Poſteriori modo etiam veram eſſe putamus concluſionem: plerique enim aſſerunt, *qualitates ſenſiles*, v. g. albedinem, *ineſſe primò quantitati, & mediante eâ ipſi ſubſtantiæ*, cui quantitas tanquam accidens ineſt. Ita ſi facultates animæ, ut intellectus & voluntas, ſunt qualitates realiter ab anima diſtinctæ, ſcientia & actus ipſis inerunt mediatè, & iis mediantibus ipſi animæ ſubſtantiæ. Adduco iterum exemplum de ſpongia & aqua, quoniam præcedentia controverſa ſunt, ineſt humiditas aquæ immediatè, &

ſpongiæ

spongiæ mediante aquâ, dicitur tam spongia quàm aqua humida ab eadem numero humiditate. Quòd si igitur τὸ *inesse* accipere velimus pro prædicari, nullum videtur amplius de exemplo quantitatis & substantiæ esse dubium, cùm de utraque album accidentaliter prædicetur (*utraque enim prædicatio, Substantia est alba, Superficies est alba, est vera & accidentalis*) de uno mediante altero.

5. Dico III. *Idem numero accidens non potest esse simul in duobus subjectis divisis.* Argumentor ita: Quod est in divisis id ipsum est divisum. Sed unum accidens numero non est divisum. Ergò, non est in divisis. Major patet inductione. Lapis enim exsistens in hoc loco, & lapis exsistens in alio loco, sunt divisi, quia ipsa loca sunt divisa. Calor in hac aqua & calor in illa aqua sunt divisi & sejuncti, quia ipsæ aquæ sunt divisæ. Minorem probo, quia *quod est divisum non est unum*, quia unitas consistit in indivisione, & per divisionem fiunt multa, at unum numero accidens utique unum est.

6. Dico IV. *Unum numero accidens non potest simul esse in duobus subjectis non divisis, aut unitis æqualiter*; h. e. ut utrique insit æquè primò & immediatè. Huic conclusioni obstare videtur quod Lutherani dicunt, fidem importare simul cognitionem sive notitiam & fiduciam, quod si verum est, sequitur idem numero accidens in duobus subjectis esse primò & immediatè. Erit enim fides in intellectu & voluntate ut in subjectis, cùm subjectum notitiæ intellectus sit, fiduciæ voluntas. At absurdum est unum numero accidens eo modo in diversis esse subjectis, quoniam quæ subjectis differunt, realiter differunt. Quam ob causam Pontificii, sicut Chemn. *p.* 2. *loc.* testatur, fidem nostram monstrum appellant & Chimæram.

7. Verùm ad accusationem hanc, facilè est respondere. In regula enim nostra, & iis quæ hactenus diximus, sermo est de subjecto, *in quo accidens secundùm se totum inest, secundùm se totum accidens non potest esse in duobus subjectis*, sed si accidens diversas includat partes, quid mirum, si ratione diversarum partium in

duobus

duobus & diversis subjectis insit. Est fides non unum simplex quid, sed *aggregativum quid ex notitia & fiducia*, quid absurdi, si ut notitia in intellectu, ut fiducia in voluntate subsistit.

8. Syllogismus ex data Pontificiorum ratione confectus erit hujusmodi: Quod à seipso realiter differt, est monstrum. Fides Lutheranorum à seipsa realiter differt. Ergò, Fides Lutheranorum est monstrum. Minor probatur, quia fides ipsorum differt subjectis, hoc est, est in diversis subjectis. At quæ subjectis differunt, realiter differunt.

9. Sed Resp. distinguendo Majorem: Quod à seipso, secundùm se totum realiter differt, est monstrum, quod verò ratione unius partis differt ratione alterius partis realiter à seipso, non est monstrum. Nam quodlibet compositum secundùm unam partem differt realiter à seipso secundùm aliam partem, sicut homo ratione animæ differt realiter à seipso ratione corporis, corpus enim & anima realiter differunt. Ergò, & homo ratione animæ realiter differt à seipso, ratione corporis, & tamen nec homo nec alia composita monstra sunt. Jam minorem quod attinet, patet ex dictis, quomodo fides à seipsa realiter, & subjectivè differat, nempe non secundùm se totam, sed ratione diversarum partium.

10. Notandum enim nos in duabus ultimis conclusionibus, sicut & in aliis, ut quod diximus, duo accidentia *solo numero differentia* non posse esse in eodem subjecto, locutos de eo quod naturaliter fieri potest, an per potentiam Dei absolutam contrarium possit accidere, jam non dispicimus.

Regula XI.

Quæ easdem habent proprietates, eandem habent essentiam.

1. Diximus in proœmio hujus tituli, nos accidens ita accipere ut & proprium comprehendat, non igitur abs re fuerit, si unum atque alterum de *proprio* axioma proposuerimus. Est autem ratio præsentis axiomatis ea, quòd *proprietates fluunt ab essentia*, vel

vel secundùm rem idem sunt cum essentia, & cum ea citra ullam controversiam reciprocatur.

2. Abutuntur eo Calviniani contra Lutheranos, quando sic argumentantur: Quæcunq; habent easdem proprietates, illæ habent eandem etiam essentiam, sed si in Christo proprietates divinæ naturæ sunt communicatæ humanæ naturæ, duæ illæ naturæ habebunt easdem proprietates. E. Si proprietates divinæ naturæ sunt communicatæ humanæ, illæ duæ naturæ eandem habebunt essentiam, quod est Eutychianum.

3. Resp. Negando minorem, quia aliud est, *aliquid alicui revera competere, & de eo revera prædicari*; aliud, *aliquid alicujus esse proprietatem*: vel aliud est, *aliquid habere aliquid*; aliud, *aliquid habere aliquid, tanquam proprietatem*. Quòd divinæ naturæ proprietates communicatæ sunt humanæ naturæ, per hoc humana natura habet eas proprietates, h. e. proprietates divinæ ipsi revera competunt, & de ea prædicantur, sed per hoc non fiunt humanæ naturæ proprietates; & ratio est, quia proprium sive proprietas ei cujus est proprietas competit per se: At divinæ naturæ proprietates non competunt humanæ naturæ per se, sed per aliud, nempè per divinam naturam τȣ λόγȣ, cui est unita, & prædicantur de ea non per modum quarti, sed quinti prædicabilis.

4. *Dicis:* Humana natura habet proprietates divinæ naturæ, E. Divina & humana natura habent easdem proprietates.

5. *Resp.* Negando consequentiam, quia ad veritatem antecedentis sufficit quòd *proprietates divinæ reverà competant humanæ naturæ*, & de ea revera prædicentur, at consequens id importat, quòd proprietates divinæ naturæ sint proprietates humanæ naturæ, si quis hoc modo argumentaretur, Homo habet proprietates animalis, E. Homo & animal habent easdem proprietates, negarem consequentiam, & puto satis perspici, antecedens verum, consequens esse falsum. Etsi enim homo habet proprietates animalis, quod negari non potest, non tamen eædem

sunt

sunt proprietates hominis & animalis, quoniam proprietates animalis etiam insunt brutis, quibus proprietates hominis non competunt. Quòd si non sunt eædem proprietates hominis & animalis, Ergò homo & animal non habent easdem proprietates.

6. Quòd si quis majorem propositionem,& regulam nostram ita limitare velit, *Quæ habent easdem proprietates tanquam proprietates*, id est, ita ut sint utriusque eorum proprietates, *illa eandem habent essentiam*, quo quidem modo minor falsa est, sicut ex dictis constat, non repugnabimus.

Regula XII.

Æquivoca non habent proprietates.

1. Ratio est, quia proprietates præsupponunt essentiam, eámque indivisibili nexu sequuntur: Quæcunque ergò non habent essentiam, nec proprietates habent. Sed æquivoca non habent essentiam. E. nec proprietates. Minor patet ex natura æquivocorum, quoniam nimirum non habent unam essentiam, quemadmodum animal quoddam & sidus, ut significantur nomine *leonis*, unam essentiam non habent. E. non habent essentiam, quia quod non est una essentia, non est essentia.

2. Hoc principio probant Scotistæ ens, ut est commune Deo & creaturis, substantiæ & accidenti, non esse æquivocum, quia nimirum in hac communitate habet proprietates, quæ dicuntur esse unum, verum, bonum, Deóque & creaturis, substantiæ & accidenti, competunt.

3. *Dicis*: Æquivoca habent essentiam, quia hæc est eorum essentia, quòd eorum nomen solùm commune sit, ratio verò essentiæ diversa; quæ essentia est una & communis omnibus æquivocis,& confirmatur ex §.1.ubi diximus, minorem patere ex natura æquivocorum, ubi natura sumitur pro essentia.

4. *Resp.* De æquivocis dupliciter loqui possumus: 1. Quantùm ad *materiale*, seu substrata notioni quâ dicuntur æquivoca, qualia sunt animal quoddam,

& quoddam sidus respectu nominis *Leo*, & animal quoddam & mons quidam respectu vocis *Taurus*, & hoc modo æquivoca nec essentiam habent nec proprietates. 2. Quantùm ad *formale*, per quod aliqua dicuntur æquivoca, & hoc modo habent eandem naturam & essentiam quod probat §. 3. Sed hâc ratione, æquivoca non sunt æquivoca, nam cùm dico, Animal quoddam & quoddam sidus respectu nominis *Leo*, sunt æquivoca; & animal quoddam & mons quidam respectu nominis *Tauri*, sunt æquivoca, & sic de aliis, vox hæc *æquivoca* non tribuitur illis æquivocè, & in diversâ significatione, sed in eadem, éstque illorum, quantùm sumuntur respectu hujus vocis *æquivoca*, eadem ratio & essentia.

REGULA XIII.

Accidentia quinti prædicabilis primò & immediatè competunt individuis, & secundariò, seu eorum interventu, speciebus sive universalibus: Contrà, propria primò & immediatè speciebus, seu universalibus; secundariò singularibus seu individuis competunt.

1. *Accidentia propriè fluunt ab ipsa essentia*, & ratio cur alicui aliqua propietas conveniat, est ipsa essentia. Quia verò essentia abstrahitur ab ipsis singularibus & individuis, & sic abstracta est singularis, ideò propria dicuntur primò & immediatè competere universalibus seu speciebus, individuis autem seu singularibus ex consequenti, seu ratione specierum, propterea nimirum, quia sub speciebus continentur, ut si quæram, Cur Petrus sit γελαστικός, respondetur, quia est homo, vel quia est animal rationale, & quia homo & animal rationale universalia sunt, ideò τὸ γελαστικὸν primò universali, nempè speciei, quæ est homo, ex consequenti verò Petro etiam, & aliis individuis hominibus attribuitur.

2. Quantùm verò ad accidentia quinti prædicabilis, quia non habent necessariam connexionem cum essentia, nec ab ea fluunt, sed conveniant rebus propter

ter alias causas, & propter earum actiones, actiones sunt verò in singularibus, sicut suprà ex 1. *Met. c.* 1. audivimus, ideò conveniunt primò singularibus, & per ea speciebus & aliis universalibus, quod testatur Philosophus *l. c.* his verbis, *Non curat medicus hominem nisi per accidens: sed Calliam, aut Socratem, aut quempiam aliorum cui accidit, ut homo sit.*

3. Excipienda tamen hîc erunt, quod & Conimbricenses *in c. 6. Isag. Porphyr.* notant, prædicata accidentalia quæ important denominationem extrinsecam ab actu intellectûs, qualia sunt intelligi, esse genus, speciem, & hujusmodi, hæc enim tantùm abest ut primò singularibus conveniant, ut quædam eorum ipsis planè non conveniant. Ratio autem exceptionis est, quòd actio intellectûs non est determinata & restricta ad singularia.

Regula XIV.

Quorum sunt diversæ naturæ, eorum etiam diversæ sunt proprietates, & vice versâ.

1. Eadem est ratio quæ præcedentium, quòd scuilibet naturæ suæ respondent proprietates nativæ, inter quas & naturam ipsam necessaria est connexio & reciprocatio, ita quia aqua & ignis, homo item & leo, diversas habent naturas, ideò etiam diversas proprietates obtinent, & vice versâ.

2. Potest exinde specialius axioma sic formari, *In quocunque duæ manent naturæ post unionem integrè & inconfusè, in eodem etiam integræ manent utriusq; naturæ proprietates*, alioquin enim maneret natura in aliquo sine suis proprietatibus. Hinc probatur *in Christo duas esse voluntates*, cùm enim proprietas naturæ intellectualis sit voluntas, & verò in Christo dentur duæ & diversæ naturæ intellectuales, divina nimirum & humana, duas & diversas quoque in eo esse voluntates.

3. *Dicis*: Natura & proprietates ejus differunt realiter, quid igitur absurdi, si per miraculum seu potentiam Dei absolutam conservetur natura sine suis proprietatibus.

Resp.

Resp. Antecedens si non est universaliter falsum, certè non est universaliter verum. Proprietas quantitatis est divisibilitas, quæ secundùm rem est ipsa quantitas; proprietates seu attributa Dei sunt nihil aliud secundùm rem, quàm ipse Deus, & intellectum & voluntatem secundùm rem idem cum anima esse, celebratissimorum autorum est sententia, sine hujusmodi propriis seu attributis nè per potentiam divinam natura ipsa esse poterit, cùm ita aperta sequatur contradictio: Hoc enim ipso, quòd aliquid sine aliquo in rerum natura esse potest, ab eo realiter differt. Quòd si aliqua proprietas realiter ab essentia seu natura differat, saltem naturaliter sine ea naturam esse non posse, certum & concessum est; quicquid sit de potentia Dei absoluta. Poterat hæc regula unà cum præcedenti 11. commodè etiam ad sequentem referri titulum.

TIT. XV. continens REG. V.

circa doctrinam Comparatorum.

ARistoteles, 1. top. c. 5. *ad problemata accidentis refert ea, quæ prædicentur per quandam comparationem. Unde cùm* t. 2. *explicasset locos accidentis simplicis, statim in tertio subjungit eos, qui concernunt accidens comparatum. Nos iisdem insistentes vestigiis post regulas ad doctrinam accidentis pertinentes, adducemus*

cemus titulum de comparatis. *Quanquam certè non illa proponemus, quæ Aristoteles nobis in tertio libro reliquit, sed alia quædam eáque paucissima hîc trademus. Ex iis, quæ Philosophus* l. c. *explicavit, nonnulla inferiùs in tit.* de perfecto & imperfecto, bono & malo, *videbimus; reliqua apud ipsum legantur.*

REGULA I.

Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ità magìs ad magìs, & maximè ad maximè.

1. Vel, *Sicut se habet positivus ad positivum, ita comparativus ad comparativum, & superlativus ad superlativum, & vice versâ.* v. g. bonum est expetendum, E. magìs bonum magìs expetendum, & maximè bonum maximè expetendum.

2. Antonius Trompeta apud Cajetanum de ente & essentia, *in proœm. q.* 1. pro sententia Scoti, quòd nimirum id quod primò ab intellectu cognoscitur, sit species specialissima, ita argumentatur: Id universale prius cognoscitur ab intellectu cujus singulare fortiùs movet sensum. Sed singulare speciei specialissimæ fortiùs movet sensum. E. species specialissima priùs cognoscitur ab intellectu. Major patet, quia cognitio nostra intellectualis ex sensibus oritur. Minorem probat: Singulare movet sensum, Ergò maximè singulare maximè movet sensum. Sed singulare speciei specialissimæ est maximè singulare. Consequentia probatur, quia ut simpliciter ad simpliciter, ita magìs ad magìs, &c.

3. Respondet Cajetanus minorem esse falsam, quod probationem ejus attinet, negat consequentiam, propterea quòd juxta Thomam illa regula topica,

pica, *ut se habet simpliciter*, &c. cui innititur illa consequentia, non valet, nisi *prædicatũ subjecto conveniat per se, & secundùm quod ipsum, jam singulare*, ut ait, *non movet sensum secundùm quod est singulare, ut hic color non movet sensum secundùm quod est hic, sed secundùm quod est color*. Quæ responsio videtur stabiliri hoc argumento: Quoddã dulce est album, ut lac, nec tamen magìs dulce est magìs album, nec dulcissimum albissimum; ubi albũ de dulci non secundùm quod dulce, sed per accidens prædicatur. In exemplo autem §. 1. proposito, prædicatum nempè *expetendum*, competit bono per se, & quantùm est bonum.

4. Fonseca, *l.7. instit. c.* 30. Regulam nostram ex Aristotele proponit illis verbis, & sequentibus explicat: *Si incrementum prædicati sequitur incrementum subjecti, prædicatum sequetur subjectum; quòd si incrementum non sequetur incrementum, nec prædicatum sequetur subjectum, ut si major virtus est melior, aut maxima optima, virtus utique est bona. Est enim par ratio, quòd si major non esset melior, aut maxima optima, nec virtus omninò est bona, sunt enim & hæc paria. Reciprocatur etiam hoc pronunciatum in hunc modum. Si prædicatum sequetur subjectum, incrementum prædicati, sequitur incrementum subjecti, quòd si prædicatum non sequitur subjectum, nec incrementum sequetur incrementum. Quod quidem sic efferri solet, Ut simpliciter ad simpliciter, sic magìs ad magìs, & maximum ad maximum se habet, ut si facere injuriam est malum, majorem facere pejus erit, & maximum pessimum.*

5. Et paulò pòst ita pergit, *Verùm tàm pronunciatum quàm ejus reciprocatio intelliguntur ab iis quæ prædicantur per se, alioquin non usquequaque veritatem continent. Non enim rectè dixeris, Major vini usus est pejor, aut maximus pessimus, igitur usus vini est malus; nec item, Exercitatio corporis est bona. Ergo major melior, & maxima optima. Causa est, quia nec majori usui vini per se competit, ut sit pejor, aut maximo, ut sit pessimus: nec exercitatio corporis est per se bona, sed per accidens; alioquin omnis exercitatio corporis esset bona, & omnis vini usus malus.* Hæc Fonseca.

REGULA

Regula II.

In quibus datur majus & minus tale, in iis datur maximè & summè tale.

1. In hac propositione fundatur argumentum Aristotelis quo 10. *Met. c. 6.* probat, dari aliquam maximam differentiam, quam contrarietatem appellat, nempe in iis quæ differunt, aliqua magìs, aliqua minùs differunt, Ergò, dantur quæ maximè differunt. Ita quia datur magis & minùs calidum, datur aliquid quod sit maximè calidum; & datur magìs & minùs bonum, Ergò, datur etiam summum bonum. Alii ita enunciant, *Magìs tale & minùs tale dicuntur per relationem ad aliquid quod est summè tale.*

2. Sed objicitur: Si dato magìs & minùs tali, datur summè tale, sequitur cùm detur majus & minus malum, dari quoque summum malum, quod absurdum.

3. Respondet Durandus, 1. *dist.* 2. *q.* 1. Cùm dicitur, quòd magìs & minùs tale dicuntur per relationem ad aliquid quod summè tale dicendum, quod habet solùm veritatem in *effectibus positivis*, non autem in privativis, cujus ratio est, quia unumquodque reducitur in causam suam, sicut ab ea procedit, effectus autem positivi habent causam positivam & positivè influentem, & ideo positivè reducuntur in eam, & propter hoc, ubi est magìs & minùs positivè dictum, oportet aliquid summè dari tale: privativa autem non habent causam positivam & influentem, sed magìs deficientem, & ideo non positivè reducuntur in causam positivè influentem, ita ut sit aliquid summè privativum, quod in sua influentia causet alia privativa, sed reducuntur in causam positivam non à qua fiant per se, sed quæ potuit deficere & deficit, & ideo malum cùm dicat privationem non arguit aliquod summè malum, à quo causetur, sed tantùm arguit esse bonum, quod potuit plus vel minus deficere.

Regula III.

A comparativo ad positivum affirmativè V.C.

1. Sed obstat, quòd rectè dico, aquam esse leviorem terrâ,

terrâ, nec tamen verum eſt quòd levis ſit, ſic & ſimplex furtum melius eſt ſacrilegio, nec tamen eſt bonū.

2. Sciendum *comparativum* dupliciter ſumi: 1. *Propriè*, prout exponitur per ſuum poſitivum, cum adverbio *magìs*, & ſic levius idem eſt quod magìs leve, & melius quod magìs bonum, & hoc modo à comparativo ad poſitivum affirmativè V. C. ut eruditio eſt melior divitiis, i.e. magìs bona. Ergò, eſt bona. Terra eſt gravior aquâ. Ergò, eſt gravis. 2. *Impropriè*, ut exponitur per oppoſitum ſui poſitivi cum adverbio *minùs*, & ſic levius idem eſt quod minùs grave, & melius quod minùs malum; & hoc modo à comparativo ad poſitivum *non valet conſequentia*, ſicut §. *præc.* probat.

REGULA IV.

A poſitivo ad comparativum, negativè tantùm V. C.

1. Ut, Non eſt bonus. Ergò, non eſt melior hoc vel illo. Non eſt leve. Ergò, non eſt levius hoc vel illo.

2. Adhibenda tamen eadem eſt diſtinctio & cautela quæ in *reg. præc.* Vera enim eſt regula de comparativo propriè ſumto, & ut importat poſitivum cum adverbio *magìs*, ſed non eſt vera, ſi comparativus importet oppoſitum ſui poſitivi cum adverbio *minùs*, non enim ſequitur, Aqua non eſt levis. Ergò, non eſt levior terrâ. Furtum non eſt bonum. Ergò, non eſt melius ſacrilegio, ſi ſumatur *levius* pro minùs gravi, & *melius* pro minùs malo.

REGULA V.

Par parium eſt ratio.

1. Sive quod valet in uno parium, valet etiam in altero, & quod in uno non valet, nec in altero valet. Intelliguntur autem per *paria* commodiſſimè hîc ea *quæ ſunt æquè probabilia*. Vult igitur id propoſitio, quòd ſi unum eorum quæ æquè probabilia ſunt verum eſt, etiam alterum verum erit.

2. Scotiſtæ ſtatuunt, attributa divina formaliter ex natura rei diſtingui tum inter ſe, tùm ab ipſa eſſentia divina, & cùm objicitur, ex hac ſententia ſequi,

in Deo esse compositionem aliquam, respondent, ex distinctione reali inferri quidem compositionem, sed non ex distinctione formali ex natura rei, & hanc distinctionem posse stare cum summa simplicitate.

4. Contra hanc sententiam possumus uti præsenti principio: Si ex compositione reali infertur compositio realis, etiam ex distinctione formali ex natura rei, infertur compositio formalis ex natura rei. Sed prius verum est, asserentibus & concedentibus ipsis Scotistis, Ergò, & posterius. Consequentia est manifesta, quia antecedens & consequens sunt paria, sicut enim se habet distinctio realis ad compositionem realem, ità se habet distinctio formalis ex natura rei ad compositionem formalem ex natura rei, quemadmodum quilibet intelligit. Si igitur ex illa distinctione infertur realis compositio, Ergò, ex hac etiam infertur compositio formalis ex natura.

TIT. XVI. continens REG. IX.

circa doctrinam

Ejusdem, diversi, & distinctionis.

Antequam iis, quæ ad unum *pertinent, valedicamus, & ad alia progressum faciamus, exhibendus erit Titulus de* Identitate *&* Diversitate, *quò &* Distinctio *pertinet. Nam identitas est quædam unitas, ut habet Aristoteles,* 5. Metaph. c. 9. t. 16. *Diversitas autem identitati opponitur, & quia multa, & notatu dignissimæ*

ſimæ de oppoſitis occurrunt regulæ, oppoſitio verò ſub diverſitate comprehenditur, ideò huic titulo regulas de oppoſitis ſubjungemus. Eſto jam

REGULA I.

Identitas major præſupponit minorem.

1. Tribus modis dicit Ariſtotelis, 1.*top.c.6*, aliqua dici eadem, *numero* nimirum, ut veſtis & indumentum, Marcus Tullius & Cicero. *Specie*, ut Socrates & Callias. *Genere*, ut homo & leo. Sed 5. *Metaph. c.6. t.* 12. præter hos modos ponit quartum, quo aliqua dicuntur unum vel idem *analogiâ*, quorum ſcilicet quippiam ſic ſe habet ad aliquid, ſicut aliud ad aliud, ut fons & cor, ſicut ſe habet fons ad amnem ita cor ad animal.

2. Neque in hoc inconſtantiæ aut contradictionis arguendus eſt Ariſtoteles, quòd ſcilicet uno in loco plures modos unius vel ejuſdem conſtituit, quàm in altero, quia expreſsè *cit. 6. top.* inquit ſe ὡς ἐν τύπῳ, ſeu *rudi Minervâ*, genera ejuſdem proponere.

3. Eſt autem ſenſus regulæ, *Omnia quæ eadem numero ſunt, eadem eſſe ſpecie, & quæ eadem ſpecie, genere etiam eadem eſſe, & quæ genere eadem, analogiâ quoque eadem eſſe*, & per conſequens, *quæ numero eadem ſunt, etiam genere & analogiâ, & quæ eadem ſpecie, etiam analogiâ eadem eſſe*, non tamen vice versâ. Non enim omnia quæ ſpecie eadem ſunt, numero eadem ſunt, ut patet de Petro & Paulo, qui ſpecie idem ſunt, numero autem differunt, neque omnia quæ genere eadem ſunt, ſpecie quoque conveniunt, ut leo & homo, neque omnia quæ analogiâ eadem ſunt, genere eadem ſunt, ut fons & cor.

4. Proponit iſtam doctrinam clariſſimè Philoſophus *cit. t.* 12. *l.* 5. *Met.* his verbis, *Semper autem poſteriora ſequuntur priora v. g. quæcunque numero unum ſunt, ea omnia & ſpecie unum ſunt, quæ autem ſpecie non*

non omnia numero, sed genere unum omnia quæcunque & specie, quæcunque verò sunt unum genere non omnia specie sed analogiâ, quæ autem analogiâ unum, non omnia etiam genere. Maxima igitur identitas est numerica quod & Aristoteles, *c. 6. l.* 1. *Top.* testatur, minor est specifica, adhuc minor generica, minima omnium illa, quæ est κατ' ἀναλογίαν.

5. Verùm hîc sese offerunt nonnullæ difficultates. I. quod aliquid potest esse *numero unum*, quod non sit *unum specie*, quod apertè testatur Aristoteles, 1. *phys. t.* 60. ubi dicit, id quod in generatione subjicitur etsi unum numero est, specie tamen non esse unum, ut, cum ex ἀμούσου aut homine ἀμούσου fit μουσικὸς, idem numero sunt, hic homo & hic ἄμουσος, nec tamen idem sunt specie, quia non sunt idem ratione seu essentiâ, hominis enim & ἀμούσου essentia est diversa, *ut ait Aristoteles.*

6. II. Deus est actus purus, vel ens per essentiam sunt idem numero, significatur enim his vocibus eadem individua res & idem singulare, at singulare exponitur, quod est unum numero 3. *Metaph.* 3. *t.* 14. & tamen nec genere nec specie idem sunt, specie enim eadem sunt, quæ sub eadem specie continentur, & genere eadem, quæ sub eodem genere. At Deus juxta communem sententiam sub nullo est genere, & per consequens sub nulla etiam specie.

7. III. Id quod asserit Aristoteles, *Quæcunque unum genere sunt* (& per consequens etiam ea, quæ sunt unum specie & unum numero) *esse unum analogiâ*, verum esse non videtur. Nam Petrus & Paulus, qui idem specie & ex consequente idem genere sunt, non videntur esse unum analogiâ; Quæ enim inter eos intercedat analogia? & res clarissima est in iis quæ sunt idem numero: Quæ enim inter Marcum Tullium & Ciceronem (quæ voces synonymæ sunt) & idem numero, imò planè & simpliciter idem significant, interveniat analogia?

8. Ad I. potest responderi, hunc hominem & ἄμουσον, vel hunc ἄμουσον, intelligendo eundem hominem, esse unum numero, quantùm ad *materiale*, scili-

cet id quod significatur in recto, atque sic etiam unum esse specie, quod enim utroque termino hic homo & hic ἄμουσος significatur, in recto est hic homo, verbi gratiâ, Thersides. At hic vel ille homo, verbi gratiâ, Thersides, utique est ejusdem essentiæ, & sub homine tanquam specie specialissima comprehenditur. At quantùm ad *formale* non sunt ejusdem speciei, quia alia est essentia hominis, alia ἀμούσου, ut ἄμουσος est, seu ipsius ἀμουσίας, h. e. ignorantiæ, per quam aliquis est formaliter ἄμουσος, hâc autem ratione, nè unum quidem numero videntur, quia non sunt idem numero homo & ignorantia Musicæ.

9. Javellus, *in comp. log. tract* 4. *c.* 2. identitatem maximam seu numericam constituit duplicem, *essentialem*, qualem dicit esse inter synonyma, ut Marcum Tullium & Ciceronem; & *accidentalem*, qualem esse statuit, cùm idem significatur duobus nominibus, quorum unum substantiam significat, alterum proprium vel accidens ejus, ut si dicam, Hic homo, hoc visibile, & hoc album & eundem intelligam, quæ distinctio certè fundamentum habet in ipso Aristotele, qui *cit. cap.* 6. *l.* 1. *top. Solet autem*, inquit, *& hoc*, nempe idem numero, *multis modis dici; & maximè propriè quidem, &* 1. *Quando nomine aut definitione idem dicuntur, ut indumentum & vestimentum, nec non animal pedestre bipes & homo.* 2. *Cùm proprio idem dicitur, ut scientiæ susceptivum, & homo, item, quod natura sursum fertur, & ignis.* 3. *Cùm ratione accidentium, ut sedens vel Musicum, & Socrates, hæc enim omnia idem numero significant.* Sic Aristoteles. Primum modum identitatis vocat Javellus *essentialem*, secundum & tertium, *accidentalem.*

10. Respondet igitur jam Javellus, *identitatem numericam præsupponere reliquas, si sit essentialis*, hoc est, quando idem numero dicitur κυελώπατος ἢ πράττος, nempe nomine aut definitione, ut vestis & indumentum, homo & animal pedestre bipes, non solùm idem numero sunt, sed & specie & genere, ut patet. At si sit accidentalis, h. e. cùm idem numero dicitur proprio aut secundùm accidens, tunc id non necesse esse, id quod probat §. 5.

11. Sca-

11. Scarius in annotationibus dicit, illa esse unum numero, non secundùm se, sed secundùm accidens, quantùm nimirum in Socrate eodem, sedens vel musicum reperitur. Unde si in Socrate sunt per accidens unum numero, per accidens esse unum & specie & genere & proportione respectu individui subjecti, in quo sunt, cui conveniat & species, & genus, & analogia quædam.

12. Ad II. ut respondeam, puto dici posse duplex esse individuum, vel singulare, seu unum numero: *quoddam collocatum est sub specie aliqua*, & per consequens sub genere aliquo, ut Petrus, Bucephalus; *quoddam non continetur sub specie*, & per consequens, nec sub genere, ut Deus. Quæ diversitas non occurrit inter genus & speciem. Genus enim esse non potest nisi sub se habeat speciem, & species non potest esse nisi sit sub genere; quod de specie subjicibili manifestum est, & ratio diversitatis ea est, quod genus, & species (*subjicibilis*) sunt correlata. At individuum, singulare, unum numero sunt voces absolutæ nec important formaliter relationem ad speciem aut genus. Ex qua doctrina sequitur, non posse esse aliqua idem specie quæ non sint idem genere, cùm enim idem specie sint quæ continentur sub eadem specie, omnis verò species continetur sub aliquo genere, fieri non potest, ut aliquid sub eadem contineatur specie, quin sub eodem quoque genere contineatur. Potest fieri, ut aliqua sint idem numero essentialiter, nec tamen idem specie sit aliquod singulare: seu, idem numero est, quod non continetur sub specie ex terminis patet; posse esse aliqua numero idem, etiam essentialiter, ut Deus, & actus purus, seu ens per essentiam, quæ non sint idem specie. Limitanda igitur erit regula, *Identitas numerica essentialis præsupponit specificam*, seu quæ sunt idem numero essentialiter sunt eâdem specie, *nisi res significata per nomina sit singulare, seu unum numero, sub nulla specie contentum*, hæc mea est, salvo aliorum judicio, responsio.

13. Quod si cui placeat respondere, quæ idem numero sunt essentialiter idem esse specie, vel *positivè*,

ſcilicet formaliter, quia ſcilicet ſub una continentur ſpecie; vel *negativè*, quia ſcilicet non continentur ſub diverſis ſpeciebus ſeu quia non differunt ſpecie, quâ ratione Deus & actus purus ſeu ens per eſſentiam ſunt idem ſpecie, non autem ſpecie differunt hoc eſt, non ſunt ſub diverſis ſpeciebus, ille per me id facere licebit.

14. Quantùm ad III. omnino arbitror, non omnes alios modos identitatis præſupponere eum, qui eſt κατ' ἀναλογίαν, quod vel in iis, quæ numero idem ſunt manifeſtum eſt. Non enim eſt identitas analogica, niſi inter duas diverſas res in ordine ad alias duas res, in hoc ſcilicet conſiſtens, quod hæc res ad illam ita ſe habet ſicut alia ad aliam. At in identitate numerica, imprimis quâ eſt idem numero, eſſentialiter non ſunt duæ res, ſed una ſimpliciter & nullâ ratione à ſe differens.

15. Verùm in loco Ariſtotelis non levis, meo judicio, eſt difficultas. Fonſeca in illum textum plures affert reſponſiones, quarum duæ ſi non ſatisfaciunt, neſcio quid dicendum ſit. Prima eſt, quòd cùm Ariſtoteles tradit, omnia ea, quæ ſunt genere, & per conſequens, etiam omnia ea quæ ſunt ſpecie & numero idem, eſſe unum analogiâ, ſenſum eſſe, negativum diverſitatis analogicæ, quod dictum ſit, non eſſe diverſa ſecundùm analogiam, quem exponendi modum etiam §. 3. adduximus, nec parum eſt uſitatus apud autores. Altera eſt ea, quæ cum aliquo ſunt idem numero vel ſpecie vel genere, eſſe etiam analogicè eadem cum aliquo, licet non cum eodem, cum quo dicuntur ſcil. idem numero vel ſpecie vel genere. Vult nimirum hoc quòd licèt v. g. inter Ciceronem & Marcum Tullium, qui idem numero ſunt, nulla intercedat analogia, cùm ſignificatum horum nominum planè ſit idem, Ciceroni tamen cum alio intercedere aliquam analogiam. Quæ tamen reſponſio dura, neque inſtituto Ariſtotelis conſentanea Fonſecæ videtur, eam tamen innui à Scario in verbis ſupra citatis exſiſtimo. Alias reſponſiones & inter eas etiam illam quam Scarius in indice locupletiſſimo proponit,

proponit, quæ mihi non probantur, adducere & examinare tempus non permittit.

REGULA II.

Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.

1. Elicitur hoc axioma ex 3. *phys.* *t.* 10. eòque abutuntur Anti-Trinitarii ad distinctionem realem personarum in divinitate improbandam. Cùm enim tres personæ realiter sint idem essentiæ divinæ, sequitur, eas etiam realiter idem inter se esse. Thomistæ id etiam usurpant contra Scotum & Nominales non distinguentes realiter distinctiones animæ ab ipsa anima. *Si enim* aiunt, *potentiæ animæ sunt idem uni tertio, nempe ipsi animæ substantiæ, sequitur, eas quoque easdem esse inter se & per consequens inter se non distingui.*

2. Varii varias excogitarunt hujus regulæ explicationes & limitationes, nos breviores erimus. Thomas, *p.*1.*q.*28.*a.*3. dicit, *eam valere in iis, quæ sunt eadem uni tertio re & ratione*, quod & Capreolus sequitur, 1.*dist.*2. *q.* 3. *a.* 1. & certè hic sensus fundamentum habet in *cit.* *t.*18. *l.*3. *phys.* ibi enim probaturus Aristoteles, motum esse actum entis in potentia, non quantùm actu est, sed quantùm potentiâ est, docet, cùm subjectum motûs sit & actu & potentiâ, sicut verbi gratiâ, æs ex quo statua fieri potest actu æs est, & potentiâ statua, non item esse κτ̀ τὸν λόγον, *ratione*, scilicet formaliter, subjectum motûs, verbi gratiâ, æs actu esse æs, & potentiâ esse statuam, quod ut demonstret, sumit exemplum à contrariis: Ponamus subjectum morbi & sanitatis esse sanguinem, statuit Aristoteles non esse ratione idem, sanguinem actu esse, & potentiâ valere, nam aliàs etiam idem esset, actu esse sanguinem, & potentiâ ægrotare, cùm sit par ratio. Probat autem quod potentiâ valere, & potentiâ ægrotare non sint idem ratione cum hoc tertio, quod est sanguinem actu esse, quia alias essent eadem inter se ratione (*at certè non sunt ratione eadem inter se potentiâ valere & potentiâ ægrotare*, *aliàs*

enim valere & ægrotare ratione idem essent) quæ consequentia non aliunde nisi ex axiomate nostro robur habet. Nempe quæcunque sunt eadem ratione uni tertio, sunt quoque ratione inter se eadem.

3. Sunt, qui sensum istum rejiciunt, propterea quòd hoc axioma sit fundamentum consequentiæ Syllogisticæ quantùm nimirum velit, quòd quando duo extrema conjunguntur uni tertio, nempe termino medio (*in præmissis*) tunc etiam inter se (*in conclusione*) sint conjungenda. At si, *inquiunt*, principium istud loquitur de iis quæ re & ratione uni tertio idem sunt, tunc non distinguerentur tres termini in Syllogismo, sed semper idem inferretur ex eodem.

4. Nos dicimus, regulam hanc utiq; veram esse de iis, *quæ re & ratione eadem sunt uni tertio*, id quod clarè discursus ex Aristotele deductus ostendit, sed non solùm: extendit enim etiam ad ea quæ alio modo, & plus quàm ratione uni tertio eadem sunt neq; plùs probat §. 3. ratio adducta, etsi ponatur, eam esse principium consequentiæ syllogisticæ, certè, quia aliquem Theologum & Philosophum esse, sunt idem uni tertio, nempe Gabrieli, ponitur enim Gabrielem simul Philosophum & Theologum esse, ideo inter se idem sunt, ita ut dici possit, quidam Philosophus est Theologus, ubi certum est, Philosophum esse & Theologum non ratione sed re solùm & subjecto idem esse cum Gabriele, quam ob causam & Philosophus & Theologus non ratione & conceptu, sed re solùm inter se idem sunt.

5. Unde rectè Suarez, *disp. Met 7. s. 3. n* 8. scribit, illud axioma, Quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, intelligendum esse cum *proportione*, nam si sunt eadem re uni tertio, simili modo erunt eadem rei inter se, poterunt autem ratione diversæ. Si autem re & ratione sint uni tertio eadem, erunt eodem modo eadem inter se, quamvis id non sit ad palatum Cajetani, *ad cit. loc. Thomæ*.

6. Cæterùm vulgata explicatio est, requiri ad veritatem regulæ, ut aliqua sint eadem uni tertio *singulari*, nam fieri posse ut aliqua idem sint uni tertio

univer-

universali, nec tamen inter se sint idem, manifestum est. Nam homo & leo sunt eadem animali, namq; & homo est animal & leo est animal, nec tamen sunt eadem inter se: non enim homo est leo, eadémq; est ratio omnium, quæ specie differunt, sunt enim idem cum genere, inter se tamen idem non sunt.

7. Dicis: Tres personæ sunt idē essentia divina, quod est aliquod singulare, nec tamen inter se sunt idem.

8. Respondent addendo id, quòd scilicet ita debeat esse singulare, *cui aliqua idem sunt, ut sit quoque incommunicabile*. Jam licèt essentia divina sit singularis, quia tamen communicabilis est tribus personis, ideo non mirum esse illas personas non esse inter se idem, etsi essentiæ idem sint.

9. Nempe licèt essentia divina singularis sit, refert tamen naturam universalis, in eo nimirum, quòd, sicut universale prædicatur de pluribus, ut homo de pluribus, & diversis suppositis Petro, Paulo, Joanne, &c. sic divina essentia prædicatur de pluribus realiter distinctis suppositis seu personis, contra ingenium aliorum singularium, per hoc tamen essentia divina non est numeranda in rebus universalibus, sed est & manet maximè singularis, propterea quòd de natura & ratione universalis est, ita de pluribus prædicari, ut in illis multiplicetur, sicut humana natura multiplicatur in Petro, Paulo, Joanne, sunt enim tres distinctæ in illis humanæ naturæ, & ipsi sunt tres homines, at divina essentia non multiplicatur in divinis personis: non enim tres essentiæ divinæ, nec tres dii, sed tres personæ. Sic ergò dici potest, illa esse eadem inter se, quæ sunt eadem uni tertio singulari, quod scilicet ita *singulare* est ut *non accedat ad naturam universalium in eo quod de multis prædicetur*. Et hoc est, quod alii dicunt requiri ut illud singulare sit *incommunicabile*, & per hoc jam responsum est ad argumentum Anti-Trinitariorum §. 1. adductum.

10. Quod si igitur argumentum in forma syllogistica proponatur hoc modo, Essentia divina est Pater, essentia divina est Filius, vel Filius est essentia

divina, ergò Filius est Pater. Dicit Scotus, 1. *prior.* *q.* 11. hunc & similes syllogismos debere exigi ad dictum de omni, quod si fiat, majorem falsam reddi. Ut igitur positus syllogismus ad dictum de omni conformetur, sic erit construendus, Omne quod est essentia divina, est Pater. Filius est essentia divina. E. Filius est Pater. Sed sic licèt verum sit hoc, Essentia divina est Pater, tamen hæc major, Omne quod est essentia divina est Pater, est falsa. Vide ibi Scotum & Gregorium, 1. *dist.* 5. *q.* 1.

11. Quantum ad dubium de facultatibus animæ non est difficile Scotistis & Nominalibus respondere. Qui enim statuunt facultates esse idem cum anima realiter, possunt etiam concedere, eas inter se realiter idem esse, verbi gratia ipsâ intellectum & voluntatem, quamvìs non sequatur indè, eas nè ratione distingui.

12. Plura de hac regula videri possunt apud Durandum, 3. *dist.* 21. *q.* 1. Gregorium, 1. *dist.* 33. *q.* 1. *ad tertium principale.* Marsilium, 1. *q.* 6. *a.* 3. Soarium, *l.c.* Vazquez, *part.* 1. *tom.* 2. *disp.* 123. *n.* 2. *& seqq.* Mendoza, *disp.* Log. 10. *s.* 16. Arnisæum, *in notis ad Crellium* *l.* 3. *c.* 8. & alios.

Regula III.

Quorum casus & conjugata sunt eadem, illa ipsa sunt eadem, Aristoteles, 7. top. c. 1 §. 2.

1. Agit Aristoteles de locis ejusdem & diversi, ex quo nonnullas huc transferemus maximas. Loquitur autem de iis quæ unum sunt κυριότητα primariò vel maximè propria, nempe quæ sunt idem numero, & quidem formaliter & simpliciter, quemadmodum §. 3. Aristoteles ipse vocat ἁπλῶς ταὐτά. Et dicit rectè Schegkius in hunc locum. Ea quæ ratione definitionis unum sunt, unum numero esse dici, quod est secundùm ipsum Aristotelem, 1. *top. c.* 6. supra *reg.* 1. allegatum & *l.* 2. omnium maxima unitas etiam identitas seu ταυτότης est formalis, cujus probatio h. l. instituitur, excludens, scilicet omnem diversitatem, & quam hic vocat ταυτότητα formalem, paulò pòst vocat ταυτότητα definitionis.

2. Quod ad præsens axioma attinet, per *conjugata* abstractum & indè deductum denominativum vel concretum, per *casus* autem adverbia ab iis derivata intelligi, cuilibet puto notum est, & res ipsa apud Aristotelem loquitur.

3. Valet autem negativè regula, Quorum casus & conjugata non sunt eadem, illa ipsa eadem non sunt, ut si justitia est idem quod fortitudo, & justus erit idem quod fortis, & justè idem quod fortiter. Quòd si justitia non est idem quod fortitudo nec justus erit idem quod fortis, nec justè idem quod fortiter. Hinc probari potest, injustitiam & iniquitatem idem esse, propterea quòd injustum & iniquum, injustè item & iniquè idem sunt.

Regula IV.

Quorum opposita sunt eadē, illa ipsa sunt eadem.

1. *Et quorum opposita non sunt eadem, illa ipsa non sunt eadem*, ut si idem sunt candidum & album, etiam atrum & nigrum idem sunt, & si illa non sunt idem neque hæc idem erunt. Ita si nihil & non ens idem sunt, vel non sunt, etiam aliquid & ens idem sunt, vel non sunt, quoniam aliquid & nihil, ens & non ens opponuntur.

Regula V.

Quæ eadem sunt, eorum origines & interitus ut τὰ ποιητικὰ & τὰ φθαρτικὰ eadem sunt.

1. Illustrat Schegkius hanc propositionem exemplo, quo à *destructione consequentis ad destructionem antecedentis* argumentatur, Si felicitas & voluptas idem sunt definitione, seu simpliciter ut visum Eudoxo fuit, utriusque scilicet efficiens esset idem. At virtus felicitatis tanquam ἐνεργείας causa est, voluptatis autem per se effectrix causa virtus non est, sed ἐπιγιγνόμενον & quasi σύμπτωμα est quoddam energiæ sentientis aut intelligentis animæ, optimè secundùm naturam habentis voluptas.

2. Augustus Niphus putat hoc axioma esse ἀντι-

στροφ

ςρφον hoc eſt, converti ità, Ut quorum generationes & corruptiones eædem ſunt, illa ipſa idem ſint, & producit pro ſe Ariſtotelem, qui 4. *Met.c.2.* colligit, ens & unum idem eſſe ex eo, quòd generatione & corruptione non ſeparentur, hoc eſt, *ut ait Niphus*, quòd eorum generatio & corruptio eadem ſit.

3. Verùm Schegkius ἀντίςροφον negat, idq; probat indè, quòd ſimul efficiuntur & perimuntur ſubjectum & ipſius proprium πάθος, item forma & totum ipſum, quæ tamen, quòd ſint idem numero, i.e. formaliter, ſeu definitione idem, manifeſtum eſt, tametſi ſi propriè loquamur, *inquit*, proprii πάθους neq; generatio per ſe, neque corruptio dicatur eſſe.

4. Negat quoque Schegkius ex eo, quòd aliorum ποιητικὰ & φθαρτικὰ, id eſt, *effectiva & corruptiva*, eadem ſunt; colligi poſſe illa ipſa eſſe eadem. Nam ſymptoma, inquit, à morbo provenit, & morbus à cauſa morbifica, quod utriuſq; idem efficiens eſt, & ſublatâ cauſâ, ſimul morbus & σύμπτωμα tollitur, nihilominus definitionibus differunt, nec ſunt formaliter idem morbus & ſymptoma, cùm in ſua definitione includat morbum.

5. Verùm hîc reſponderi poſſet Schegkio, quod cùm dicitur ea eſſe eadem, quorum cauſæ effectrices & corrumpentes omnes ſunt eædem. Atqui cauſæ efficientes morbum & ſymptoma, non omnes ſunt eædem, licèt enim id quod eſt cauſa morbi, ſit etiam cauſa συμπτώματος, non tamen omne id quod eſt cauſa συμπτώματος eſt etiam cauſa morbi, nam fatente Schegkio, morbus eſt cauſa συμπτώματος, nec tamen eſt cauſa ſuiipſius.

6. Ad locum Ariſtotelis, 4. *Met.* facilè eſt reſpondere, nempe ſermo in hac regula de iis eſt, quæ formaliter, & ut Ariſtoteles loquitur, ἐπὶ τῶ ςτῦ ὕλη ſunt. At cùm Ariſtoteles ex eo quòd aliquorum, ut entis & unius, generationes & corruptiones non ſeparantur, colligit ea idem eſſe, non loquitur de identitate, quâ aliqua ſimpliciter & formaliter idem ſint. Expreſsè enim dicit, ens & unum idem eſſe, ἀλλ' ἐχ' ὡς ἑνὶ λόγῳ δηλέμενα, ſed non ut quæ unâ ratione declarentur.

rentur. Certè ubicunque Aristoteles de ratione unius agit, ut 5. *Met. c.* 6. & 10. *Met. c.* 1. & 5. eam per negationem divisionis, quod scilicet unum sint quæ divisa non sint, declarat. At hæc non est ratio entis.

REGULA VI.

Quæ sunt eadem, habent eadem accidentia, vel ipsa habent earundem accidentia.

Hospinianus, *l.* 7. *de controv. Dial.* eos qui paronyma (de quibus Aristoteles, *in lib. categ.*) eadem esse statuunt cum conjugatis (quæ Aristoteles in top. σύστοιχα vocat) refellit per præsentem regulam. Nam conjugatis accidit quòd sint abstracta, at id paronymis non accidit, abstractum siquidem est ex numero conjugatorum, & sub conjugatis comprehenditur, at non comprehenditur sub paronymis, quis enim unquam audivit, abstractum esse paronymum? Ergò conjugata & paronyma non habent eadem accidentia. Sic genus & species non sunt idem, quia multa possunt accidere generi quæ non possunt accidere speciei, quemadmodum & animali non repugnat esse quadrupes; in hominem tamen id non cadit. Sic voluntas & appetitus non sunt unum, quia appetitus non hominis solùm, sed & bruti est accidens, at voluntas homini tantùm inest.

REGULA VII.

Quæcunque sunt eadem, & prædicata habent eadem, & ipsa de iisdem prædicantur.

1. Prior regula loquebatur tantùm de accidentalibus prædicatis. At hæc concernit omnia prædicata sive accidentalia seu essentialia, hinc etiam est ἀντίστροφος. Quæcunque enim ita se habent, ut quæcunq; de uno prædicantur, ea etiam prædicentur de altero, & de quocunque unum prædicatur, de eo etiam prædicetur alterum, illa simpliciter unum sunt. Quòd si verò subjecta aut prædicata discrepent, non erunt simpliciter eadem, ut quòd κάλλος & forma substantialis non sint idem, ex eo manifestum est, quòd de

κάλλος

κράσει prædicatur, compositum esse ex elementis, sed de forma id ipsum prædicari haud poterit. Hâc regulâ docet Aristoteles, 1. *de gener. & corrupt*, διάκρισιν & φθορὰν non esse idem formaliter, quia de non abolitis substantiis prædicetur διάκρισις, de quibus tamen non prædicetur φθορά. Potest hinc etiam probari, quod etiamsi essentia divina & Pater (*eadémque est ratio aliarum personarum*) reipsâ idem sint, non tamen simpliciter idem esse, quia scilicet diversa habent prædicata: prædicatur enim aliquid de essentia, quod non prædicatur de Patre. Essentia enim est communis omnibus tribus personis. Sed Pater non est aliquid commune tribus personis, cùm Pater, Filius & Spiritus sanctus divina quidem essentia & Deus sint, sed Filius & Sp. S. non sunt Pater.

2. Complectitur hæc regula sub se præcedentem & plures alias quas Aristoteles, *cit. cap. 1. l. 7. top.* proponit, quales sunt: Quæ sunt eadem, sunt in eodem prædicamento, habent idem genus, habent easdem differentias: quorum unum recipit intensionem, alterum non recipit, aut si utrumque recipiat quidem, sed non necessariò eodem tempore, illa non sunt eadem, ut amor non est idem, quod cupiditas congrediendi, licèt enim utrumque recipiat intensionem, fit tamen ut quis amet, nec tamen magìs cupiat congredi.

Regula VIII.

Quorum unum potest esse sine altero, illa non sunt idem.

Ut non sunt idem formaliter continens & temperans, quia potest esse continens ut non sit temperans, non est ἀντίστροφον. Non enim ex eo colligi potest, aliqua esse idem, quod unum sine altero esse non possit, nam species non potest esse sine genere, neque tamen genus & species simpliciter idem sunt. Sic trium personarum divinitatis una non potest esse sine altera, simpliciter tamen idem non sunt, sed potiùs differunt inter se realiter, licèt idem sint in essentia.

REGULA IX.

Quorum unum sine altero esse potest, vel, quæ sejuncta esse possunt, illa distinguuntur realiter.

1. Non est eadem hæc regula cum præcedenti, quoniam non est idem, idem esse aliqua, & aliqua distingui realiter, genus & species non sunt idem scilicet formaliter & simpliciter, nec tamen realiter differunt. *Vide quæ reg.* 3. §. 1. *diximus.*

2. Inquis: Fundamentum relationis & ipsa relatio non distinguuntur realiter, nihilominus tamen fundamentum sine relatione esse potest, annon enim homo potest esse sine paternitate seu ut non sit pater, tum quia longo tempore solet esse homo, antequam fiat pater, tùm quia in mortuo filio non manet pater.

3. Ut hoc dubium tollatur, notandum, *relationem importare formaliter aliquid intrinsecum partim, partim extrinsecum.* Intrinsecum est ipsum fundamentum. Extrinsecum est terminus ad quem relatio subjectum vel fundamentum refert, cùm relatio sit formaliter aliquid in subjecto ad terminum. Sicut Paulus dicitur similis Petro, quia uterque est pallidus, similitudo quæ relatio est, importat aliquid in Paulo nempe pallorem Pauli, & aliquid in Petro nempe pallorem Petri, qui pallor est extra Paulum. Jam igitur Resp. *Relationem à fundamento non distingui realiter, quantum ad intrinsecum,* quod importat & hac ratione fundamentum sine ea esse nequit, quoniam est ipsum fundamentum. Quod autem relatio à fundamento abesse & sic fundamentum sine ea esse potest, id accidit propter terminum, quia enim fundamentum esse potest sine termino, & verò relatio formaliter includit terminum, ideò ratione termini fundamentum potest esse sine relatione. Et ex hac parte concedo, relationem differre â fundamento realiter. Sic E explico regulam, *Quorum unum sine altero esse potest, illa distinguuntur realiter, quantùm ad id, secundùm quòd unum sine altero esse potest.*

4. Dicis

4. Dicis ulteriùs, quod Petrus potest esse sine præsentia, quâ est præsens templo, cùm enim ampliùs non est in templo, est sine illa præsentia, Petrus tamem & ejus essentia non distinguuntur realiter, sed modaliter solúm.

5. Resp. Modalem distinctionem non habeo pro peculiari genere distinctionis, distincto à distinctione reali, ideo & modalis distinctio realis est. Aliàs dicitur distinctionem realem sumi dupliciter: 1. *Latè* & sic dicitur omnis ea distinctio, quâ aliqua citra mentis operationem distinguuntur & comprehendit modalem. 2. *Strictè*, ut opponitur modali, & est ea, quæ est inter rem & rem. Posset igitur dici, distinctionem realem in regula nostra latè sumi, ut modalem comprehendit. *Vide Soarium disp. Metaph.* 8. *s.* 2.

TIT. XVII. continens REG. XVIII.

circa doctrinam Oppositorum.

REGULA I.

Opposita non possunt dici de eodem.

1. Cùm audis vocem *opposita*, hoc ipso moneris, nè pro oppositis habeas quæ revera opposita non sunt, facilis enim hac in parte deceptio est, h.e. facilè pro oppositis accipiuntur quæ opposita non sunt, cùm *vox est æquivoca:* ita cum Christus Pharisæos vocat cœcos, qui tamen videbant, noli existimare opposita de eodem dici. Nam vox *cæcus* ibi non significat illum qui destituitur facultate videndi, quæ per oculos exeritur, sed traducta est ad animam, & significat eum qui in claro doctrinæ lumine impingit, sic autem cœcus & videns, ut videns propriè sumitur, non opponuntur.

2. Cæterùm, cùm dupliciter aliquid de aliquo prædicari possit, *simpliciter*, & *secundùm quid*, seu cum adjectione-

adjectione alienante aut diminuente, qua de re vide Aristotelem, *in fin.top.* 2. & ea quæ suprà *tit.* 6. *reg.* 3. § 8. diximus, & Fonsecam *l* 7. *instit. c.* 18. *& l.* 8 *c.* 11. Philip. Du. Trieu, *tr.* 4. *manud. p.* 2. *c.* 2. *a.* 2. Dico 1. *Regulam loqui de prædicatione simpliciter.* Non possunt opposita de eodem prædicari simpliciter, possunt tamen cum adjecto alienante vel diminuente, aquam tepidam enim rectè dico, ex parte calidam esse, ex parte frigidam, & crepusculum ex parte diem, ex parte noctem. At absolutè aqua tepida non est calida & frigida, nec crepusculum absolutè est dies aut nox. 2. Regula intelligenda est de *eodem tempore*, diverso enim tempore opposita de eodem dici possunt, sicut eadem aqua modò calida est, modò frigida; at non eodem tempore. Intelligenda est de *eodem respectu*, nam idem potest dici pater & filius, quæ relativè opposita sunt, sed respectu diverso, potest enim aliquis esse pater hujus, & filius illius; sicut Æneas fuit pater Juli, & filius Anchisæ, sed ejusdem aliquis pater & filius esse non potest, sicut impossibile est, Æneam esse patrem Anchisæ cùm filius fuerit. 4. De *eodem subjecto singulari*, de eodem genere vel specie duo opposita prædicari possunt, utraq; enim propositio est vera, Aqua est calida, aqua est frigida, si intelligatur de diversis aquis, quæ idem specie sunt, at de aqua eadem numero affirmari non possunt, quòd sc. sit frigida & calida simul.

3. Dicis: Illa aqua, quæ calida est, est simul frigida potentiâ. E. duo opposita simul possunt affirmari de eadem re singulari. Resp. Vox *potentia* est adjectio alienans, h. e. destruens seu tollens rationem ejus, cui additur. Unde sicut id, quod est potentiâ homo, non est verè & simpliciter homo, ita illud quod est potentiâ calidum, non est calidum. Hinc ergò ex eo, quòd illa aqua, quæ calida est, dicitur simul frigida potentiâ, sequitur tantùm, quòd opposita possint dici simul de eodem, cum appositione alienante, quòd quidem jam antè concessum est.

4. Additur plerunque regulam accipiendam esse *de eodem secundùm eandem partem*, cùm ratione diver-

sarum

sarum partium opposita de eadem re prædicari simul possint, sicut Æthiops est niger,& est simul albus secundùm dentes.Rectè hoc quidem, sed & ista cautio continetur in §.2. Diximus enim regulam non loqui de prædicatione, quæ fit cùm addito diminuente.At cùm prædicantur duo opposita de eodem, secundùm diversas partes,alterum saltē cum additione diminuente & non absolutè prædicari, sicut absolutè quidē Æthiops niger dicitur,sed absolutè non dicitur albus, sed secūdùm dentes,quæ determinatio est diminuens

5. Atq; hæc quidem de affirmatione oppositorum de eodem diximus, quòd sc. non possint de eodem affirmari simul,& sic si unum illorum de aliquo affirmatum fuerit, quòd alterum de eodem sit negandum. Sed quæritur ulteriùs de negatione, *An negato uno oppositorum de aliquo, alterum de eodem sit affirmandum.* De contradictoriè oppositis universaliter ita statuendum est. De quo unum ex contradictoriè oppositis negatur,de eo alterum est affirmandum,sed hac de re infra in explicatione regulæ,*Inter contradictoria non datur medium.* Aliorum generum oppositionis alia est ratio; & distinguendum inter *subjectum capax*, seu susceptivum, & *incapax*. Circa subjectum incapax pono hanc propositionem,*De subjecto incapaci omnia opposita sunt neganda* : vel, *De quo negatur unum oppositorum de eo & alterum negatur si sit subjectum incapax*,id quod patet ex terminis: hoc ipso enim quod subjectum aliquod neutrius oppositorum capax est,neutrum de eo potest affirmari.

6. Duplex autem est subjectum capax contrariorum seu oppositorum : Quoddam est *capax utriusque*, sicut animal & morbi & sanitatis capax est. Quoddam tantùm *alterius*, quod fit in contrariis, quorum unum inest subjecto per naturam, sicut ignis capax est caloris non frigoris. Unde & incapax duplex, Quoddam est *utriusque incapax*, ut Diabolus, nec calori nec frigori est obnoxius ; quoddam tantùm *alterius* ,ut ignis vel frigoris. Locutus sum de subjecto incapaci utriusque, nam si alterius tantùm sit incapax, non est de eo utrumq; negandum.

7. De

7, De subjecto capaci, quantùm ad relativè opposita, etiam à negatione unius de aliquo nec ad affirmationem, nec ad negationem alterius *valet consequentia* sicut non valet, Hic non est Dominus illius, E. est servus ejus, licèt & servus ejus esse possit & Dominus; nec valet. Non est servus ejus, E. nec Dominus ejus est.

8. Contraria quod attinet, aliter pronunciandum est de mediatis aliter de immediatis: *A negatione unius contrariorum immediatorum de subjecto capaci ad affirmationem alterius valet consequentia* ut si aliquis homo non est æger, necesse est, eum esse sanum, quandoquidem ex sententia Philosophi non datur medium inter ægrum & sanum esse. At à *negatione unius contrariorum mediatorum de subjecto capaci, nec ad affirmationem nec ad negationem alterius valet consequentia*; ita non sequitur, Hic paries non est albus, E. est niger, quia potest esse ruber vel flavus, & non sequitur, non est albus, E. nec niger, quia potest esse niger.

9. De privativè oppositis ita pronunciant alii, *A negatione unius privativè oppositorum de subjecto capaci ad affirmationem alterius tempore à natura determinato valet consequentia* sicut sequitur, Hic homo non est cœcus, E. videt. Dicitur *tempore è natura determinato*, h.e. eo tempore, quo subjectum per naturam est capax habitûs, propterea quòd extra tale tempus consequentia non valet, ita non valet, si de infante recèns nato ita colligas, non habet dentes, Ergo est edentulus, quia ipsi eo tempore per naturam dentes non debentur.

10. Verùm, licèt ut plurimùm ita sese habere concedam, non tamen puto esse *perpetuum*. Existimo enim & quædam privativè oppositorum esse, quæ habeant medium quòd ex extremis quasi compositum sit, qualia quidem sunt ea, quæ magìs & minùs recipiunt, ut luminosum & tenebrosum (*dicitur enim aliquid magis vel minùs luminosum & tenebrosum*) inter quæ, in crepusculo datur medium ex lumine & tenebris quasi compositum. Atque adeò aer tunc nec luminosus est, nec tenebrosus, sed

sed ex parte luminosus, ex parte tenebrosus. Unde non valet, Aer non est luminosus, E. est tenebrosus.

Regula II.

Contraria non possunt esse simul in eodem subjecto. Aristoteles c. 11. cat. & 4 Met. c. 6, t. 21.

1. Non planè idem dicit hæc regula quod præcedens, 1. Quia illa loquebatur de prædicatione contrariorum, hæc verò loquitur de inesse eorundem. At non est idem judicium de prædicatione, & de inesse, siquidem fieri potest, ut aliquid de aliquo non prædicetur & tamen ipsi insit, sicut constat ex *reg.* 3 *tit.* 6 2. Quia autores, de quibus *præcedenti regulâ* nulla est controversia, circa præsentem dissentiunt, sicut ex mox dicendis perspicietur.

2. Quod autem regula de *eodem tempore* sit intelligenda, expresse significatur per vocem *simul*, intelligenda etiam *de eodem subjecto secundùm eandem partem*, & utrumque liquidum est ex *reg. præced.*

3. Gregorius, 1. *sent. dist.* 17. *quæst.* 3. *a.* 2. Soncinas, 10. *Met. q. ult.* statuunt, nè in gradibus remissis quidem contraria in eodem subjecto esse posse. Sed Capreolus, 1. *dist.* 47. *q.* 2 Javellus, 10. *Met. q.* 3. ex instituto contra illos disputent, asserentes, in gradibus remissis, in eodem subjecto esse posse, eadémque est plerorumque aliorum sententia.

4. Hanc controversiam ut intelligas, præmitto, *Quamlibet formam quæ intensionis & remissionis est capax, habere aliquem suæ perfectionis terminum, ultra quem non possit intendi, eámq; si habeat, esse summam & perfectissimam.* Statuatur ergò calorem summum continere octo gradus, illi gradus qui sunt ultra medietatem nempè 5. 6. 7. 8. appellantur intensio & excellentes: illos verò infra quintum, qui sunt, primum sc. secundum, tertium & quartum, voco remissos.

5. Nunc facio duas conclusiones: 1. *Contraria non possunt esse in eodem subjecto in gradibus remissis, seu excellentibus.* Ista conclusio, quantùm scio, non est controversa. Patet autem ejus veritas ex regula præcedenti. Nam qualibet forma intensa, denominat

nat absolutè subjectum in quo est, sicut ab excellenti seu intenso calore aqua dicitur *calida*, & ab excellente frigore dicitur *frigida*; si ergò duo contraria extensa essent in uno subjecto, denominarent illud absolutè, h. e. contraria absolutè affirmarentur de eodem, ut si in una aqua essent calor 5. vel 6. graduum, & frigus 5. vel 6, vel 7. graduum, illa aqua esset simul calida & frigida, absolutè dicenda.

6. Quod autem dixi, istam conclusionem non esse controversam, intelligendum est de potentia naturæ. Per naturam contraria in gradibus excellentibus non possunt esse in eodem subjecto, sed quid per potentiam Dei hac in parte fieri possit, discrepat inter autores.

7. Aristoteles, *cit. t.* 17. *l.* 4. *Met.* ex eo probat, contraria non posse simul eidem inesse, in gradibus excellentibus, sc. & ita ut ambo de eodem prædicentur simpliciter, quod fieri nequeat ut contradictoria simul de eodem affirmentur. Statuit ergò Aristoteles unum contrariorum inferre negationem alterius, indéq; si duo contraria de eodem affirmentur, fore ut contradictoria simul de eodem affirmentur, cui accedit Thomas, qui 2. *contra gentes c.* 25. *Contradictio* inquit, *in contrariis & privativè oppositis includitur, sequitur enim si est album & nigrum, quòd sit album & non album*; eadémque est communis aliorum sententia.

8 At Petrus de Palude, *l.* 3. *sent. dist.* 15. *q.* 2. disputat & asserit, etiam contraria in gradibus excellentibus eidem subjecto simul, & secundùm eandem partem per potentiam Dei absolutam inesse posse, cùm existimet contrarietatem non includere contradictionem, neque unum contrariorum inferre negationem alterius. Pro quo scribit Suarez, *disp. Met.* 45. *s.* 4. *n.* 16. *Unum contrariorum non habet immediatam & formalem oppositionem negativam cum alio, sed ea infert mediatè, quantùm effectus unius est naturaliter incompassibilis cum effectu alterius, quam incompaßibilitatem potest Deus impedire, & simul conjungere utrumque effectum positivum in eodem subjecto, ita ut in se sit*

simul

sit simul calidum ut 8. *& frigidum ut* 8. Vide eundem Suarez. *part.* 3, *tom.* 1. *disp.* 18. *s.* 3. & confirmant hanc sententiam ex eo, quod naturaliter repugnat, duo corpora esse in eodem loco; per potentiam tamen absolutam illa repugnantia potest tolli, & duo corpora in eodem loco simul constitui. Sed contra hanc sententiam disputat Capreolus, *l.c.v. & Greg. l.c.*

9. II. Conclusio, *Contraria possunt esse in eodem subjecto in gradibus remissis.* Hoc vult ista conclusio, calorem v.g. in 4. & frigus in 4. posse esse in eodem subjecto, quòd fit in aqua, quando est accuratè tepida, imò sufficit, si una qualitas remissa sit infrà quartum gradum, cùm ea enim potest contraria intensa simul consistere, sicut id quod est calidum non tamen summè habet v.g. 6. caloris, & duos frigoris, vel 7. caloris & unum frigoris. Sciendum enim tot gradus unius contrarii in subjecto aliquo esse, quot alteri desunt ad summam perfectionem, ut si calor 8. graduum est in igne, nihil frigoris ibi est, quia nullus gradus deest illi calori ad summam perfectionem, si verò in aliquo est calor 7. unus in eo gradus frigoris erit,

10. Non dubitamus autem pro ista conclusione adducere ipsum Aristotelem: is *n.* 5. *phys. t.* 19. magìs autem minùs esse, *inquit*, est contrarii, plus aut minùs inesse & non inesse & *t.* 45. Quid autem minus est, ob mixtionem contrarii semper est, & probatur per experientiam, quæ tam clara & evidens esse videtur, ut eam sine insolubili ratione negare Philosophi non sit. Cùm enim aqua calefit ab igne, certum est, aquã in se recipere calorem & tamen non statim amittit totã frigiditatẽ. Est igitur ibi simul aliquid frigoris & aliquid caloris. v. Fran. Suar. *dis.* 45. *s.* 4

11. Dicis, 1. Contrarietas est repugnantia, qua aliqua non possunt esse in eodem subjecto. E. quæcunq; sunt contraria, illa non possunt esse in eodem subjecto. Minor probatur, quia contrarietas est repugnantia secundùm essentiã, E. quæ obtinent essentiam contrariorum, sunt contraria. At gradus remissi contrariorum obtinent essentiam contrariorum, sicut frigus remissum, est essentialiter frigus & calor

remissus

remissus essentialiter calor. 2. Si contraria remissa sunt in eodem subjecto, subjectum indè determinabitur h. e. duo contraria dicentur de eodem, quia quælibet forma suum subjectum denominat.

12. Ad I. Resp. Negando minorem. Gradus remissi non sunt contrarii: est quidem contrarietas repugnantia secundùm essentiam, verùm non simpliciter, sed in tali gradu: unde nos invertimus argumentum: Gradus remissi contrariorum possunt esse in eodem subjecto simul, ergò non sunt cōtrarii. Antecedens consistit per experientiam, & quia omnia argumenta adversariorum solvi possunt.

13. Ad II. Negatur consequentia, neq; verum est, quamlibet formam denominare simpliciter subjectū in quo est, sicut dictum fuit §. 1. Argumenta Gregorii & Soncinatis brevitatis causâ omittimus. Videantur eorum solutiones apud Capreolum, Javellum, Soarium, *loc. cit.* & Masium, *in pòst præd. quæst.* 5.

Regula III.

Eadem est contrariorum materia.

1. Contraria quæ plurimùm differunt sunt in eodem subjecto, eadem enim est contrariorum materia, Aristoteles, 10. *Met. c.* 6. *t.* 14. Per *materiam* intelligitur *materia in qua* seu *subjectum*, quod enim posterioribus verbis appellat *materiam*, prioribus appellaverat *susceptivum.* At susceptivum alicujus est materia in qua, huc pertinet quod 9. *Met. c.* 10. *t.* 19. scribit, Ὅσα γὰρ κατὰ τὸ δύνασθαι λέγεται ταυτόν ἐστι δυνατὸν τἀναντία, οἷον τὸ δύνασθαι λεγόμενον ὑγιαίνειν ταυτόν ἐστι καὶ τὸ νοσεῖν καὶ ἅμα, *in iis quæ in potentia dicuntur idem contraria potest, quemadmodum id, quod sanum esse posse dicitur, idem est, atque id, quod ægrotare potest,* ídque simul.

2. Videtur autem ista regula contradicere præcedenti. Si enim idem est subjectum contrariorum, sequitur contraria esse in eodem subjecto. At certè non contradicit, quia præcedens loquebatur de actu & eodem tempore, contraria non sunt actu in eodem subjecto simul, sive eodem tempore, sed præsens regu-

la loquitur de potentia inessendi successivè, sive diverso tempore. Estq; ejus sensus, Id quod est subjectum unius contrariorum, esse & subjectum alterius, ita tamen ut illi non nisi successivè inesse possint.

3. Sed contrà est quod Aristoteles in verbis sub finem §. 1. citatis dicit, id quod sanum esse posse dicitur, idem esse atq; id quod ægrotare potest, ideoq; simul

4. Aliud est, posse aliquid recipere contraria simul, atq; eodem tempore inesse vel competere subjectis, aliud est, contraria posse recipere inesse vel competere subjecto. ita Aristoteles, expressè in *c. t. 19. l. 9. Met.* τὸ μὲν γὰρ δύνασθαι τἀναντία ἅμα ὑπάρχειν, τὰ δὲ ἐναντία ἅμα ἀδύνατον ὑπάρχειν. *Posse igitur contraria simul inesse*, seu subjectum eo ipso tempore, quo inest, habet simul quoque contrarietatem, seu possit habere recipiendi contraria, *ipsa verò contraria simul inesse, impossibile est.*

5. Argumentor verò ita, *Quæ transmutantur invicem, illa requirunt idem subjectum*, quemadmodum demonstravit Philosophus, 1. *Met. Sed contraria transmutantur invicem*, fit enim ex calido frigidum, & vice versâ, & sic in reliquis. E. *Idem subjectum requirunt.*

6. Loquimur autem de contrariis quantùm ad id, quod habent ex sua natura, per suam naturam contraria apta sunt esse in eodem subjecto, fit tamen interdum, ut quod est subjectum unius contrariorum non potest esse subjectum alterius, hoc tamen non fit per naturam contrariorũ quòd illa non sint apta esse in eodem subjecto, sed ipsum subjectum est in causa, quantum formæ ejus ita familiaris & necessaria est aliqua qualitas ut contrariâ qualitate non possit consistere. Ita calor non est in igne, qui tamen non potest esse subjectum frigoris, quia calor ipsi inest per naturam, neq; forma ignis cum frigore possit consistere. Ita Javellus, 10. *Met. q.* 13. ut compendio dicam, dico; *Contrariorum esse idem subjectum, nisi alterum ipsi insit per naturam.* Et de hoc nimirum quòd est in subjecto per naturam, etiã minor syllogismi §. 5 propositi vera non est. Ex igne enim calido non fit ignis frigidus, propterea scilicet quòd calor inest igni per naturam, ita ut sine eo esse non possit.

REGULA IV.

Non necesse est unum contrariorum si sit, & reliquum esse. Aristoteles, c. 11. categ.

Relativè oppositorum ea est natura, ut *si unum sit, etiam alterum esse necesse sit*, ut si pater sit, non potest non esse filius. At alia est contrariorum conditio, eorum unum in rerum natura esse potest sine altero, neque ex eo, quod unum est, inferre licet alterum esse, sicut non sequitur, album est in rerum natura. Ergò, & nigrum. Nam si Deus omnia nigra destrueret, relictis albis, quod quidem facilè factu ipsi est, tunc per naturam alba subsisterent in rerum natura, nullo exsistente nigro. Locum etiam habet hoc pronunciatum in privativè & contradictoriè oppositis, cùm non necesse sit aliquod cœcum esse exsistente eo, quod videt, & ante creationem mundi Deus erat, sed nihil erat quod non esset Deus, sed quia in hisce extremorum alterum est non ens, ideo de contrariis specialiter Aristoteles ita pronunciavit.

REGULA V.

Si alterum contrariorum est naturâ, etiam alterum esse naturâ necesse est. 2. de cœl. c. 3. t. 19.

Videtur hic locus directè adversari præcedenti, sed non adversatur, quia prior loquitur de contrariis quoad propriam eorum naturam, natura autem cujusque contrarii in se spectata ad sui exsistentiam non requirit exsistentiam alterius, sicut relatum ratione propriæ naturæ, ad sui exsistentiam requirit exsistentiam alterius. At posterior hîc considerat contraria in ordine ad complementum universi, & vicissitudinem generationum & corruptionum. Si enim unum contrariorum esset in rerum natura, ut tamen non esset alterum, ipsa rerum natura seu mundus non esset ita perfectus, nec tamen generationum & corruptionum vicissitudo daretur. Videri potest Suarez, *disp. Metaph.* 45. *s.* 2. *n.* 18. Zimara, *in theorem. prop.* 35.

Regula VI.

Contraria sub eodem genere maximè distant. 10. Metaph. cap. 6.

1. Videtur obstare locus *cit.* 11 *categ.* ubi Aristoteles, *necesse autem est*, inquit, *omnia contraria, vel in eodem genere, vel in contrariis generibus, vel ipsamet genera esse. Album enim & nigrum in eodem genere sunt, color enim genus eorum est; justitia verò & injustitia in contrariis generibus, illius namq; virtus genus est, hujus vitium, bonum verò & malum non in genere sunt, sed ipsa sunt genera aliquorum.* Hæc Aristoteles. Hinc argumentabitur quis ita; Quædam contraria sunt sub diversis generibus, quædam non sunt in genere, sed ipsa sunt genera. Ergò non omnia contraria sunt sub eodem genere. Ergò nec omnia sub eodem genere maximè distant.

2. Nos pro regula ita argumentamur, *Quæ transmutantur in se invicem, necessariò sunt sub eodem genere*; neq; enim transitus fit per se ex loco in qualitatem, sed ad locum & vice versâ: sed *contraria transmutantur in se invicem*, potest enim ex calido fieri frigidum, ex albo nigrum, & vice versâ.

3. Locus ex Aristotele adductus nobis non adversatur, quando dicit; *quædam contraria esse in eodem genere*, significat esse in eodem genere proximo, sicut album & nigrum sub colore tanquam genere proximo continentur. Quod verò asserit, *quædam esse in contrariis generibus*, hoc ipso non negat, esse in eodem genere. Possunt enim ea quæ in contrariis generibus sunt, esse etiam sub eodem, licèt non proximo, sed remoto, sicut genus remotum justitiæ & injustitiæ est habitus. Significare igitur his verbis videtur, Quædam contraria non esse sub eodem genere *proximo*, nec illud ipsum quòd dicit *quædam esse ipsa genera*, si ut jacent verba intelligatur, satis ostendit, aliqua contraria non esse sub eodem genere, quia & ea quæ diversa genera sunt, sub eodem genere esse absurdum non est, sicut virtus & vitium sub habitu, tanquam sub genere continentur, licèt ipsa etiam aliorum genera sint.

4. Quòd

4. Quòd si quis dicat, Philosophum his verbis velle aliqua contraria ita esse genera, ut non sint in genere, quod quidem exemplum de bono & malo evincit, respondendum, ipsum loqui non ex sua, sed Pythagoreorum sententiâ, qui ponebant duo principia primò diversa, & sic sub aliquo genere non contenta, bonum & malum & sub illis duos ordines rerum inter se contrarios, ut ipse Aristoteles refert, 1. *Met.* Consuevit enim Aristoteles, ut habet Thomas, *p.* 1. *q.* 18. *a.* 1. præcipuè in logicis ponere exempla, quæ probabilia erant sub tempore: secundùm opinionem aliquorum philosophorum hæc responsio est Thomæ, *l.c.* eámq; sequi videtur Cajetanus, *in comment.* §.5. Suarez, *disp. Met.* 45. *s.* 2. *n.* 6. eam rejicit, afferens, Philosophum loqui de bono & malo morali ídq; exinde perspici, quod adhibeat exempli loco virtutem & vitium, ídq; magìs etiam probari à Thoma, *a. cit. ad* 3. At certè ex eo quòd Philosophus utitur exemplis virtutum & vitiorum, non rectè colligitur, ipsum loqui in verbis à nobis citatis, quæ quidem sunt ultima illius *cap.* 11. & de quibus jam agimus de bono & malo morali, siquidem ista exempla non adhibet ad declaranda illa verba, sed ea, *contrarium à bono quidem ex necessitate malum est*, &c. quæ quidem multis periodis antecedunt, sed non sequitur, Aristoteles loquitur in verbis quæ modò allegavimus, de bono & malo morali. E etiã de eodem loquitur in iis ultimis quæ §. 1. adduximus, & de quibus nobis est controversia: neque autoritate Thomæ Suarez se tueri potest, quia ille, cùm dicit, Philosophum loqui de bono & malo morali, respondet ad argumentum quod ex verbis illis Philosophi modò citatis, *contrarium à bono quidem, &c.* non ex iis de quibus nos agimus, erat constructum. Liquet autem ex hactenus dictis colligere & in argumento §. 1. nullam esse consequentiam.

7. Cæterùm quod asserit Aristoteles, *Contraria maximè distare*, non intelligendum est *de distantia ratione loci, sed de ea, qua naturam & essentiam rerum concernit.* Duæ enim albedines, etsi loco sejunctissimæ sint, non distant maximè, ut hic distantia accipitur

pitur, neq; dicuntur contrariæ propterea quòd ejusdem sunt essentiæ, albedo verò & nigredo sunt contraria, & maximè distare dicuntur propter naturæ diversitatem, quæ facit, ut in eodem subjecto in gradibus excellentibus esse nequeant, si vel maximè, quantùm ad locum sint conjunctæ.

8. Non etiam debent contraria habere maximam distantiam absolutè, major enim est distantia inter contradictoriè opposita, quàm ea, quæ est inter ens & non ens distantia appellari meretur. Magìs etiam contrarium distare potest ab alia re, quam à suo contrario, sicut calor magìs distat à natura angelica, quàm à frigore. Convenit enim essentia caloris cum essentia frigoris in conceptu generico, at cum angelica natura conceptum genericum non habet communem. Est igitur distantia contrariorum restricta, & quidem ad genus; ita scilicet contraria maximè distant inter se, ut nihilominus in uno genere conveniant. Unde patet eorum distantiam peti à differentia, cùm enim illa contrariorum distantia attendatur, secundùm eorum essentiam, & verò non sumatur à genere, sequitur eam sumi à differentia.

9. Sed huic sententiæ adversatur quòd rubrum & album non distant maximè in genere colorum, cùm magìs distent album & nigrum, rubrum tamen & album sunt contraria: sic & liberalitas & prodigalitas contraria sunt, nec tamen maximè distant, cùm magìs distent avaritia & prodigalitas.

10. Quidam, inter quos est Du Trieu, *tr.1.p.3.c.2.a.1.* statuunt colores extremis intermedios non esse contrarios, sed inter disparata eos referunt, idémque proculdubio dicerent de liberalitate respectu prodigalitatis & avaritiæ, & de qualibet virtute, respectu extremorum, eadem enim ratio esse videtur Nec Aristoteles ab hac sententia videtur esse alienus: nam *c.8.categ.* expressè dicit, rubro aut pallido, aut aliis hujusmodi coloribus, nihil esse contrarium. Idem tamen *c.11.cat.* & *2. Nicom.c.8.* & *1.maj.moral.c.9.* docet, extremum non solùm extremo ut avaritia prodigalitati, sed & medio, ut avaritiam liberalitati esse contrariam

11. Ro-

11. Respondere poterit, alterum alteri posse esse contrarium dupliciter: 1. *Ratione sui*, seu per se primò. 2. *Secundùm aliquod ejus generis quod participat*, vel cujus vicem gerit, cúmq; eo habet convenientiam extremo colori extremus primò, sed extremo intermedius secundo modo est contrarius, & sic albo contrarium est rubrum, quatenus de nigro participat, & cum albo comparatum nigrum est; quæ doctrina omnino est Philosophi, 5. *phys. c.* 1. *t.* 6. Item accommodari licet ad moralia. Javellus quidem, 10. *Met. q.* 14. & Toletus *c.* 8. *Categ.* docent, extrema, ut prodigalitatem & avaritiam, esse contraria medio, ut liberalitati, quantùm hoc quidem virtutis, illud verò vitii rationem participat. Nos dicimus, éstque ad mentem Aristotelis, *loc. ex Nicom. & magn. moralibus cit.* & in moralibus medium contrarium esse extremo, quantùm habet rationem alterius extremi. Habitus enim virtutis, qui in mediocritate consistit, comparatus excessui deficit, defectus verò comparatus excedit, sicut liberalis ad prodigum, prodigus ad avarum habetur.

12. Quòd ergò dicitur, *contraria maximè distare*, verum est de iis, *quæ primo modo* contraria sunt. Nam contraria debent sub eodem genere distare, E. maximè & perfectissimè contraria, qualia quidem ea solùm sunt, quæ per se primò sunt talia maximè & perfectissimè debent distare. Quantùm ad antecedens quòd contraria debeant esse sub eodem genere, jam suprà probavimus, quòd debeant distare indè perspicitur, quòd oporteat ea specie differre, & unum in alterum transmutari posse. quod non fieret nisi distarent. Non autem mirum est ea, quæ posteriori modo contraria sunt, non distare maximè, quoniam non ita perfectè, ut priora contraria sunt. Atque hinc etiam patet, cur Aristoteles alibi neget mediis aliquid contrarium esse quia scilicet loquitur de iis, quæ perfectissimè & ratione sui sunt contraria.

13. Eodem ferè recidit, si dicamus, aliqua esse contraria dupliciter: *adæquatè*, & *inadæquatè*; quæ distinctio est Soarii *l. c.* Adæquatè contraria voco,

quæ repugnant secundùm totas suas rationes specificas vel quorum unum pugnat cum propria natura alterius per omnia, ut prodigalitas & avaritia, illa enim exsuperat in dando & deficit in accipiendo, hæc verò deficit in dando & exsuperat in accipiendo, sicut expressè Aristoteles habet, 4. *Nicom. c. 1.* Dixi autem *secundùm rationes specificas*, vel *cum natura propria*, quia in natura generica omnia contraria conveniunt. Inadæquatè verò contraria sunt, quorum unum pugnat cum propria alterius natura ex parte, ut liberalitas & prodigalitas, liberalitas enim non deficit in dando (*in quo prodigalitas modum excedit*) sicut avaritia cùm primarius actus liberalitatis sit dare, sed solùm ad mediocritatem redigit, id quod est minus, sic etiam adæquatè contraria sunt, album & nigrum, album verò & rubrum, sicut & reliqui intermedii colores inadæquati sunt, quod quidem ex iis quæ hactenus dicta sunt, facilè intelligi potest. *Contraria autem distant adæquatè.*

14. Instas: Contraria adæquata calidi & frigidi maximè distant non sub eodem genere.

15. Resp. Calidum ut 8. & frigidum ut 8. plus distant in ratione graduum sed non quoad essentiam, æquè enim essentia caloris & frigoris, cum sufficienti repugnantia reperitur in sexto gradu atque in octavo.

16. Tandem notandum, philosophum loqui de contrariis *propriè sic dictis, & ut à reliquis oppositionis generibus distinguuntur*, *cùm dicit contraria maximè distare sub eodm genere*; & certè hoc non competere, privativè & contradictoriè oppositis, manifestum est quia eorum unum est quid positivum, alterum verò negatio; sed positivum & negatio sub uno communi genere non continetur.

REGULA VII.

Unum uni est contrarium.

1. *Perspicuum est* inquit Aristoteles, 10. *Met. c. 6. t. 14 uni plura contraria esse posse*, quod repetit *t. 17.* & assignat simul rationem, quia nimirum inter contraria

traria eſt maxima diſtantia, at maxima diſtantia eſt tantùm inter duo.

2. Etſi autem loquitur de contrariis, idem tamen verè ad reliqua tria oppoſitionis genera accommodare, & univerſaliter ſic pronunciare licet, *Unum uni tantùm eſt oppoſitum*, ſic duplum tantùm dimidio opponitur, cœcus tantùm videnti, homo tantùm non homini, & vice versâ.

3. Dicis: Videns, & cœco opponitur & non videnti, Ergò, unum opponitur pluribus. Reſp. Unum uni tantùm opponitur in eodem oppoſitionis genere in diverſis oppoſitionum generibus unum pluribus opponi poteſt, ita fit in præſenti exemplo: Videns opponitur & cœco & non videnti, ſed in diverſis oppoſitionis generibus, quia illi privativè, huic verò contradictoriè.

4. Sed inſtas: Album opponitur non tantùm nigro, ſed & rubro, flavo, viridi, &c. & quidem in eodem genere oppoſitionis, omnibus enim illis opponitur ut contrariis.

5. Reſpondent quidam, album opponi viridi, flavo, rubro, &c. non autem contrarium contrariis, ſed ut diſparatum diſparatis. At certum eſt, plura poſſe inter ſe opponi, ut diſparata, ſicut non tantùm diſparata ſunt dulcedo & albedo, ſed & dulcedo & flavedo, neque in noſtra regula diſparata comprehendi debent. Verùm illâ certâ ratione contraria dici poſſe oſtenſum eſt *reg. præced.* Dicimus autem regulam veram eſſe *de iis quæ adæquatè opponuntur*, inadæquatè enim unum pluribus opponi poteſt, & certè ipſa ratio regulæ, quam §. 1. ex Ariſtotele adduximus, tantùm procedit de adæquatè oppoſitis, nam inter inadæquata contraria, non eſt maxima diſtantia. Ex ipſo etiam textu perſpicitur, Ariſtotelem non loqui niſi tantùm de extremis, at tantùm extrema adæquatè opponuntur. Hinc jam liquet Reſponſio ad argumentum, quia album opponitur rubro, flavo, viridi, &c. inadæquatè; adequatè autem tantùm nigro. Atque ex hac doctrina ad plura alia ſimilia argumenta, quæ objici queunt, reſponderi poteſt.

6. Sed antequam ad alia transeamus, alia nonnulla consideranda & discutienda veniunt, quæ regulæ nostræ obstare videntur: 1. *Unum opponitur multis*, sicut docet Aristoteles 10. *Met. c.* 5. & 9. Hoc autem directè regulæ nostræ est contrarium, 2. Quia multis opponuntur unum & paucum, sed *unum & paucum non sunt idem, sed duo diversa*. Nam tres homines v. g. sunt pauci homines, non tamen sunt unus homo. 3. *Æquale opponitur magno & parvo*, seu majori & minori, quod accuratè probat Aristoteles, *cit. loc.* 10. *c.* 8. 4. Filius non tantùm opponitur patri sed & matri.

7. Ad I. *Resp.* Unum & multa bifariam considerantur: 1. *Materialiter*, pro re, quæ est una & rebus quæ sunt multæ, sicut albedo esse unum quid, nigredo verò flavedo & rubedo sunt multa. 2. *Formaliter*, & ut loquuntur in actu signato, nempe ut attenduntur eorum rationes formales. Quando negatur per nostram regulam, unum opponi multis, sermo est de iis, ut sumatur priori modo & quæritur v. g. an albedo non tantùm opponatur nigredini, sed & rubedini & aliis intermediis coloribus, albedo enim & rubedo & alii intermedii colores multi sunt. At quando Aristoteles disputat, unum opponi multis, loquitur de iisdem posteriori modo, & hoc ipso, unum opponitur uni, quia ut ratio unius, sic & ratio multitudinis seu per quam formaliter constituuntur multa, est una, & à rationibus aliorum distincta.

8. Ad II. Respondet ipse Aristoteles cit. c. 9. *Multa* bifariam sumi: 1. *Comparativè*, quantùm significat, non quemlibet numerum seu multitudinem, sed excedentem, & sic ipsi opponuntur *pauca*, quæ vox & ipsa significat multitudinem non quamlibet sed deficientem, ut si heri fuerint in foro 1000. homines, hodie tantùm 10. dicitur heri multos fuisse, hodie paucos. 2. *Absolutè*, & sic multa dicuntur, quæcunque sunt plura uno, quâ ratione quilibet numerus, etiam binarius, est multa quædam, cum enim duplex sit multiplex. Ergò, & duo sunt multa. Hac igitur ratione multis non pauca (*cum sub multis comprehendantur*)

prehendantur) sed uni tantùm opponitur. Etsi igitur multis opponuntur unum & pauca, per hoc tamen non fit, ut duo opponantur uni & eidem propterea quod id, quod æquivocum est, unum non est.

9. Ad III. Respondet Aristoteles, l. c. *magnum & parvum*, seu *majus & minus*, *opponi æquali non ut contraria sed in oppositione privativa*, ita nimirum ut majus & minus sint habitus, cùm illud dicitur id, quod excedit, hoc verò id, quod exceditur. At æquale, *inquit*, est, quod nec magnum, nec parvum est, aptum à natura est, ut sit magnum & parvum. Quâ responsione omnino Aristoteles significare videtur id quod docuit, unum uni tantum contrarium esse, se velle tantùm de contrariis intellectum, nec necesse esse, ut universim de aliis oppositionum generibus verũ sit.

10. Exsistimo autem responderi posse, etsi & ad alia oppositionis genera extendatur Nam æquali opponitur adæquatè & primò non nisi inæquale, at majus & minus inadæquatè (*neutrum enim tollit totam rationem æqualis*) & quantum utrumque est inæquale: quam responsionem vide §. 5. *reg. præced.*

11. Ad IV. secundùm nonnullos potest responderi, in filio esse aliam specie relationem, quâ ad matrem, aliam, quâ ad patrem referatur, quia statuunt etiam relationes patris & matris specie differre, eò quod ille activè, hæc passivè tantùm ad generationem concurrunt. Ita sentit Ferrara, 2. *contra gentes* c. 11. §. *ex istis*, &c. Juxta quam sententiam, licèt filius opponatur duobus scilicet patri & matri, tamen id quod ipsi opponitur, quamvis ratione subjecti seu materialiter sit unum, formaliter tamen non est unum, quia alia est formaliter relatio, quâ ad patrem, & alia, quâ ad matrem filius refertur. At hîc non identitas, sed diversitas subjecti, sed ejus quod formale est, attenditur.

12 Alii qui cum Galeno statuunt, etiam matrẽ activè ad generationem concurrere, statuúntq; relationem paternitatis & maternitatis non differre specie, indéq; etiam in filio non esse relationes specie diversas, quarũ una ad patrem altera ad matrem referatur,

quæ sententia videtur placere Soario, *d. Met.* 42. *f.* 17. *n.* 26. *& seqq.* Quod si verum est, filius refertur ad patrem & matrem non tanquam ad duo diversa & specie differentia opposita, sed tantùm tanquam ad duo, numero & accidentaliter differentia, unum autem specie. Atque quod dicitur unum uni tantùm opponi, intelligendum est de uno specie non numero.

Regula VIII.

Contradictoria nec simul vera, nec simul falsa esse possunt; Vel, *Alterum contradictoriorum affirmatur vel negatur de quolibet.*

1. Prima sunt ista principia, & mentibus hominum naturaliter insita. Debent autem in iis observari quatuor illæ conditiones, quas Aristoteles, 1. *Elench. c.* 5, ad vera contradictoria requirit: nempe ut dicantur ὡσαύτως, *eodem modo*, κατὰ τὸ αὐτὸ, *secundum idem*, πρὸς τὸ αὐτὸ, *ad idem*, & ἐν αὐτῷ χρόνῳ, *eodem tempore.* Prima conditio ὡσαύτως requirit, ut utrumq; tam subjectum quàm prædicatum utriusque propositionis contradictoriæ eodem modo accipiatur, eandémque habeat significationem, quorum alterum si æquivocè sumatur, contradictio non est, ut si dicas, Diaboli credunt, Diaboli non credunt; cùm in priori propositione, τὸ *credere* de historica, in posteriori de salvifica fide accipiatur. Altera conditio κατὰ τὸ αὐτὸ exigit, ut prædicatum in utraque propositione cum subjectis, secundùm eandem partem & naturam construatur. Hinc contradictio non est, Christus fuit prior Abrahamo, Christus non fuit prior Abramo; quia illud de Christo secundùm divinam, hoc secundùm humanam naturam intelligitur. Tertia conditio πρὸς τὸ αὐτὸ vult, ut non habeatur respectus ad diversa extra subjectum, sic non pugnant ista. Sex sunt duplum, sex non sunt duplum, quia duplum sunt respectu ternarii, non sunt respectu quinarii. Quarta denique quid velit, manifestum est, scilicet attendi debet idem tempus. Hinc non sunt contradictoria, Imperium Romanum fuit florentissimum,

imperium

imperium Romanum non fuit florentissimum, si illud de tempore Trojano, hoc de posterioribus temporibus intelligatur.

2. Unum hîc notare summè est operæ pretium, nempe necesse non esse, *alterum contradictoriorum affirmari, alterum negari de eodem*, sed fieri posse, ut neutrum affirmetur verè (*nam de veris propositionibus hîc sermo est*) de eodem, quando cum particulis *quatenus*, *secundùm quod*, (& tunc propositiones dicuntur *reduplicativæ*, de quibus vide Fonsecam, *l.* 3. *inst. c.* 27. & alios) *per se*, & similibus fiant propositiones, ut si dicas, Homo per se aut quantum homo, est albus. Homo per se aut quantum homo, non est albus, utrumque falsum est: probo, Quia quicquid affirmatur de aliquo per se, aut quantum ipsum, id affirmatur de omni, quod constat ex *c.* 4. *l.* 1. *post.* ut homo per se est animal & quantum homo est λογικὸς, γελαστικὸς, certè omnis homo est animal, est λογικὸς, γελαστικὸς, & sic in aliis. At album non affirmatur de omni homine hoc est, hæc propositio, Omnis homo est albus est falsa, quia instantiam exhibet Æthiops, qui homo est nec tamen albus: similiter non album non affirmatur de omni homine, hoc est, ista propositio: Omnis homo est non albus, est falsa, quia nos, qui homines sumus, sumus non albi. Ergò, neque album, nec non album affirmatur de homine per se, & quantùm homo, seu quod eódem recidit, utraque propositio, Homo per se vel quantùm homo est albus. Homo per se vel quantùm homo, est non albus, est falsa.

3. Cæterùm, magna est differentia inter has propositiones, Homo quantùm homo est albus, homo quantùm homo non est albus, & inter has, Homo quantùm homo est albus, homo est non albus. Nam priores duæ sunt contradictoriæ, posteriores non sunt contradictoriæ, quod indè patet: 1. Quia in posterioribus non est idem prædicatum, nam unius *homo* est prædicatum, alterius *non homo*. 2. Quòd utraq; est affirmativa, quæ facilè intelligit, cui discrimen inter propositionem finitam & infinitam est notum.

Sunt

Sunt igitur posteriores duæ propositiones affirmativæ infinitæ prædicatorum contradictoriorum de eodem subjecto.

4. Sicut autem quantùm ad formam enunciandi est differentia inter illas propositiones; ita non minus est discrimen quantùm ad veritatem & falsitatem, nam posteriorum utraque est falsa, & possumus indefinitè ita dicere, quòd quando duo prædicata contradictoria affirmantur de eodem subjecto, cùm τὸ *per se*, aut *quantùm ipsum*, aut similibus particulis, fieri possit, ut utraque propositio sit falsa quemadmodum §. 2. demonstravimus, sed priorum duarum non est utraque falsa, sed prior est falsa, posterior vera, sicut §. 2. ostendimus. (Verum est, si dicam, Homo quantùm homo non est albus, falsum est si dicam, homo quantùm homo est non albus) sed quæ est causa hujus discriminis id jam dixi §. 2. quia quicquid affirmatur de aliquo per se, aut quantùm ipsum, id de omni affirmari necesse est. Sed non, Quicquid negatur de aliquo per se, aut quantũ ipsum, id de omni negari necesse est. Pertinet igitur exceptio §. 2. allata, non ad propositiones formaliter contradictorias, sed ad illas quæ sunt de prædicatis contradictoriis.

5. Sed objicis: A propositione negativa de prædicato finito, ad affirmativam de prædicato infinito *valet consequentia*: Ergò, hæc, Homo quantùm homo non est albus, est vera; & illa, Homo quantùm homo est non albus est vera. *Resp.* Hæc ipsa, quæ hactenus disputavimus, probant, *excipiendas esse ab illa regula propositiones reduplicativas*, eadémque ratio est quæ fiunt cum terminis (*per se*, & similibus) id quod jamdudum docuerunt alii, inter quos Cajetanus, *l. de ente & essentia c. 4. q. 6.*

Regula IX.

Oppositorum eadem est scientia.

1. Sæpissime utitur hoc pronunciato Aristoteles, vel exempli gratiâ, vel alia de causa, ut 1. *prior. c. 1.* 1. *top. 2. 4. Metaph. 2. 1. 4. 9. Met. c. 2. & aliis in locis.* Interdum autem dicit, Τῶν ἐναντίων, *contrariorum*,

rum, eandem eſſe ſcientiam, interdum utitur voce τῶν ἀντικειμένων, & oppoſitorum, eandem eſſe ſcientiam, aſſerit.

2. Monlorius, 1. *prior. c.* 1. eruditè, ut ſolet, pronunciatum hoc triplicem apud Ariſtotelem habere ſenſum ſcribit: I. Oppoſita ſub eandem ſcientiam & artem cadere, atque in eadem arte tractari, ut ſalubre & inſalubre in medicina, motum & quietem in phyſica, & hoc modo ſumitur 4. *Met. c.* 2. ubi cùm Ariſtoteles docuiſſet, primam philoſophiam agere de uno & partibus ſeu ſpeciebus unius ut de eodem, ſimili, æquali, &c. oſtendit, ejuſdem etiam eſſe tractare de multitudine & quaſi ſpeciebus multitudinis, ut de diſſimilitudine, inæqualitate, &c. propterea quod hæc unitati & ejus quod ſpeciebus ſunt oppoſita. Unius autem ſcientiæ eſt, oppoſita contemplari.

3. II. Eſt oppoſitorum ſeu contrariorum eandem eſſe cognitionem & rationem hoc eſt, ex ratione & cognitione unius contrarii alterum intelligi, ſed ex accidente quodammodo, ut ſi ſanitas eſt ſita in temperie & συμμετρίᾳ quatuor humorum, morbus erit poſitus in intemperie eorundem humorum. Hæc docet Ariſtoteles *l. 9. Met. c.* 2. ubi ait, Contrariorum propterea eandem eſſe ſcientiam, quia ſcientia eſt ratio, contrariorum autem eadem eſt ratio, unde fit ut facultas quæ agit cum ratione habeat vim efficiendi contraria, ſicut medicina morbum & ſanitatem efficit.

5. Cùm autem Ariſtoteles dicit, ſcientiam eſſe λόγον, *rationem*, & rationem eſſe contrariorum, pleriq; inter quos Scainus, Fonſeca per λόγον, ſeu *rationem*, intelligunt cognitionem rei definitivam, quæ cùm per ſe & primariò ſit cognitio ipſius definiti ex conſequente & ſic quodammodo per accidens manifeſtat & declarat ejus oppoſitum ut patuit §. *præc.* de ſanitate & morbo, & perſpicitur alterius exemplo boni & mali. Si enim bonum conſiſtit in perfectione debita in eſſe, malum carentiam hujuſmodi perfectionis importabit. *Hi duo ſenſus*, inquit Monlorius, *veri ſunt de omnibus artibus.*

5. Eſt autem inter hoſce duos ſenſus id diſcriminis,

minis, quod prior loquitur de habitu scientiæ & quidem de scientia totali, ut loquuntur v. g. de Physica, Medicina, &c. Posterior autem vult, non tantùm unam totalem scientiam, quæ habitus est, sed & unum specialem & determinatum actum alicujus scientiæ v. g. definitionem sanitatis esse oppositorum.

6. III. Est: eandem artem tractare & probare contrarias partes quæstionis seu utramque partem contradictionis, ut si proponatur quæstio, An voluptas sit bonum nec ne, eadem ars probat, voluptatem esse bonum, & non esse bonum, in quo verum est hoc pronunciatum, in duabus tantùm artibus, Dialectica & Rhetorica, ut docet ipse Aristoteles, 1. *Rhet.* quoniam hæ solæ quæstiones disputant in partes contrarias. Sic enim habet Aristoteles, *Nulla ex aliis artibus contraria concludit, sola verò Dialectica & Rhetorica id præstant, significant enim pariter ambæ contraria.*

7. Atque hanc ob causam solæ, Logica & Rhetorica, dicuntur δυνάμει, ut ait Alexander, *in præf.* 8. *libr. top.* quia scilicet solæ hæ disciplinæ contraria probant, is autem propriè dicitur posse, qui contraria potest, éstque hæc specialis acceptio vocabuli δυνάμεως; nam aliàs latiùs accipitur ut 1. *Eth.* & 9. *Met.* & alias etiam disciplinas comprehendit, Vide ea quæ, *tit.* 7. *reg.* 12. §. 7. diximus.

8. Unum adhuc nota, ídque ex dictis constat, nempe vocem *scientiæ* hîc non strictè sumi, ut ab aliis scientiis contradistinguitur, sed latiùs ut eas comprehendit. Quod autem §. 3. diximus, *eandem esse rationem & cognitionem contrariorum & alterius quidem quodammodo ex accidente*, de eo plura vide apud Fonsecam, 9. *Met. c.* 2. *in comment.*

REGULA X.

Inter contradictoria est distantia infinita.

1. Communis & constans est Scholasticorum sententia, *solius Dei esse creare*, neq; id competere ulli creaturæ, sed quibus id demonstrari possit rationibus de eo non conveniunt. Nonnulli inter alia, hujusmodi

utuntur

utuntur argumento: Super distantiam infinitam, non potest nisi virtus infinita, sed inter terminos creationis à quo & ad quem (scilicet non ens seu nihil, ad ens) est distantia infinita. Ergò super terminos creationis non potest nisi virtus infinita, quæ solius est Dei. Major probatur, quia quantò distantia est major, tantò transitus est difficilior, & majorem virtutem requirit in agente. E. distantia infinita requirit virtutem infinitam. Minor probatur. 1. Quia quacunque distantiâ finitâ potest cogitari major. Sed illa distantia quæ est inter ens & non Ens, non est minor E. non est finita. 2. Inter omnia contradictoria, est æqualis distantia, sed inter aliqua contradictoria, ut inter Deum & non Deum, est distantia infinita E. inter omnia contradictoria est distantia infinita

2. Scotus, 4. *dist.* 1, *q.* 1. & Durandus, 2. *dist.* 1. *q.* 1. hanc rationem nihil concludere demonstrant, propterea minor, nempe inter ens & non ens seu inter contradictoria distantiam esse infinitam, falsa sit. Subscribit. Vazquez, *part.* 1. *tom.* 2. *disp.* 175. *c.* 1.

3. Durandus, 1. negat ens & non ens esse terminos creationis de quo, quia non ita ad intellectum nostræ regulæ pertinent, jam non agimus. 2. negat inter ens & non ens esse distantiam. *Sicut n.* inquit, *differentia & diversitatas non est nisi entium inter se, ens enim non est diversum nec differens à non ente, quia idem & diversum sunt differentiæ entis, sic & distantia non est, nisi entium, nec inter ens & non ens recipitur.*

4. Verùm ego 1. regero id Durando, quòd inter ens & non ens, hominem & non hominem & quamlibet rem & ejus negationem est oppositio. At oppositio est quædam diversitas, quam ob causam etiam Philosophus 5. *Met. c.* 1. de eodem & diverso, quòd nonum est, subjunxit illud, quod est de oppositis. Est autem inter ens & non ens, & quælibet contradictoria diversitas. Sicut ergò 2. Ens dicitur diversum vel distinctum à non ente, quàm distinctionem solent vocare negativam, ita etiam dici potest, esse inter ens & non ens sicut & quælibet contradictoria quandam distantiam, si non ita propriè, quodammodo tamen & negativam.

5. Quòd

5. Quòd verò in contradictoria non sit infinita distantia ex Scoto latè deducit Joh. de Rada, *part. 2. controv. 2. a, 1. ibi secunda ratio.* Pro quo notandum 1. Distantiam esse duplicem; *Positivam & negativam.* Prima est, quæ reperitur inter terminos positivos, secunda, quæ inter terminos, quorum unus positivus alter negativus. 2. Distantia iterum est duplex; *Mediata* una, quæ mensuratur per medium interjacens, sicut inter terram & concavum lunæ tanta est distantia, quantum est spacium intermedium. Altera verò est *immediata*, illa scilicet cujus alterum extremum, necesse est de quolibet affirmari. Ita distantia immediata positiva est inter Deum & creaturam, quia quælibet res est Deus vel creatura. Immediata negativa est inter ens & non ens, hominem & non hominem & quælibet contradictoria. Distantia immediata mensuratur per alterum extremum. Tanta scilicet est distantia inter extrema positiva immediata, quatenus est excessus extremi nobilioris ad minus nobile, ut inter Deum & creaturas est distantia infinita, quia Deus est infinitus & infinitè excedit quamlibet creaturam. Tanta etiam est distantia negativa immediata, quatenus est terminus negativus, vel quantum excedit terminus positivus negativum, ita ut si terminus negatiuus sit finitus, distantia sit finita, si infinitus, infinita; & probatur, quia ubi non est medium inter extrema, distantia nihil aliud est, quàm excessus unius extremi super alterum. Cùm autem excessus unius super alterum non possit esse major, quàm ipsum est, sequitur, ubi extremum non est nisi finitum, non posse ipsum aliud excedere nisi excessu finito, & per consequens ibi non esse, nisi finitam distantiam; & confirmatur in quantitatibus, in quibus est medium interjacens, quantitas distantiæ extremorum mensuratur per quantitatem medii. E. ubi nullum est medium, quantitas distantiæ mensuranda erit per quantitatem extremorum.

6. Ex quibus jam patet, inter ens & non ens, & inter omnia contradictoria non esse distantiam infinitam, cùm enim distantia inter contradictoria sit im-

mediata, sicut patet per Aristotelem qui 1. *poster. t.* 13. & alibi dicit, contradictionis nullum esse medium, non potest esse major distantia, quàm sit alterum extremum ejus : nempe id quod est positivum: Cùm igitur nulla creatura sic ens infinitum, inter contradictoria, quorum alterum extremum est ens creatum, non est distantia infinita, ut dicendo, homo non homo, album non album. Cùm autem dico, Deus non Deus, est distantia infinita, quia hoc alterum extremum est ens infinitum.

7. Neque quicquam agis, si dicere velis, infinitam esse distantiam in omni contradictione ex parte termini negativi, quia terminus negativus non distat ab aliquo, nisi deficiendo. Ergò cùm non sit major ejus defectus, quàm est perfectio, vel ut ita dicam, positio in termino positivo, non potest quoque major esse ejus distantia à termino positivo, quàm sit ipse terminus positivus seu perfectio ejus.

8. Quantùm ad hæc contradictoria, Ens & non ens, ubi prior est terminus universalissimus, distinguit Scotus & ex eo Rada dicendo, *formaliter* inter ea non esse infinitam distantiam, quia ens formaliter non est infinitum, aliàs enim omne ens esset infinitum *permissivè* tamen esse infinitum, cùm enim ratio entis in Deo, tanquam in ente infinito reperiatur, & sic enti non repugnat infinitas; permissivè ens potest infinitè distare à non ente h. e. non repugnat enti infinitè distare à termino negativo.

9. Unde patet, falsum esse, quod in probatione minoris propositionis in argum. §. 1. proposito dicitur, non posse cogitari majorem distantiam eâ quæ est inter ens & non ens, nam major est quæ inter Deum & non Deum. Patet & alterum falsum esse, quòd dicitur inter contradictoria æqualem esse distantiam, major enim est distantia inter Deum & non Deum quàm inter hominem & non hominem, quàm inter albũ & non albũ major est, vel minor prout alter terminus vel perfectior est, vel imperfectior.

10. Sed rogabis quomodo salvari possit, Inter contradictoria esse distantiã infinitam. Respondet Scotus per

per distinctionem de *infinito*, quod dicit sumi posse dupliciter: 1. *Pro excedente simpliciter quantumcunque finitum in infinitum.* 2. *Pro indeterminato.* Primo modo illa propositio est falsa, sicut ex hactenus dictis constat, vera autem est de infinito secundo modo, nulla enim distantia est tam parva, quin sufficiat ad contradictionem, quia si minimum aliquid recedat ab uno contradicentium, statim est sub altera, ut continens non ita multum recedit à temperante sicut intemperans, & fundatur inter ea contradictio, continens enim est non temperans.

Regula XI.

Inter omnia contradictoria æqualis est repugnantia.

1. Ita Ochamus, 1. *dist.* 2 *q.*2. & alii. Sed videtur hanc regulam non posse consistere cum iis, quæ in explicatione *reg. præced.* fuerunt proposita. Si enim non est inter omnia contradictoria æqualis distantia, R. nec æqualis repugnantia. Et arguitur ulteriùs, In quibus est difficilior transitus ab uno extremo ad alterum, illa magis repugnant. Atqui inter aliqua contradictoria est difficilior transitus, quàm inter alia. A non moveri enim ad moveri, à non calido ad calidum est facilis transitus, cum facilè ex non moto possit fieri motum & ex non albo album, at non tàm facilis est transitus à non homine ad hominem, cùm difficilius sit, ex non homine hominem fieri, imò inter quædam est transitus impossibilis, ut inter Deum & non Deum, ex non Deo enim non potest fieri Deus.

2. *Resp.* Aliud est *distantia* contradictoriorum ut & transitus ab uno extremo, ad alterum, aliud est *repugnantia.* Distantia sumitur ab altero extremo, estque major vel minor, prout illud perfectius est vel imperfectius. At repugnantia consistit in hoc, quòd non possint verè affirmari simul de eodem quia ergò æquè omnibus contradicentibus competit de eodem verè prædicari non posse, sicut non magis potest aliquid moveri & non moveri, esse album & non

non album, homo & non homo (simul scilicet & secundùm idem observatísque aliis conditionibus & requisitis) quàm Deus & non Deus, propterea quod unum æqualiter alterum negat, ut non homo æquè negat hominem, non albus album, atque non Deus Deum, nec unum aliquando magìs alterum, aliquando minùs negat, indè in omnibus æqualis est repugnantia.

3. Quòd etiam aliud sit *transitus* vel *non transitus ab uno contradicentium ad alterum*; aliud *repugnantia*, indè probo, quòd repugnantia omnibus competit, quia à non Deo ad Deum non datur transitus, nec etiam omnibus competit non transitus, quia in reliquis transitus datur ut à non homine ad hominem, à non albo ad album, unde licèt facilis sit transitus à non albo ad album, difficilior autem à non homine ad hominem, impossibilis verò à non Deo ad Deum; Sitque in illis major & minor distantia, æquè tamen repugnat aliquid esse simul album & non album, hominem & non hominem, Deum & non Deum. Ex quibus manifestum est, ea quæ §. 1. adducta fuere nihil obstare.

4. Eódem recidit, quod Johannes de Rada dicit, *Contradictionem posse comparari vel quoad distantiam & excessum unius extremi super aliud, vel quoad repugnantiam & incompossibilitatem ad verificari de eodem.* Priori modo unam contradictionem esse altera majorem, posteriori omnes esse æquales, Vide etiam Gabrielem, 1. *dist.* 2. *q.* 1. *dub.* 1.

5. Utimur verò hac propositione contra eos, qui ad eam devenerunt insaniam ut non dubitent asserere, Contradictoria posse esse simul vera, vel hominem Christianum illud principium quod contradicentia non possint esse vera, non posse agnoscere aut debere. Nam aut statuunt omnia contradictoria esse vera aut aliqua, si omnia. E. utrumque simul verum esse potest, quòd Deus sit justus & non justus, verax & non verax, quòd Christus resurrexerit & non resurrexerit nos cùm hîc sumus, non esse hîc, dum scribimus, non scribere, &c. quæ omnia absurdissima ex

parte

parte etiam blasphema sunt & à vera fide aliena. Si aliqua E, omnia, quia ut ostendimus, inter omnia est æqualis repugnantia. *Vide plura in disp. nostra de nonnullis circa doctrinam contradictionis.*

Regula XII.

Omnis contrarietas privationem habet alterius contrariorum.

1. Ita Aristoteles, 10. *Met.c.* 7. ubi & ait, *semper alterum contrariorum dici secundùm privationem*: item *omnem contrarietatem esse habitum & privationem.* Quæ quidem non ita accipienda sunt, quasi alterum contrariorum nihil aliud sit, quàm privatio, hic enim sensus falsus esset, cùm utrumque contrariorum sit formaliter quid positivum. Potest autem dupliciter intelligi: I ita, quod *omne contrarium inferat privationem alterius contrarii*, quemadmodum nigrum infert privationem albedinis, & vitium virtutis.

2. Sed hîc objici poterit, quod cùm privatio sit negatio formæ in subjecto capaci habitus, calorem in igne esse quidem contrarium frigori, non tamen inferre privationem frigoris, propterea quòd ignis non sit subjectum frigoris capax, idemq; dicendum est de cujuslibet contrarietatis extremo, quod subjecto inest per naturam.

3. Potest responderi 1. calor, licèt ut in igne est non importet privationem frigoris, absolutè tamen non potest negari, ipsum, privationem frigoris inferre, proprerea quòd in aliis subjectis quæ frigoris capacia sunt, ut in aqua, inesse potest. Respondetur 2. Aristoteles, 5. *Met.c.* 22. docet privationem dici tripliciter. 1. Si res non habeat aliquid eorum, quæ apta sunt ut habeantur, & si ipsa non sint apta, ut illud habeat, quomodo planta dicitur privata oculis. 2. Si non habeat quod vel ipsa vel genus ejus naturâ habere potest, quâ ratione aliter homo cœcus privatus est adspectu, aliter talpa, hic quidem ratione generis (*quia enim animal est capax adspectûs & verò talpa est animal quod est genus ejus, ideo & hujus generis habitâ ratione talpa capax adspectûs eóque privatus dicitur*

citur) ille verò per se ipsum. 3. Si apta sit res, ut habeat, eo autem tempore habeat non quo natura habere potuit. Cæcitas enim privatio quædam est, cæcus autem non omni ætate dicitur, sed si adspectum non habeat, in qua ut haberet, idoneus erat. Ita Aristoteles quam distinctionem, etiam *cit. c.* 7. 10. *Met.* inculcat. Jam dico, licèt calor in igne non inferat privationem postremo illo, & magìs propriè dicto modò; infert tamen primo & secundo.

4. Verùm hìc repetendum est id, quod in explicatione *reg.* 1. notavimus, nempe, secundùm Philosophum, unum contrariorum inferre negationem alterius, & ita quidem revera & sine ullo dubio rem se habere, si de eo quod naturaliter fit loquamur. De potentia tamen absoluta id esse dubium ob ea, quæ disputat Palutanus, 3. *dist.* 15. *q.* 2.

5. II. Potest sententia & proposito Aristotelis intelligi, non de privatione simpliciter, ut sc. formaliter est quædam negatio, ut cæcitas est quædam privatio, sed de quadam imperfectione, ita ut alterum contrariorum dici secundùm privationem nihil aliud sit, quàm unum contrariorum semper esse quid imperfectum respectu alterius. Quod quidem verum est non de utroq; extremo, sed de altero tantùm respectu alterius. Nam sic nigrum quidem habet rationem privationis respectu albi, & frigidum respectu calidi, sed non album respectu nigri nec calidum respectu frigidi. Et ita explicat Soncinas, 12. *Met.* *q.* 4. & videtur esse ad mentem Commentatoris (*Averrois*) qui *cit. t.* 10. *Met. com.* 15. dicit, omnia contraria opponuntur secundùm privationem & habitum, quia uni contrariorum accidit, ut sit perfectionis privatio, & 2. *ph. com.* 15. sic ait, Forma dicitur duobus modis. Dicitur enim de perfectionis inesse, quibus non adjungitur aliqua privatio, sicut albedo est forma, cum qua non adjungitur privatio omninò, & dicitur de formis diminutis in esse, cum quibus adjungitur aliqua privatio, sicut nigredo est forma, cui adjungitur privatio albedinis.

Regula XIII.

A Privatione ad habitum non datur regressus.

1. Facit Aristoteles, *c. 11. categ.* discrimen inter contraria & privativè opposita, quòd nimirum contraria inter se invicem mutari possint, nisi alterum insit per naturam, possibile enim est, candidum fieri nigrum & vicissim nigrum candidum, ex probo pravum & vicissim ex pravo probum, at in privatione & habitu, *inquit*, impossibile est, fieri ad invicem mutationem, ex habitu enim in privationem mutatio fit; sed à privatione in habitum impossibile est. Hinc extat illud proloquium, quod peripatetici crebris usurpant sermonibus, *à privatione ad habitum non datur regressus*.

2. Quòd si hoc à *privatione ad habitum non datur mutatio*, quibus verbis Aristoteles utitur, absolutè consideretur, latiùs patet quam istud. *A privatione ad habitum non datur regressus*, nam cùm ex semine in quo est privatio formæ animalis, nascitur animal, à privatione ad habitum datur mutatio, quæ mutatio tamen non potest dici regressus, imprimis si materia illa, ex qua semen constat, nunquam antea fuerit sub forma animalis quod generatur. Unde Soncinas, 10. *Met. q.* 19. propriè loquendo, ait, de regressu, sic dicitur fieri regressus à privatione ad habitum, quando habitus primò fuit in subjecto; & postea abjicitur, & postea iterum advenit in idem subjectum, regredi enim est venire ad locum in quo priùs aliquis fuit. Non tamen ita latè Aristoteles id intelligit, sed videtur nihil aliud velle quàm à privatione ad habitum, qui præcessit non fieri mutationem, quod idem est ac non fieri regressum, nam ipse 1. *phys.* privationem esse statuit principium & terminum à quo generationis & ex materia formæ privationem habentem generari.

3. Unde cùm duplex sit privatio, una *qua formam præcedit*, & *est terminus generationis à quo*, quomodo in semine est privatio formæ animalis; altera, *qua formam sequitur* & *est terminus corruptionis ad quem.*

De

De posteriori privatione accipiendum est, cùm dicitur, à privatione in habitum non esse mutationem, non de priori, quantùm enim ex semine, in quo est privatio præcedens formam animalis, animal fieri potest, rectè dicitur, ex non animali fieri animal, Sed ex mortuo animali, qua locutione significatur, privatio sequens formam non potest fieri animal naturaliter, quam doctrinam ejúsque usum leges apud Cornelium Martinum, *l.2.analys.c.*10.

4. Sed omnino videtur à privatione sequente formam ad habitum mutationem atque ita regressum dari. Nam à somno datur regressus ad vigilias, à tenebris ad lucem & ex aere fit aqua.

5. Pro explicatione regulæ Toletus, *in cit.c.* 11. *categ.* nonnullas proponit distinctiones: 1. Duplex potest considerari regressus, alter *ad idem numero*, ut idem numero, prorsus redeat, quod antea fuit. Alter *ad idem specie*, ut quando aliquis æger sanatur, restituitur ei eadem sanitas, non quidem numero, sed specie. 2. Regressus iste ad idem specie est duplex: *Mediatus* & *immediatus*. Immediatus est cùm absq; interveniente alia aliqua mutatione illud, quod aut corruptum aut omissum est, redit, ut si aer versus fuerit in aquam & ex aqua rursus absq; ulla alia mutatione fiat aer. Mediatus est quando non unâ mutatione, sed pluribus intervenientibus, illud regeneratur aut restituitur. 3. Privatio est duplex: *Quædam tollit solū actum*, ut somnus, qui aufert solum actum videndi non potentiam, tenebræ quæ lumen. *Quædam non solùm actum sed & potentiam*, ut cœcitas, quæ non solùm actu videndi privat, sed & potentiâ, quam distinctionem etiam huic regulæ adhibet Zimara, *propos.* 102.

6. Hisce præmissis Toletus constituit nonnullas conclusiones, quarum I. *Regressus ad idem numero à quacunq; privatione naturaliter est impossibilis*, verbi gr. quando dormiẽs expergiscitur & ex non vidente actu fit videns actu, actus ille videndi non est numero idem cum illo, quod videbat ante somnum. Dicitur autem *naturaliter*, nam supernaturaliter potest Deus idem numero restituere, imò restituit, quando mortuos resusci-

resuscitavit, & nos in resurrectione post mortem erimus idem numero homines qui nunc sumus.

7. II. *Regressus* (etiam immediatus) *ad idem specie à privatione tollente actum tantùm, est possibilis*, scilicet etiam per naturam. Et est clara, ut probant exemplo de somno & tenebris.

8. III. *Regressus immediatus ex privatione tollente potentiam etiam ad idem specie est impossibilis*, per naturam nimirum, ut qui amisit potentiam videndi, naturaliter eam non recuperabit, & cadaver non fiet homo. Atq; hoc est quod voluit Aristoteles. Dicitur autem regressus immediatus quia mediatè potest regressus ille fieri ut patet in aceto, ex quo, si priùs in aquam abierit, denuo fit vinum. Ita ex cadavere potest redire animal quantùm cadaver putrescit & in terram mutatur, ex terra illa generantur gramina, quibus si bos vescatur, generatur ex iis sanguis & semen ex quibus generatur animal. Testatur hoc Aristoteles, *l.* 8. *Met.* cùm dicit, at planè quæcunque hoc pacto mutuam habent mutationem, in materiam redeant oportet, veluti si ex mortuo animal oriri deberet, primum in materiam regressio fiat necesse est: deinde hoc pacto animal gignatur, ut acetum in aquam mutatur, deinde fit vinum.

9. Sed videtur hîc obstare exemplum §. 5. adductum, quod si aer versus fuerit in aquam, aer immediatè redire potest. Respondet Toletus, illam privationem, cùm aqua in aerem vertitur, formæ aquæ esse tantùm actus, cùm etiam materia elementorum sit in potentia proxima ad quamlibet formam elementi.

10. Verùm Connimbricenses hanc explicationem Toleti imperfectionis accusant, propterea quòd à calvitie ad esse comatum non detur regressus, nec ei, qui edentulus est, dentes renascuntur, quibus exemplis utitur ipse Philosophus: At comatum & dentatum esse, actus important, qui privetur calvitie & carentiâ dentium.

11. Quare ipsi Connimbricenses aliâ utuntur responsione quam dicunt esse Lovaniensium. DD. Lovanienses, inquiunt, *cùm ex altera parte videant à quibusdam*

dam privationibus, esse regressum, ab aliis non esse: ex altera non posse assignari certum genus earum, à quibus fit aut non fit reditus, cùm in utroque ordinis sint aliqua, quarum formæ sunt per modum actûs, aliæ per modum habitûs & potentiæ, nonnullæ ingenitæ, aliæ extrinsecus advenientes, ut ex dictis perspicuum est. Hanc rationem ex parte causæ reddiderunt: Quando positâ privatione non tolluntur causæ sufficientes ad productionem formæ, possibilis est naturaliter regressus ad eandem specie formam; quando verò ejusmodi causæ tolluntur, non est possibilis. Ostendere autem quibus cum privationibus causæ remaneant aut auferantur, longissimum est & singularum eget mentione, siquidem nullum commune principium hactenus inventum est, quod omnia comprehendit. Hæc Conimbricenses, quos vide.

Regula XIV.

Ab extremo ad extremum non fit transitus nisi per media Sive. *Transeuntem ab extremo ad extremum oportet transire per omnia membra.*

1. Pertinet hæc regula ad contraria, quia per *extrema* contraria intelliguntur, ut clarum est ex 10. *Met. c.* 11. ex quo regula ista desumta est, quò pertinet quod Galenus, 1. *de facult. natur. c.* 10. albedinem & nigredinem, utpote colores extremos non abire in se mutuò, nisi per medios docet.

2. Est autem duplex medium: Unum, *secundùm subjectum.* id scilicet de quo neutrum oppositorum verè prædicatur, sicut verbi gratiâ, lapis est medium inter sanum & ægrum, cùm nec sanus sit nec æger, hoc est, cùm sit ejusmodi subjectum, de quo nec ægrum nec sanum prædicari potest, hoc modo aer est medium inter album & nigrum. Alterum, *secundùm formam*, forma nempe media inter formas contrarias. Hujusmodi medium Zabarella, *l. de mission.* facit duplex, idque ex locis Averrois ab ipso citatis, id se facere dicit. Unum est, *per formalem mixtionem contrariorum in gradibus remissis*, hoc est, hujusmodi medium, quod constat ex extremis remissis formaliter,

liter, ut tepidum aut calidum ut ſex, etſi albo parùm nigri immiſcens. Alterum, *per virtualem continentiam*, ſeu per participationem extremorum, hoc eſt, hujuſmodi medium in quo extrema virtualiter tantùm inſunt, ut viride, rubrum & alii intermedii colores. Suarez, *in indic. locupl.* addit tertium genus quod vocat medium per receſſum ab utroque extremo, qualis eſt virtus inter duo extrema media.

3. Jam certum eſt non loqui Ariſtotelem, nec regulam intelligendam eſſe de medio ſecundùm ſubjectum, nam de relativè oppoſitis dicit, quòd medium non habeant, ſed *certum eſt ea habere medium ſubjecti* ſicut patet de lapide, qui medium eſt inter patrem & filium, hoc eſt, hujuſmodi eſt ſubjectum, de quo nec pater nec filius prædicari poteſt Deinde Ariſtoteles dicit, medium eſſe ejuſdem generis cum extremis, at medium ſubjecti non eſt ejuſdem generis, aer enim qui eſt medium ſubjecti inter album & nigrum eſt in prædicamento ſubſtantiæ, ſed album & nigrum formaliter ad prædicamentum qualitatis pertinent.

4. Intelligenda igitur eſt regula de medio ſecundùm formam & eſt ſenſus, Quando extremum mutatur in extremum, prius fieri mutationem in medium ſecundùm formam & quidem per omnia media oportet fieri tranſitum ut ſunt, media primo modo ut habet Zabarella, *loc. cit.* quando enim ex ſummè ſeu extremè frigido fit extremè calidum, primò unus gradus, nempe 8. frigoris expellitur & unus, nempe primus caloris introducitur, & ita ex frigido ſummè ſeu ut octo, fit frigidum ut ſeptem, deinde ſeptimus gradus frigoris expellitur, & ſecundus caloris introducitur, fitque frigidum ut ſex, donec tandem ſummus nempe 8. vel 9. gradus caloris introducatur univerſo frigore expulſo. At quantum eſt medium ſecundo modo, non eſt neceſſe, omnia media pertranſiri, ut notat Averroes, *tr. de anima com* 105. & ex eo docet Zabarella. Non enim ut ex albo nigrum, aut vice verſâ, neceſſe eſt, priùs tranſmutationem fieri in omnes intermedios colores.

5. Ea quæ medium habent tertio modo, regula non concernit,

concernit, siquidem intelligenda est de transmutatione, quæ fit per motum physicum ac proprium, non de ea quæ fit per actus immanentes aut mutationes instantaneas sicut ex Aristotele *loc. cit.* constat.

6. Quanquam Suarez, *loc. in indic. cit.* ostendit, quomodo, & cùm in moralibus, ex uno extremo ad alterum transitur, id per medium quodammodo fiat, licèt enim non necesse sit, à vitio transire ad vitium per virtutem, transitur tamen per naturalem quandam participationẽ virtutis, ut cùm, qui ex illiberali fit prodigus, incipit expendere, illo enim actus expendendi licèt non sit liberalitatis formaliter, est tamen materialiter, quantùm posset studiosè & secundùm virtutem fieri. Vide plura apud Suarez, *ibid.*

7. Transitus hic ab uno extremo ad alterum per media conspicitur quoq; in mutationibus rerumpublicarum: Respublica Romanorum expulsis regibus non statim & immediatè à statu Monarchico migravit in Democraticum, sed priùs majestatem regum exceperunt bini consules, atq; ità Aristocratica fuit forma, quæ mox evasit mista ex Aristocratia & Democratia, cùm Valerius consul populo duo egregia majestatis jura, ultimam nempe provocationem & creationem magistratuum concessit, donec tandem creatis tribunis plebis in Democratiam prolaberetur, quanquam certè hic transitus non est necessarius, cùm experientia testetur, Democratias patere Tyrannidi (quæ sub Monarchia comprehendit) & in eam subitò transire, & docet ità Aristoteles, 5. *Pol.* c. 2. Quemadmodum & Romana respublica ex statu popula i immediatè monarchica evasit. Videatur Arnisæus, *l. 2. præl. polit. c. 6. s. 3.*

REGULA XV.

Media constant ex contrariis.

Ἀνάγκη δὴ τῶν ἐναντίων εἶναι τὰ μεταξὺ, Aristoteles, 10. *Met. c.* 10. Et patet jam ferè sensus hujus propositionis per explicationem *reg. præced.* Quædam enim constant ex terminis remissis formaliter, sicut in tepido calor & frigus actu & formaliter insunt, ut

in gradibus remissis, quædam tamen virtualiter, ut colores intermedii, in moralibus medium per recessum ab utroq; extremo, sicut loquitur Suarez, qualis est virtus, licèt non constet ex extremis propriè, sapit tamen aliquo modo naturam extremorum, habet enim aliquid de opere seu inclinatione utriusque extremi, liberalitas enim inclinat ad dandum, in quo aliquo modo convenit cum prodigalitate, simul verò inclinat; aliquando ad retinendam, in quo accedit quodammodo ad illiberalitatem. Vide Soarium *in ind. locupl. l. c.* Lege etiam *c.* 8. *l.* 2. *Eth.*

Regula XVI.

Media sunt ejusdem generis cum extremis.

1. Πάντα τὰ μεταξὺ ἐν τῷ αὐτῷ γένει ἐςι, ἢ ὧν ἐςι μεταξὺ, *Omnia media, & ea quorum sunt media, in eodem sunt genere*, ait Aristoteles, *cit c.* 10 *l.* 10. *Met.* Ratio ejus est, quia inter extrema & media est transmutatio per se, sicut ex albo fit puniceum vel fuscum, & ex hoc nigrum, & vice versâ. Mutari autem ex genere uno in aliud genus nihil potest hoc est, inter ea quæ genere differunt, non datur transmutatio, nisi per accidens, ut ex colore non mutatur aliquid in figuram, sed per accidens fieri potest, ut cûm ex albo fit fuscum aut nigrum, subjectum simul aliam suscipiat figuram.

2. Manifestum autem est, non esse propositionem nostram intelligendam de medio, quoad subjectum, quid enim manifestius est, quàm aerem, qui est medium subjecti inter album & nigrum, & lapidem, qui est medium inter sanum & ægrum non esse in eodem prædicamento cum hisce extremis, vide §. 3. *reg. prac.* 14.

4. Sed quæritur, quomodo hoc in moralibus habeat locum, cûm ibi medium, ut liberalitas sit sub virtute tanquam sub genere, extrema, ut prodigalitas & illiberalitas, sub vitio.

4. Resp. Medium esse in eodem genere cum extremis vel proximo vel remotiori aliq o. Licèt enim genus proximum liberalitatis & extremorum ejus

non

non sit idem, remotius tamen genus idem est, sunt enim ista omnia sub habitu tanquam sub genere.

Regula XVII.

Quot modis dicitur unum oppositorum, tot dicitur & alterum

1. Communi usu tritissima est ista propositio & desumitur ex Aristotele, 1. *top. c.* 13. vel secundùm Pacium, 16.

2. Dicis: Aristoteles hoc libro non docet, tot modis unum oppositorum dici, quot dicitur alterum, sed unde cognosci possit, an aliquid multis modis dicatur, exponit, & inter alia docet, id ex oppositis cognosci posse. Quando enim alicujus oppositum dicitur multis modis, tum & ipsum multis modis dici; at non videtur sequi, si cùm oppositum dicitur multis modis, etiam ejus oppositum dicitur multis modis, tot quoq; modis dicitur oppositum, quot dicitur alterum oppositum, quia fieri potest, ut utrumque dicatur quidem multis modis, non tamen totidem & iisdem.

3. Resp. Negari non posse, Philosophi *loc. cit.* institutum esse, proponere doctrinam, quâ cognosci possit, an aliquid multis dicatur modis, & inter alia docere, ex opposito id intelligi posse. Si enim hoc multis modis dicitur, illud etiam multis modis dici. Verùm non aliter ostendit unum oppositorum multipliciter dici, propterea quòd alterum multipliciter dicitur, quàm quòd illud tot & hisce vel hisce modis dicitur, & hoc tot & hisce vel hisce modis dicatur. Clarum id est ex iis, quæ de contradictoriè oppositis §.8. habet, ex eo quod τὸ *non videre* multis modis, nempe duobus dicitur, cùm uno modo idem sit quod non habere facultatem videndi, altero, facultate videndi non uti, & τὸ *videre* non multis tantùm, sed totidem dici modis, ita ut utriq; significatione vocis non videre opponatur aliqua diversa significatio vocis *videre.* Nam & τὸ *videre* uno modo est facultatem videndi habere, altero, facultate illâ uti. Idem clarum est ex seq. quæ de privativè oppositis & conjugatis tradit. Quo facit quod 5. *Eth. c.* 1.

cùm dixisset, plerumq; sequi, si unum contrariorum pluribus modis dicitur & alterum pluribus modis dici, ex eo, quod injustus dicitur & ille qui legi non obtemperat, & ille qui plus sumit nec servat æqualitatem. *Infert*, justum non tantùm multipliciter, sed & tot modis dici, ita ut sic dicatur, tum ille qui legi obtemperat, tum ille qui servat æqualitatem. Et certè si vel maximè unum oppositorum dicatur multipliciter, nescio, quâ ratione indè colligi possit & alterum multipliciter dici, nisi simul hoc verum sit, si unum tot modis dicatur, etiam alterum tot modis dici, si enim aliquod oppositum dicitur multis modis, cur oportet ejus oppositum dici multis modis, si non oportet, ut dicatur totidem & correspondentibus modis, tunc enim multiplicitas unius oppositorum, nihil videtur facere ad multiplicitatem alterius.

4. Verùm non videtur veram esse, tot modis unum contrariorum dici, quot dicitur alterum, quia bifariam dicitur vitium, nempe in excessu & defectu; virtus tamen dicitur uniformiter & non secundùm excessum & defectum, verbi gratiâ habitus vitiosus περὶ δόσιν χρημάτων καὶ λῆψιν dupliciter dicitur, nempe prodigalitas & illiberalitas, quarum illa in excessu, hæc in defectu peccat. At virtus, quæ circa idem versatur objectum, nempe liberalitas non dicitur ita multipliciter.

5. Resp. Regula non intelligenda est de speciebus aut quibuslibet inferioribus, non nisi alicujus multæ & tot vel tot sunt species, aut alias inferiora de quibus ipsum univocè dicitur, stat m oppositi ejus multæ & tot species aut inferiora sunt, sic etsi animalis irrationalis sint multæ & variæ species, animalis tamen rationalis non sunt multæ aut tot species. Loquitur igitur *regula de æquivocis, aut iis quæ multipliciter dicuntur, ut non dicuntur univocè, & secundùm eandem rationem & definitionem*. Ex quo patet, objectionem allatam non obstare, quia vitium seu habitus vitiosus dicitur de excessu & defectu, ut de prodigalitate & avaritia univocè & secundùm eandem rationem, suntque istæ species habitus vitiosi.

6. Verùm

6. Verùm nec sic regula perpetua & universalis esse videtur; 1. Sumamus contraria, ut acutum dicitur de voce & angulo, & utrobique quidem in diversa significatione, sed grave quod acuto contrarium est, non dicitur totidem modis: nam de angulo non usurpatur, est enim angulorum quidam acutus, quidam obtusus, sed nullus est gravis. 2. Jus dicitur dupliciter 1. ut idem vel affine est legi & dividitur in naturale, gentium, & civile. 2. pro liquore eorum quæ coquuntur, at injuria quæ juri opponitur non dicitur his duobus modis, non enim habet significationem, qua juri in posteriori significatione opponatur.

7. Pro ulteriori explicatione regulæ & adductorum dubiorum solutione, dico I. Si unum contrariorum dicitur multis modis & quidem alterum *tot modis dici* bifariam intelligi potest: 1. *Ut eadem vox sit* (habens diversas significationes) 2. *ut sint etiam diversæ voces, interdum sub eadem voce,* quot modis dicitur unum contrariorum, tot dicitur & alterum, sicut utramque vocabulum & frigidum & fervidum, modò qualitatem sensibilem activam formaliter importat, modò transfertur ad animam; quomodo *Apoc.* 3. de angelo Laodicensium scribitur, quod nec frigidus sit, nec fervidus. Interdum diversæ sunt voces & hoc probat argumentum 1. §. 5. propositum, & propterea nobis non obstat. Acutum dicitur duobus modis, modò enim est vocis, modò anguli, contrarium acuto & ipsum dicitur duobus modis, qui duabus significationibus acuti respondent, licèt non secundùm utrumque modum eodem significetur nomine. Contrarium enim acuto in voce est grave, in angulo obtusum. Hæc distinctio & doctrina est Aristotelis, *cit. cap.* 13. 1. *top.*

8. Dico II. Quot modis dicitur unum contrariorum, tot modis dicitur & alterum, *si in omnibus in quibus locum habet* contrarium *habet unum*, seu si omnia ea. de quibus dicitur aut prædicatur habeant contrarium, ut τὸ φιλεῖν dicitur & κατὰ διάνοιαν ut loquitur Aristoteles, seu de affectu animi, & κατὰ τὴν σωματικὴν ἐνέργειαν, sive de actione corporis, quod

autem de hisce dicatur multipliciter, & non in eadem, sed diversa significatione probat Aristoteles indè, quòd cùm de affectu animi dicitur, habet contrarium τὸ μισεῖν, *odisse*, & tunc φιλεῖν idem est quod *amare*, cùm autem de actione corporis dicitur, non habet contrarium, tunc enim φιλεῖν idem est, quod Latinis *osculari*, aut τῷ *osculari* nihil est contrarium, indè ergò etiam tot modis dicitur id quod est contrarium τῷ φιλεῖν, neque eodem vocabulo neque diversis, quot modis dicitur τὸ φιλεῖν, quoniam non omnia ea de quibus usurpatur & dicitur τὸ φιλεῖν contrarium habent. Atque hinc patet, quid ad alterum argumentum. §. 5. adductum, dicendum sit, nempe jus sumtum pro liquore eorum, quæ coquuntur, non videtur habere contrarium, & propterea non necesse est, ut oppositum juri vel sub uno nomine, vel sub diversis tot modis dicatur, quot dicitur jus. Quòd si iste liquor aliquod contrarium habeat, neq; sic argumentum est contra nos, quoniam probat tantùm ejus contrarium sub una voce, nempe sub voce *injuriæ*, non dici totidem modis, quot dicitur jus. Sed ulteriùs hîc scrupulum injicit Javellus, *l.* 5. *Eth. tr.* 1. *c.* 1. ait enim Aristotelem 5. *Eth. c.* 1. docere, tripliciter dici injustitiam. 1. Pro transgressione legis, seu illegalitate. 2. Pro avaritia, quæ est cupiditas habendi plus de bonis quàm justum sit. 3. Pro inæqualitate, quæ est voluntas habendi minùs de malis, ut de laboribus, inopia, quàm injustum sit. Justitiam autem dici duobus modis: 1. Legalitatem, quæ est observantia legis. 2. Æqualitatem quâ dicitur justus æqualis & est ille, qui æqualiter vult participare de bonis & malis, commodis & oneribus & si objicias, *sunt verba Javelli*, quot modis dicitur unum oppositorum, tot & reliquum. E. cùm injustitia & injustus, ut præmissum est, dicatur tribus modis, tot modis & justitia & justus. Ad hoc dicitur, quòd illa regula, Quot modis dicitur unum oppositorum tot dicitur alterum, non tenet, quando unum oppositum continet plura significata alterius oppositi. Sic est in proposito; nam justus æqualis opponitur duobus, injustis inæqualibus, quorum unus

vult

vult plus de bonis & dicitur injustus avarus: & alter vult minus de malis & dicitur injustus inæqualis, & ideo duo modi justitiæ sufficienter correspondent tribus modis injustitiæ. *Hæc Javellus.*

9. Verum locus Aristotelis citatus aliter ab aliis interpretibus exponitur: verba Aristotelis hæc sunt, Δοκεῖ δ' ὅτι παράνομος ἄδικος εἶναι καὶ ὁ πλεονέκτης καὶ ὁ ἄνισος ὥστε δῆλον, ὅτι καὶ ὁ δίκαιος ἔσται ὅτι νόμιμος καὶ ὁ ἴσος, *ac videtur, injustus esse is qui legi non paret, & is qui plus sumit, & qui non servat æqualitatem, quare manifestum est, etiam justum fore tum eum, qui legi paret, tum servat æqualitatem.* Hîc illa vox ἄνισος non constituit tertiam & distinctam à prioribus significationem vocis *injustus*, sed est declaratio secundi significati, quod constituit τὸ πλεονέκτης. Ita hanc Accioiolus & Antonius Ricobolus in hunc locum. Non solùm igitur justitia & justus sumitur tantùm duobus modis, sed & injustitia & injustus in isto loco. Quam explicationem confirmat id, quod huic explicationi vocis *justitiæ* præmiserat Aristoteles his verbis, ac plerúmque consequitur, si altera (alterum contrariorum) pluribus modis dicitur, ut etiam altera (*alterum contrariorum*) pluribus modis dicatur, ut justum & injustum. Quòd si voluisset justum non tot modis dici, quot injustum, inconvenienter id dixisset. Item cùm dixisset, injustum dici παράνομον & πλεονέκτην & ἄνισον, dicit ex eo manifestum esse, justum & injustum bifariam dici. At si voluisset injustum tribus modis dici, non fuisset ita manifestum, justum tantùm duobus modis dici.

10. Videtur autem Aristoteles quando in isto cap. ait, *Si alterum oppositorum pluribus modis dicitur, & alterum pluribus dici* id ita intellexisse, quod dicatur pluribus modis, sub eadem voce seu ita, ut sit eadem vox, & quia id non est perpetuum, sicut ex §. 6. constat, ideo addidit vocem *plerumque*.

11. Et hactenus de contrariis. Videamus relativè opposita. Quot modis pater dicitur, tot etiam filius, uterque enim dicitur vel ratione generationis, vel ratione adoptionis. Ita in privativè oppositis, tenebræ

&

& lumen primò propriè sumuntur, deinde utraque vox transfertur ad alia, quomodo in oratione lumen & tenebræ dicuntur.

12. Videntur tamen in utroque oppositionis genere ea notanda venire, quæ de contrariis §. 5. & 2. diximus. Nam cœcum dicitur 1. id, quod caret potentiâ videndi. 2. id, quod occultum est & latet, quemadmodum apud Columellam *l.* 2. *cœci* morbi dicuntur, quorum causas nè medici quidem perspicere queunt, & *Cicero contra Rullum cœcas res* vocat, ab aspectûs judicio remotas. Tot modis dicitur etiam oppositum cœco, verùm id non significatur unâ voce, nam quòd ipsi in prima significatione opponitur, dicitur *videns*, quod in altera, *non videns* dicitur, sed apertum & evidens.

13. Idem perspicitur in relativè oppositis, nam vox *multa* dicitur dupliciter, sicut ex Aristotele 10. *Met. c.* 9. constat, 1. *Comparativè*, & sic non significat nisi numerum excedentem 2. *Absolutè*, quomodo multa dicuntur quæcunque sunt plura uno. Quod opponitur multis in prima significatione, venit hoc nomine pauca, quod in posteriori hoc nomine unum, Vide suprà, *reg.* 7 §. 8

14. Quantùm ad contradictoriè opposita, certissimum est, quot modis dicitur unum oppositorum, tot dici & alterum, ita ut non interveniat diversitas vocis, nec altera illa exceptio, de qua §. 7. unquam hic occurrat quoniam, de nullo contradictoriorum, dici potest, cui non è regione respondeat alterum contradictorium, & in quacunque significatione aliqua vox sumatur, ei in eadem alter terminus contradicens ipsi sub una voce opponitur, cùm contradictio fiat tantùm additione aut ablatione particulæ negativæ *non*. Ita sicut τὸ *non videre* bifariam sumitur etiam & τὸ *videre* de quo § 2. sicut cùm ens dupliciter sumatur, 1. In significatione participii, & significat tantùm id quod actu est, 2. In significatione nominis tum id quod actu est, tum, id quod esse non repugnat, licèt actu non sit: Tot modis etiam dicitur non ens nempe 1. Omne id sic appellatur quod

actu

actu non eſt, actu ſive eſſe poſſit ſive non, quomodo opponitur enti in priori ſignificatione. 2. Id tantùm quod ita non eſt ut nec eſſe poſſit, quomodo enti in ſecunda ſignificatione opponitur.

Regula XVIII.

Oppoſitorum oppoſita ſunt conſequentia.

1. *Si oppoſitum eſt in oppoſito, etiam propoſitum erit in propoſito*, ait Ariſtoteles, 4. *top. c.* 4. §. 5. ſed de eo ex profeſſo tractat, 1. *top c.* 8. ſecundùm Pacium: & per omnia oppoſitorum genera id conſideratur. Per *conſequentia* autem intelliguntur prædicata, quæ de aliquo univerſaliter poſſunt affirmari propterea quòd hujuſmodi prædicata ex aliis per bonam conſequentiam inſerantur. Dicuntur autem reſpectu antecedentium, hoc eſt, eorum de quibus univerſim affirmari poſſunt. Ita conſequens eſt animal, antecedens homo, quia ex hoc, quòd aliquis homo eſt, ſequitur ipſum eſſe animal, & hoc modo ſumit antecedentia & conſequentia Philoſophus, 1. *prior. c.* 18.

2. Eſt autem duplex conſequentia inter contraria ἐπὶ ταὐτὰ, ſeu directa, & *ἀνάπαλιν*, ſeu ordine inverſo. Illa conſiſtit in hoc, quòd oppoſitum prædicati ſeu conſequentis infertur de oppoſito ſubjecti ſeu antecedentis. Sunt igitur hîc inter ſe oppoſita duo prædicata, ſimiliter & duo ſubjecta. Hæc verò id importat, quòd oppoſitum ſubjecti infertur de oppoſito prædicati, & propterea dicitur conſequentia de ordine inverſo, quia nimirum oppoſitum ſubjecti fit prædicatum, & oppoſitum prædicati fit ſubjectum.

3. Conſiderat autem primò hæc Ariſtoteles in contradictoriè oppoſitis, in quibus conſequentia ordine inverſo locum habet, perpetuò etiam ſine ulla exceptione, ut, quicquid eſt fortitudo, eſt virtus. Ergò quicquid non eſt virtus non eſt fortitudo. Homo eſt animal. Ergò, quicquid non eſt homo, non eſt animal, & viciſſim, Quicquid non eſt animal non eſt homo. Ergò, quicquid non eſt homo, non eſt animal. Valet & ad deſtruendum ut ſi quis diceret, Omne ho-

neſtum

nestum esse jucundum, refelleretur ex eo, quòd si omne honestum est jucundum, quicquid non est jucundum, non est honestum, quod falsum. Hæc consequentia pertinet ad secundam figuram syllogismi conditionalis, & videtur quoque nihil aliud esse, quàm conversionem, quam *per contrapositionem* vocat. Consequentia directa hîc exclusa est, non enim ex contradictorio subjecti sequitur contradictorium prædicati, nam hoc verum est, Omnis homo est animal, falsum autem, quicquid non est homo non est animal. Cujus rei ignorantiâ erravit Molissus, ita enim argumentatur, Factum habet principium, Ergò, non factum, non habet principium. *Excipiendæ autem sunt illæ prædicationes, in quibus subjectum & prædicatum sunt convertibilia*, in his enim directa consequentia locum habet, quemadmodum sequitur, Omnis homo est capax disciplinæ. Ergò, quicquid non est homo non est capax disciplinæ.

4. In contrariis potiùs valet directa consequentia, ut, fortitudo est virtus, Ergò, sequenda. Ignavia est vitium. Ergò, est fugienda. Interdum autem & inverso ordine fit consecutio, ut εὐεξίας, seu bonæ corporis habitudinis. consequens est sanitas, omnis enim qui bono habitu præditus est, sanus est. Sed καχεξία non est consequens morbus, sed potiùs morbi consequens καχεξία, omnis enim æger mali habitûs est, non tamen omnis qui mali habitûs est, æger est, cùm plerique sani sint mali habitus.

5. In privativè & relativè oppositis, tantùm esse consequentiam directam, *ait Aristoteles*, ita quia visus est αἴσθησις, cæcitas erit ἀναισθησία, & quia triplum est multiplex, etiam subtriplum erit submultiplex, & quia visus est sensus, etiam visibile erit sensibile, visus enim visibili, sensus sensibili relativè opponuntur.

6. Verùm enim verò ut ea, quæ de contradictoriè oppositis dicta sunt, universim veritatem habent, nec aliter se habere possunt, ita, quantùm ad reliqua oppositionis genera plurimæ & variæ sese offerunt instantiæ. Hæc enim consequentiæ sunt nullæ, 1 Album est coloratum, est visibile, Ergò, nigrum non est

est coloratum, non visibile. 2. Omnem hominem currere est falsum, Ergò, nullum hominem currere est verum. Nam & hoc posterius falsum est, sunt autem hîc, Omnem & nullum hominem currere, contraria, sicut & verum & falsum. 3. Album est sanum, Ergò, nigrum est ægrum. 4. Prodigalitas est vitium, Ergò, illiberalitas est virtus. 5. Videns, est vivens, Ergò, cæcus est mortuus, quod exemplum est in privativè oppositis. 6. Sensibile est scibile, Ergò, sensus est scientia, quæ sunt relativè opposita.

7. Alexander ad illa verba, *Ampliùs quæcunque*, &c. propositionem seu regulam procedere in pluribus non omnibus expressè ait, & Zabarella, *de acert. c. 5.* probabilitatem non necessitatem habere scribit. Ex quo ipso jam illi, qui sic colligunt, Mala opera damnant, Ergò, bona salvant, argumenti hujus debilitatem perspicere debuerant.

8. Nonnulli ad veritatem hujus regulæ, & bonitatem consequentiarum indè formatarum dicunt, requiri ut prædicatum cum subjecto reciprocetur, quâ explicatione jam responsum fuerit ad omnia argumenta §. 6. proposita; in nullo enim prædicatum prioris propositionis reciprocatur seu convertitur cum subjecto, quemadmodum manifestum est. *Alexander dicit*, argumentationes, juxta hanc regulam, non esse sanas quando prædicatum sequitur ad utrumque contrariorum quæ loco subjecti ponuntur, quemadmodum coloratum & visibile utriusque tum nigri tum albi consequens est, sicut & vitium non prodigalitatem tantùm, sed & illiberalitatem consequitur, & falsum non tantùm est consequens illius, omnem hominem currere; sed & hujus, nullum hominem currere; & vivens etiam tam videntem quàm cœcum sub se complectitur.

9. Sed liceat per exempla sigillatim ire: ad I. dicimus, Aristotelem non loqui nisi de oppositis ejusdem generis, hoc est, eo oppositionis genere, quo subjecta opponuntur, debent etiam opponi prædicata. Id non fit in illis primis exemplis, nam subjecta sunt contraria, nempe album & nigrum, sed prædicata, nempe

nempe coloratum & visibile, non sunt contraria, sed colorato opponitur ibi negatio, non esse coloratum, & visibili invisibile, quod & ipsum non est contrarium visibili, sed vel privationẽ vel negationem ejus significat

10. Ad II. Agimus hîc de oppositis incomplexis, seu ut in terminis attenduntur, quomodo de iis Aristoteles, *in lib. categ.* agit, & in Relativè, Privativè, contrariè & contradictorè opposita distribuit. At hoc modo omnem hominem currere, & nullum hominem currere, non sunt contraria nec ad aliud ullum oppositionis genus pertinet. Fit enim in hisce duobus, Omnem hominem currere, & nullum hominem currere, oppositio tantùm per signa *omne* & *nullum*. At opposita de quibus nos agimus, non constituuntur per signa, unde præsens exemplum potiùs pertinet ad oppositionem quæ est in enunciationibus, de quibus Philosophus, *in lib. de interpretatione.*

11 Nego sanum esse consequens albi in 3 id quod facile cuique constat ex §. 2. Id enim quod tantùm particulariter prædicatur, & contingenter ipsi convenit, non infertur ex illo per bonam consequentiam, quemadmodum non dici potest, Omne album esse sanum, nec sequitur etiam, Est albus, Ergò, est sanus.

12. At regula nostra loquitur de hujusmodi prædicatis, quæ sunt *consequentia respectu subjectorum*, quæ admonitio probè observanda est, nisi enim prædicatum sit necessarium consequens subjecti, etiam universa contradicentium consequentia fallit, ut dies caniculares maximum obtinent fervorem. Ergò, qui dies non maximum obtinent fervorem, non sunt caniculares. Vide multa exempla apud Schegkium.

13. IV. Aiunt, non valere in contrariis, quæ opponuntur per excessum & defectum, quomodo se habent prodigalitas & illiberalitas. Ad V. dico, fallere consequentiam in privativè oppositis, quando altera negatio tollit subjectum alterius privationis, & habitûs ipsi oppositi. Cum enim habitus & privatio alligata sint ad certa subjecta, extra quæ non recipiuntur, si in argumentatione, in qua ex eo, quòd prædicatum affirmatur de subjecto infertur,

fertur, terminum privativè oppositum prædicato esse affirmandum de termino privativè opposito ipsi subjecto, alter terminus privativus destituat subjectum alterius privationis, & habitus ipsi oppositi, consequentia nulla est: Ita enim contingit in præsenti exemplo, subjectum enim cæcitatis & visûs non est nisi animal, quod destituit mors.

14. Ad VI responsio est in Aristotele, nempè sensibile non esse scibile, per se scilicet. Est enim ista prædicatio, Sensibile est scibile, per accidens, sed ad veritatem regulæ requiritur, ut prædicatum de subjecto per se prædicetur. Confirmatur ista responsio ad præsens exemplum, quod in eo argumentatio procedat ex *reg.* 2 *m.*6. si concretum prædicatur de concreto, abstractum de abstracto, habent enim se ex una parte sensus & sensibile, ex altera scientia & scibile ut abstractum & concretum. At in explicatione citatæ regulæ dictum est eam fallere in prædicationibus accidentalibus.

15. Cæterùm disputatio est, quomodo in animantibus ex materia extrinsecus assumta, fiat accretio. Verò magìs est consentanea sententia, fieri per extensionem. Sed objiciunt: Si accretio fit per extensionem, diminutio fiet per contractionem. Posterius falsum est. E. & prius. Posterius probatur, quia ut accretio & diminutio, ita extensio & contractio sunt contraria. At contrariorũ contraria sunt consequentia

16. Resp. Cùm unius rei plura esse possint consequentia, accidere posse, ut aliqua contraria consequentia, alia tollant, neque possint simul consistere, atque id contingit impræsentiarum. Accretio & diminutio habent contraria prædicata seu consequentia, quòd illa est motus a minori quantitate ad majorem ex suggestione materiæ, hæc verò est motus à majori quantitate ad minorem ex subtractione materiæ. cùm hoc non possunt stare alia contraria prædicata; quod scilicet accretio fiat per extensionem, diminutio per contractionem, quia contractio non fit nisi servatâ eâdem materiâ, at diminutio fit subtractâ materiâ, *qua de re videatur Zabarella*,

barella, l. c. Hinc poteſt regula ita limitari, *Contrariorum ſunt contraria conſequentia, niſi illa contraria conſequentia pugnent cum aliis contrariis conſequentibus, quæ contraria ſubjecta obtinent.*

17. Sed poteſt & ita reſponderi: Regulam loqui de contrariis, quorum unum alteri adæquatè opponitur, at, ſi verum eſt, contradictionem eſſe tantùm, quando aliquid minorem locum occupat, ſervatâ planè eâdem materiâ, & nullâ ejuſdem detractione factâ, tunc ipſa non opponitur adæquatè extenſioni, quia extenſio non tantùm eſt cùm ſervatâ planè eadem materiâ, & nullâ acceſſione ei factâ, majorem locum res occupat, quomodo ſpongia extenditur, ſed etiam cùm majorem locum occupat acceſſione novæ materiæ, quomodo ignis & corpus animalis extenduntur. Hîc certè perſpicitur, contradictionem in poſteriori caſu non opponi extenſioni.

18. Ad illud §. 7. de malis & bonis operibus reſpondet Philip: Melanch. *l.4. Dial. de contrario ſenſu.* Contraria ad quæ conſequantur alia contraria debere eſſe paria. Nam ad calorem intenſum, & frigus remiſſum, non ſunt contraria conſequentia, & per hoc non ſequitur, Mala opera damnant. Ergò, bona juſtificant, non enim ſunt paria, bona & mala opera, hæc enim ſunt perfectè mala, illa autem imperfectè bona.

TIT. XVIII. continens REG. II. *circa doctrinam Veri & Falſi.*

PRopoſuimus hactenus titulos, qui concernunt unum & multa, *atque ea, quæ conveniunt rebus ratione unitatis & multitudinis, ſicut ex ſuprà dictis*

dictis constat. Quia ergò alia duo entis attributa nempe verum, *cui* falsum, & bonum *cui* malum *opponitur, in prima Philosophia post doctrinam* unius *considerari solent, ideo & nos duos sequentes titulos iis assignabimus, in hoc quidem unam atque alteram regulam de* vero & falso *explicaturi.*

REGULA I.

Ab eo quod res est vel non est, oratio dicitur vera & falsa. Aristoteles in categ. substant.

1. Nominales negant, propositiones essentiales simplices affirmativas esse veras, nisi re sive subjecto exsistente, & utuntur *hoc loco Aristotelis*: Si enim ab eo quòd res est seu exsistit, oratio vel propositio (*affirmativa*) est vera, sequitur, quando non est sive non exsistit, non esse veram.

2. Pro explicatione regulæ sciendum, τὸ *esse* impræsentiarum non significare exsistentiam sed identitatem seu compositionem rei per prædicatum significatæ cum re per subjectum significatæ, & τὸ *non esse* significare earundem divisionem vel diversitatem. Habemus interpretem ipsum Aristotelem, ita enim ille 9 *Met. c.* 12. *t.* 21. verum aut falsum in rebus est componi aut dividi, itaque verum dicit, qui id quod divisum est, dividi exsistimat & quod compositum componi. Falsum autem quod contrario modo se habet atque res, quando est aut non est, quod dicitur verum vel falsum. Hoc enim considerandum dicimus, neque enim quia nos putamus, te verè album esse, tu albus es, nos qui hoc dicimus verum dicimus.

Et

Et paulò post, *Atque esse quidem*, inquit, *est componi ac unum esse, non esse si non componis, aut plura esse.* Quid clarius dici posset pro explicatione regulæ nostræ? quid evidentius in ipso Aristotele? quàm τὸ *esse* non significare existentiam, nec τὸ *non esse* negationem existentiæ, sed illud quidem compositionem vel identitatem, hoc verò divisionem vel diversitatem exprimere.

3. Quod igitur Aristoteles in prædicamento substantiæ dixit, τὸ πρᾶγμα εἶναι, *rem esse*, id modò citatis verbis explicat per τὸ συγκεῖσθαι καὶ ἓν εἶναι, *per componi aut idem esse*, (quòd est ea, quæ per subjectum & prædicatum significantur componi & idem esse) & quòd dicit τὸ πρᾶγμα μὴ εἶναι *rem non esse.* explicat per τὸ διαιρεῖσθαι καὶ μὴ συγκεῖσθαι, ἀλλὰ πλείω εἶναι, *per dividi & non componi, seu plura esse* (quod est ea, quæ per subjectum & prædicatum significantur non cohærere nec idem esse.)

4. Sensus igitur regulæ est, Orationem affirmativam quæ significat compositionem & identitatem inter prædicatum & subjectum, esse veram ex eo, quòd illa identitas seu compositio non est in re seu objecto. Contrà negativam enunciationem, quæ significat divisionem & negationem identitatis inter subjectum & prædicatum, esse veram ex eo, quòd illa divisio est in subjecto, h.e. quòd in re ipsa unum non est aliud, falsam autem ex eo, quòd divisio non est in objecto, sed identitas, quod nihil aliud est quàm quod vulgò dicitur, *veritatem esse conformitatem, orationis cum objecto, falsitatem autem esse difformitatem seu discrepantiam orationis ab objecto.*

5. Ex quibus patet, fundamentum Nominalium, quod in reg. præsenti collocant, nullum esse, siquidem ipsi τὸ *esse* pro existentia accipiunt. Argumentantur ulteriùs ita: Si, cùm dicit Aristoteles, *rem esse*, nihil aliud intelligit, quàm rem existere, sequitur & cùm dicit, *rem non esse*, nihil aliud significare, quàm rem non existere. Sed posterius est absurdum. Ergò & prius. Consequentia est manifesta: Absurditatem consequentis probo, quia Aristoteles vult

vult propositionem negativam esse veram ab eo, quòd res non est, atqui non est vera ab eo, quòd res non existit, sed ab eo quod id, quod per subjectum, & id quod prædicatum significatur, non sunt unum & idem, verbi gratiâ. Homo non est lapis, verum est, non ex eo quòd homo vel lapis non existat (uterque enim existit) sed ex eo, quòd homo & lapis inter se non cohærent, nec idem sunt. Sed de sententia Nominalium alibi plura. Vide interim *Fonsecam*, 5. *Metaph. c.* 5. *q.* 1. Scotum, *dist.* 31. *f.* 12. §. 38. *& seq.* Raphael, *q.* 8. *Philosophia. f* 4. *concl.* 2. *&c.*

6. Est autem magnus hujus regulæ usus: Docet nimirum *judicium de veritate & falsitate non esse desumendum à subjecto*, seu *ab autoritate aut qualitatibus dicentis, sed ab objecto & ex eo quòd oratio rei conveniens est vel non est*, quòd probè notandum est contra eos, qui olim docuerunt, omne id quod non renatus de Deo & lege ejus dicit, ut si dicat, Deum esse justum, sapientem, creatorem cœli & terræ, mendacium esse, licèt in se verum sit, cùm à renato profertur, Cùm enim hîc renati & non renati oratio eadem sit, objectum etiam planè sit idem & eodem modo se habeat, non potest unius oratio falsa, alterius vera esse. Et quæso, cùm non renatus dicit, Deum esse justum, résne ita sit nec ne? negare non potes, nisi Deum per summam blasphemiam injustitiæ velis accusare. Quod si res ita est, sequitur, orationem ejus veram esse, quòd ab eo quòd res est vel non est, oratio vera vel falsa dicatur. Quò pertinet, quod Aristoteles, 4 *Metaph. c.* 7. ait *dicere id quòd est, non esse, aut quòd non est esse, falsum est; id autem quòd est esse, aut quòd non est non esse verum*, videantur plura hac de re apud Grawerum, *de simpl. & unic. verit.*

7. *Dicis*, sacras literas veras esse credimus, propterea quòd à Deo sunt profectæ. E. Judicium de veritate licèt sumere ab autoritate dicentis, & eò aliquid verum est, quia Deus dixit.

8. *Resp.* S. Scriptura & quicquid Deus dicit formaliter

maliter verum est ex eo, quòd cum objecto convenit, quia autem Deus ipsa veritas est, & mentiri nequit, ideo dicimus, aliquid verum esse, quòd à Deo sit prolatum, non quod formaliter per hoc verum sit, sed id intelligitur *arguitivè*, uti loquuntur scholastici quia nim. ex eo, quòd à Deo aliquid pronunciatum est certissimè & infallibiliter colligitur, id cum objecto convenire, seu rem ita se habere, sicut dictum est.

Regula II.

Verum vero consonat.

1. Usitata hæc est propositio: sed obstare videtur, quòd propositiones de materiis diversis, non consonant, ut si dicas, solem esse majorem terrâ, & statum Romani imperii esse mixtum, aut piper esse calidum, & Hannibalem vicisse Romanos ad Cannas. Hæc enim inter se nec consonant nec dissonant.

2. Dicendum, regulam dupliciter posse intelligi: *Positivè*, & *negativè*. Positivè consonare dico *propositiones* (nam verum & falsum simpliciter tantùm in propositionibus, seu compositione & divisione intellectûs sunt) *quæ planè aut ferè ejusdem sunt sensûs*, quomodo consonant, si quis dicat, definitionem converti cum definito, alius autem asserat, definitionem debere prædicari de definito, ita ut nec latior nec angustior. Et hoc modo *non omne verum vero consonat*, & hoc probatur §. *præc.* Negativè consonare dico, *idem esse quòd propositiones aliquas inter se non dissonare* seu non contrariari sibi aut contradicere & hoc modo regula est intelligenda. Et ita consonant illa §. 1. h. e. non dissonant, nec unum alteri adversatur & contradicit, & non hoc vult Aristoteles, *c. ult. l. de interp.* ἀληθῆ οὐκ ἐνδέχεται ἐναντίαν ἔχειν, *non contingit veram* (opinionem) *esse contrariam.*

3. *Dicis*: duæ subcontrariæ propositiones sunt oppositæ. Duæ subcontrariæ propositiones possunt esse simul veræ. E. quædam, quæ possunt esse simul vera, sunt opposita.

4. Sed responsio est in promtu. Negatur enim major,

major, nempè duæ subcontrariæ non sunt oppositæ, quia prædicatum in iis non intelligitur de subjecto secundùm eadem supposita, quemadmodum cùm dico, Quidam homo est doctus, quidam homo non est doctus, de diversis hominibus intelligitur, quâ de re vide alios. Adi etiam Tataretum, regulam nostram considerantem sub finem, *l.* 2. περὶ ἑρμ. *ibi nim. tertiò dubitatur.*

TIT. XIX. continens REG. XII.

circa doctrinam

Boni & Mali, Perfecti & Imperfecti, Voluntatis & Appetitûs,

C*Onjungimus* Bono & Malo 1. Perfectum & Imperfectum, *propterea cùm bonum dupliciter dicatur, alteri scilicet & in se. Bonum in se consistit in perfectione cui opponitur imperfectio.* 2. Voluntatem & appetitum, *propterea quod bonum est objectum illorum.*

REGULA I.

Majori bono opponitur majus malum.

1. Alexander Aphrodisæus, *l.* 2. *probl.* 36. & 1. *top.* 1. illa verba, Litigiosus autem, &c. *Illud malum, quod majori bono opponitur, est majus*, ita vitia animi majora sunt vitiis corporis, quia bona animi, quibus opponuntur, majora sunt bonis corporis. Et politici inter alia Tyrannidem pessimam omnium rerumpub-

licarum

licarum esse indè probant, quòd Monarchiæ formæ omnium optimæ opponatur: potéstque id aliarum rerum inductione probari. Ex hoc autem sequitur, *Bonum quòd majori malo opponitur esse majus.*

2. Sed obstat, quod εὐεξία, seu optima & florens valetudo est majus bonum, quàm sanitas simpliciter, id tamen, quod florenti valetudini opponitur, nempè καχεξία, seu defectus ejus est minus malum quàm morbus, qui opponitur sanitati simpliciter.

3. Respondeo, ex Durando, *l.* 4. *sent. dist.* 49. *q.* 4. Majori bono opponi majus malum, *quando bona sunt disparata*, hoc est, quando unum non præsupponit alterum, qualia sunt bona animi & bona corporis, at in bonis quorum unum alterum includit, aut aliàs præsupponit, non habet locum, id quod probatur per allatam objectionem, in qua majus bonum includit minus, nempè εὐεξία, καχεξίαν, seu florens sanitas, sanitatem simpliciter. Videatur Vazquez, 1. *s.* 2. *tom.* 1. *disp.* 11. *c.* 8.

Regula II.

Includens perfectius est quolibet incluso.

1. Obstat 1. Quòd homo cœcus includit hominem, nec tamen homo cœcus est perfectior homine.

2. Christus, tanquam persona composita, includit τὸν λόγον, & humanam naturam. Christus tamen, ut persona composita, non est perfectior τῷ λόγῳ, cùm impossibile sit, ut quid Deo sit perfectius.

2. *Resp.* Dicendum est, quod cùm quodlibet includens comparatum cum quolibet incluso, ipsi aliquid superaddat, seu aliquid ultrà includat, quandoquidem includens semper plura importat eo, quod includitur: potest id dupliciter fieri. Nam vel id, quod ultrà inclusum, cum quo comparatur, includit, aliquam importat perfectionem, quomodo caput includit nasum, quia ultra eum includit oculos, aures, &c. quæ positivum quid sunt, & certam perfectionem obtinent, vel nullam importat perfectionem, sed potiùs imperfectionem, quomodo homo cœcus includit hominem, quia cœcitas, quam ultra homi-

nem

nem solùm includit, privatio est, (cujus perfectionis, nempe visûs) non perfectio.

3. Jam dico, *Includens perfectius est quolibet incluso, si ic. ita quòd præter ipsum includit, perfectionem importat.* Addendum & hæc, *nisi illud quòd includit, & cum quo comparatur in perfectione sit perfectionis infinitæ*, quod enim perfectionem infinitam habet, eo nihil perfectius cogitari potest.

4. Atq; indè patet responsio ad ea quæ §. 1. fuerunt adducta. Quòd enim in illis non valet regula, causa est, quòd id, quòd homo cœcus præter hominem includit, non perfectio sed negatio perfectionis est; & quòd ὁ λόγος est ens infinitæ perfectionis.

5. Zimara, *theor.* 10. statuit, formam esse perfectiorem composito, at contra hoc est Aristoteles, 2. *de anima t.* 2. ubi comparans corpora, quæ composita, sunt cum materia & forma, dicit, ea esse maximè substantias & argumentamur nos ex nostra reg. Quicquid ita aliquid includit, ut id quod ultra ipsum includit, importet quandam perfectionem, illud ipso est perfectius. Sed compositum ita includit formam, ut id quòd ultra eam includit, importet quandam perfectionem: compositum enim ultra formam includit materiam, quam etsi Zimara perfectionem ullam dicere negat, id tamen concedi non potest, cùm materia sit aliquid positivum, quod sine perfectione esse nequit. Plura hac de re vide apud Suarez, *disp. Met.* 15. *s.* 7.

6. Fundatur autem regula nostra in Aristotele 1. *Rhet.* 7. ubi dicit, necesse esse plura uno & paucioribus connumerato uno vel paucioribus majus bonum esse & addit rationem, propter quod superat, at quod inest, superatur. Atqui includens, respectu cujuslibet inclusi plura importat, & in eo scilicet includente, vel in pluribus illis, quæ includit, connumeratur quodlibet inclusum, ut homo plura importat, quàm anima, ita ut anima connumeretur (includit enim homo, & animam & corpus) includens ergò est majus bonum, quam quodlibet inclusum.

REGULA

Regula III.

Natura semper intendit perfectissimum.

1. *Natura semper id facit, quod est optimum eorum, quæ fieri possunt*, ait Aristoteles, *l. 2. de cœl. t.* 34. Quòd si semper facit, id quod optimum. E. intendit id, quod optimum, cùm non per accidens & temerè optimum facit.

2. Abutuntur hoc effato Chymicorum nonnulli, indè, quòd natura semper perfectissimum intendit, colligentes, in genere metallorum eam semper intendere aurum.

3. Verùm illa propositio intelligenda de individuis unius speciei specialissimæ, non de speciebus diversis & individuis specierum diversarum sub uno genere contentarum. In specie humana intendit natura hominem facere perfectissimum, in specie tritici triticum perfectissimum, in specie auri aurum perfectissimum, non tamen sequitur, quod quia aurum in genere metallorum perfectissimum est, tantùm aurum intendat, perinde enim est ac si dicatur, Naturam in genere animalium semper intendere hominem, quod inter animalia homo est perfectissimus. Vide Sennertum, *l. 5. Epit. natur. scient. c. 5.*

4. Quòd si objicias, naturam non semper facere id, quod est optimum, cùm interdum producat monstrum. Resp. Naturam semper facere optimum, nisi ei impedimentum aliquod occurrat, quo ab instituto deflectat, quod accidit in generatione monstri.

Regula IV.

Quod est diuturnius & stabilius magis est eligendum, quàm id quod est minùs tale, Arist. 1. top. c. 1.

1. Vel quòd quid diuturnius est, eo est præstantius. Ita bona animi præstare bonis corporis & fortunæ, vel indè probari potest, quòd illa firmiora sint & du-

durabiliora, propterea quòd magìs ſint in poteſtate noſtra, hæc autem minùs ſtabilia, quòd extra nos & caſui magìs obnoxia ſint. Ità ſtudioſus ſi majorem temporis partem libris & ſtudiis liberalibus tribuit, præferendus eſt iis, qui ſtudiis parum, aliis rebus plus temporis impendunt.

2. Poſſumus eodem modo argumentum hoc accommodare rebus malis. Malum enim diuturnius, deteſtabilius eſt eo quod minus diuturnum, & hanc etiam ob cauſam æterna damnatio omnibus aliis malis pejor eſt; hoc ipſo, quòd æterna eſt. Ità Ariſtoteles aſſerit, illiberalitatem eſſe majus malum prodigalitate, quod vel indè patet, quia eſt diuturnior, illa eſt ἀνίατος, *incurabilis*, hæc verò εὐίατος id eſt, *facilè curatur*.

3. Verùm objici hîc poteſt: Si diuturniora & ſtabiliora eſſent præſtantiora, quercus eſſet præſtantior homine, & quivis abjectiſſimus lapillus præſtantior roſâ, ſentire præferetur ſcientiæ. 2. Sanitas eſſet nobilior & majus bonum quàm εὐεξία, cùm hæc nunquam nobis conveniat, niſi illa adſit; hâc autem deperditâ, illa adeſſe poſſit.

4. Ex hiſce igitur certum eſt, non poſſe nos ſimpliciter ex diuturnitate de majori præſtantia & autoritate judicare. Dicimus cum M. D. Venetis in præſentem locum Ariſtotelis, quod eſt durabilius & firmius eſſe præſtantius 1. *ſi id quod exceditur tempore*, ſeu duratione aut firmitate, *non excedat in aliquo alio quod ſit majus aut præſtantius quàm id quod exceditur*. Hinc ergò quercus homine, lapillus roſâ, ſentire ſcientiâ præſtantius bonum non eſt, quia natura, quâ parte homo quercum, roſa lapillum, ſcientia ſenſum excedit, eſt præſtantius & nobilius duratione. 2. *Niſi contingat ipſum diuturnius in minùs diuturno contineri*, includens enim ſeu continens, perfectius eſt quolibet incluſo, hoc modo ſanitas non eſt præſtantior εὐεξία.

5. Breviter puto dici poſſe, *Diuturnius eſſe melius cæteris paribus*, *aut ſi aliàs id quod eſt minùs diuturnum ſit melius*. Ita ſi duo ædificia in bonitate &

commoditate sint paria, id quod stabilius & perfectius est, alteri longè præferendum est. At quercus non est præstantior homine, quia in cæteris homo & quercus non sunt paria, sed decisâ duratione, homo longè nobilior est.

REGULA V.

Desiderium boni imperfectioris, cessat acquisito perfectiori.

1. Ex eo, quòd acquisito bono perfectiori cessat desiderium boni imperfectioris, probare quidam conantur, *materiam, quando est sub forma nobiliori*, verbi gratiâ, hominis, *non appetere ignobiliorem*, verbi gr. lapidis: & sic tollunt appetitum materiæ universalem.

2. Sed sciendum est, appetitum esse duplicem: *Elicitum*, & *Innatum*. Ille est *actus secundus*, quo aliquid fertur in bonum (sive apparens illud sit, seu revera bonum) præcedente cognitione; quæ vel est intellectûs, & sic appetitus est actus voluntatis; vel sensûs, & sic appetitus est actus appetitûs sensitivi, qui in brutis etiam reperitur. hic autem nempe appetitus Innatus, nihil aliud est quàm *ipsa potentia naturalis quantùm capax est suæ perfectionis sine ulla præcedente cognitione*, sicut materia dicitur appetere formam, quam non cognoscit, quantùm ejus tanquam perfectionis suæ capax est.

3. Jam dico, Præsens effatum intelligendum de appetitu seu desiderio, non *innato*, sed *elicito*. Desiderium elicitum ex cognitione oritur, sicut diximus, quia igitur cognitio potest variari & cessare, ideo & desiderium cessare & mutari potest. Cessante igitur cognitione, quæ excitabat affectum desiderii inferioris, cessat ipsum desiderium, ideo autem illam cognitionem cessare acquisitâ re perfectiori, quòd in præsentia rei perfectioris nihil fit, & parvi æstimatur ignobilior, & non apprehenditur ut conveniens pro indigentia sublevanda, vel eâ ratione ob quam desiderabatur, sicut Gabriel Vazquez, *part. disp.* 34. Desiderium verò innatum cùm ex natura ortum habeat, & nihil aliud sit, quàm ipsamet potentia

natura-

naturalis respectu perfectionis, quâ privata est, nullâ ratione mutari potest aut extingui, quamdiu ipsa potentia privata manet. Ex quibus patet appetitum materiæ cùm sit innatus non cessare respectu formæ ignobilioris quando est sub nobiliore, quia quamdiu est sub nobiliore, privata est ignobiliori.

4. Verùm nè de appetitu elicito quidem boni imperfectioris verum esse videtur, quòd cesset acquisito perfectiori: Quid enim annon qui inops simul est & ægrotus, appetit bonam valetudinem, & bona fortunæ quæ ad vitam sustentandam sunt necessaria, recuperatâ sanitate, quæ est bonum perfectius opibus externis, manet appetitus divitiarum. Item aurum perfectius argento est, qui aurum possidet, argentum appetere potest.

5. Puto dicendum, appetitum seu desiderium boni imperfectioris tolli acquisito perfectiori, *si illa duo bona concipiantur tanquam inter se repugnantia*, ita ut ea simul habere nolimus. At quando aliqua bona concipimus, tanquam inter se non repugnantia, sed quæ simul obtineri queant, non est necesse tolli appetitum imperfectioris acquisito perfectiori, ídque probatur per ea, quæ §. *præc.* sunt adducta.

6. Dixi autem *si concipiantur tanquam inter se repugnantia*, quia, si repugnent, nec tamen repugnare existimentur, potest unum appeti acquisito altero. Similiter etiam aliqua bona concipi tanquam repugugnantia etsi revera non repugnent, sufficit ad hoc, ut habito uno, alterum non appetatur, quod & ad ipsam rationem boni perfectioris & imperfectioris accommodandum, nempe appetitus boni imperfectioris cessat acquisito perfectiori, sive revera tale sit seu tantùm existimetur esse, nimirum, quando agitur de bono respectu appetitûs, perpetuò ante oculos habendum est illud Aristotelis, 2.*phys.t.*13. *nihil autem refert bonum ipsum dicatur an quod appares bonum*. Vide eundem quoque, 3.*Eth.c.*4. & ratio est, quia bonum non movet appetitum nisi mediante cognitione, atque proinde est seu revera bonum sit, sive non, modò ut tale cognoscatur.

7. Videtur autem & hoc obſervandum eſſe, nempe regulam non tantùm intelligendam eſſe de eo, quod in ſe & abſolutè eſt perfectius, ſed & de eo quod eſt convenientius & melius appetenti, ut ſiquis indutus ſit veſte pretioſiore, poteſt deſiderare viliorem, & quam ſcit eſſe viliorem, ſed quæ pro conſtitutione aeris aut aliarum circumſtantiarum ſit commodior.

REGULA VI.

Voluntas eſt impoſſibilium. 3. Eth. c. 2.

1. Sciendum 1. duplicem eſſe voluntatem ſeu volitionem: vel enim eſt in rem non ſecundùm ſe tantùm ſed & ut acquirendam aut faciendam, & dicitur *voluntas efficax:* vel nihil aliud eſt quam complacentia quædam de re ſecundùm ſe, & non ut acquirendam aut faciendam; & propterea dicitur *voluntas ſimplicis complacentiæ.* 2. Bifariam poſſe dici *voluntatem eſſe impoſſibilium.* I. *Ita ut exiſtimentur eſſe poſſibilia.* II. *Ut exiſtimentur etiam impoſſibilia.* Jam facio tres concluſiones:

2. I. *Impoſſibilium, quæ exiſtimantur eſſe poſſibilia, eſt voluntas non complacentiæ tantùm, ſed & efficax;* quod quidem facilè intellectu eſt. Nam perinde quis vult efficaciter bonum apparens & verum bonum, uti conſtat ex *t. ſupra cit.* 31. *l.* 2. *phyſ.* Ergò perinde etiam quis efficaciter vult id quod apparet poſſibile, quàm id quod revera tale eſt, & ita teſtatur ipſa experientia, æger enim cujus ſanitas per naturam recuperari nequit, ſi exiſtimet aliquid adhuc ſpei eſſe, medico & medicamentis ab ipſo præſcriptis utetur; nec deerunt vetulæ, quibus ſi perſuadere poſſis media tibi ſuppetere, quibus rugæ pelli & florens juventutis decor reſtitui queat, nullum dubium eſt, quin media illa ſint deſideraturæ; at qui media ad conſequendum aliquid adhibet aut ſaltem deſiderat, eum certum eſt id efficaciter velle.

3. II. *Impoſſibilium, quæ exiſtimantur impoſſibilia eſſe, non eſt voluntas efficax.* Quis enim in id quod credit & ſcit eſſe impoſſibile acquiſitu aut factu, feratur tanquam acquirendum aut efficiendum.

4. III *Im-*

4. III. *Impossibilium, quæ existimantur esse impossibilia, potest esse voluntas inefficax*, seu *simplicis complacentia*, & patet per experientiam. Fit enim ut homines delectentur eo quod ipsis est simpliciter impossibile, & cognitum quoque ut tale, ut se in angelos & aves converti, quæ res cognita aliquando ipsorum animum in delectatione obtinet ob aliquam commoditatem in ea consideratam. Ita potest impio placere, non esse Deum, apprehendendo id per modum sibi convenientis, etsi sciat simpliciter esse impossibile, cùm autem hujusmodi delectatio aut τὸ *placere* sit aliquis actus voluntatis, & non sit efficax, ut constat, sequitur, esse inefficacem, & hoc modo intelligendum est quod Aristoteles ait, *voluntatem esse impossibilium*.

5. Posset quis dubitare, annon Aristoteles, cùm ait, *voluntatem esse impossibilium*, de impossibilibus quæ tamen ut possibilia apprehenduntur, intelligat, ut ità etiam de efficaci voluntate verum sit.

6. Resp. Aristotelem non loqui de impossibilibus sub ea ratione, quâ tanquam possibilia apprehenduntur, patet ex oppositione, quam constituit inter voluntatem & electionem. Afferit enim electionem non esse impossibilium, & si quis diceret, ea sibi præeligere, stolidus videretur; voluntatem verò esse impossibilium. At certè impossibilium apprehensorum tanquam possibilia essent, est prælectio: quid enim si cui plura media ad finem offerantur quorum aliqua impossibilia, quæ tamen possibilia ipsi videntur, annon fieri possit ut is unum ex iis eligat? Videantur hac de reg. duo Gabrieles, alter, 2. *dist.* 8. *quæst. un. dub* 1. alter, *part.* 1. *tom.* 2. *disp.* 134. *c.* 2. & *part.* 2. *tom.* 1. *disp* 42.

Regula VII.

Ex duobus malis minus est eligendum.

1. Ita intelligendum est, quando occurrunt duo mala, quorum necessariò alterum est eligendum, nec fieri potest, ut utrumq; evites, tunc eligendum est id quod est minus; ut cùm obortâ tempestate aut moriendum mercatori est, aut merces in mare projici-

endæ merces utique projiciuntur.. Et hæc ſunt duo *mala pœnæ*, quamvis & *malum culpæ concurrat*, Ut ſi quis ſe potiùs in mortem dare, quàm vivere & mercium jacturam facere velit. Et ſanè quandocunque duorum malorum, quorum utrumque evitare non licet, alterum culpæ eſt, alterum pœnæ, *malum pœnæ eligendum pro malo culpæ*, cùm hoc majus ſit, & omnis electio mali culpæ ſit illicita & prohibita.

2. Sed quid ſi duo mala culpæ offerantur, ut ſi quis te cogere velit ut hunc vel illum occidas, aut bona ipſius furto auferas interminatâ morte infeceris. Reſp. Quandocunque duo mala culpæ offeruntur, neutrum eſt eligendum, ſed potes utrumque reſpuere, datur enim tertium, nempe malle mori, ídq; patet in præſenti exemplo, ſi enim mortem contemnas potiùs, quàm tanta peccata perpetres; ab utroque peccato eris immunis. Et huc pertinet quod Ariſtoteles, 3. *Eth. c.* 1. ſcribit, *in aliquibus*, inquiens, *fortaſsis nulla vis valet, ſed potiùs moriendum eſt, patiendo maximè terribilia*.

Regula VIII.

Qui vult antecedens, vult etiam conſequens Vel, *Qui vult cauſam, vult etiam effectum.*

1. Sumitur ex Ariſtotele, 3. *Eth.* 5. ubi cùm habitus injuſtitiæ ſequatur actiones injuſtas, & earum ſit principium & cauſa, dicit, abſurdum eſſe injuſtè agentem non velle injuſtum eſſe.

2. Verùm enim verò non procedit univerſim, qui vult antecedens velit etiam conſequens. Nam ſi quid conſequens alicujus ſit, ita tamen ut ego neſciam, eſſe conſequens, tunc poſſum velle antecedens, ut non velim conſequens. At *quicunque vult antecedens vult etiam conſequens, ſi ſciat, eſſe illud conſequens illius*, quemadmodum qui aſſentitur antecedenti non poteſt non aſſentiri conſequenti, ſi ſciat eſſe conſequens, at ſi neſciat aliquid eſſe conſequens alicujus, poteſt aſſentiri antecedenti ut non aſſentiatur conſequenti. Quemadmodum ad hoc, Chriſtum in triduo mortis fuiſſe hominem, conſequens

quens est hoc, Christum non fuisse revera mortuum. sunt tamen qui asserunt antecedens, nempe fuisse hominem, non tamen concedunt consequens, Christum non fuisse revera mortuum, quia putant id ex illo non sequi. Hæc explicatio legitur apud Gabrielem, *l.2.dist.6. quæst.unic. ad tertium*, & fundatur in textu Aristotelis, nempe in verbis immediatè ea quæ à nobis allegata sunt, antecedentibus.

3. Verùm id nec sic videtur esse universale, nam multi qui norunt ex crapulis & immoderato victu morbos oriri, crapulas & victum immoderatum volunt, morbos tamen eos velle, quis asserat.

4. Respondet Gerardus Odo, *in l.cit. Aristotelis*, hominem velle aliquid dupliciter contingere: 1. Quod velit illud *per se*, quomodo homo vult sanitatem, sapientiam, & similia. 2. Quod velit illud *cum alio bono*, quod nos possumus dicere, velle *per accidens*, sicut incommoda, quæ vitæ nostræ annexa sunt nolumus, volumus tamen ea cum vita magìs, quàm carere vitâ & incommodis. Qui vult crapulas & victum immoderatum, & scit ea morbos sequi, is vult morbos non quidem per se, sed per accidens quia nimirum mavult ægrotare, quàm à tali victu abstinere. Hoc modo, qui actiones injustas, vult etiam habitum injustitiæ, quem scit comparari per hujusmodi actiones, ignorare enim quod ex actibus circa singularia habitus fiant, hominis valdè insulsi est, *ut ait Aristoteles*. Videatur etiam Burlæus, *in l. Aristotelis cit.*

5. Notandum autem regulam hanc latiùs patere, & plura complecti si dicam. Qui vult antecedens, vult etiam consequens, quàm si dicam, Qui vult causam, vult etiam effectum, quia omnis effectus respectu causæ est consequens, sed non omne consequens est effectus, ex specie enim sequitur genus, cùm à positione speciei ad positionem generis *valet consequentia*, genus tamen non est effectus speciei, Vide quæ circa *reg. 2. tit. 7.* dicta sunt.

REGULA IX.

Si maximum maximo præstat, etiam genera generibus præstant, & quæcunque genera generibus præstant etiam maximum maximo. Aristoteles 1. Rhet. 7.

1. Sensus est: Quando sunt duo genera, si quod est sub uno genere maximum præstat illi quod est sub altero genere maximum, tunc illud genus alteri generi præstat; & vice versâ; Si unum genus alteri præstat, oportet ut maximum illius generis præstat maximo alterius generis.

2. Quod quidem non tantùm de magnitudine molis intelligendum est, sed & virtutis seu perfectionis. Illud siquidem perfectius altero est, cujus perfectissimum est perfectius alterius perfectissimo, & vice versâ. Exempli loco, dicit Aristoteles, si maximus vir maximâ muliere major est, utiq; viri majores erunt mulieribus, & si viri majores sunt mulieribus, oportet maximum virum maximâ muliere esse majorem. Ita si maximus J. Consultus est major maximo medico, & generatim J. Consulti majores erunt medicis. Hinc probatur vinum Rhenanum vino Francico melius esse, quia optima species vini Rhenani, nempe Bachravianum est melior optimâ specie vini Francici, quod est Klingenbergense. Patet autem ex exemplis adductis genus hîc non ita strictè accipi, ut in doctrina prædicabilium sumitur, sed latiùs, pro magis communi, nam vir non est propriè genus maximi viri; nec mulier, maximæ mulieris.

REGULA X.

Bonum commune præferendum est proprio. quod sumunt ex 1. Eth. c. 2.

1. Si bonum commune est præstantius proprio, sequitur, sensum scientiâ esse priorem, quod absurdum. Consequentia est manifesta, quia illa omnibus animalibus communis, hæc homini propria est. 2. Bonum magis proprium præfertur bono magis communi, ut habet Aristoteles, 3. *top.* 2. quo pertinet

pertinet & quod 2. *de republ. c.* 3. contra Platonem diſputans *ait*, magìs diligi nepotem proprium, quàm communem filium, & quis negaverit præſtare agrum proprium quàm cum aliis communem habere. 2. *Rhet.* 7. dicitur, quod rarius eſt, eo præſtare quod copioſius, ut aurum ferro.

2. Primò notandum puto Ariſtotelem, 1. *Eth.* 2. non dicere, bonum commune præſtantius eſſe proprio, ſed potiùs id velle, quòd *bonum publicum præſtabilius ſit bono unius ſolius*, at certè *commune* eſſe, & *publicum* eſſe non videntur unum & idem, nam ſenſus eſt quid commune omnibus animalibus; ratio ſeu intellectus quid commune omnibus hominibus; intemperantia, avaritia ſunt communia multis hominibus, iſta tamen publica non ſunt. Verba Philoſophi ita habent, *Si idem eſt uni, & idem civitati* (bonum) *majus eſſe & perfectius apparet conſequi & conſervare id quòd eſt civitatis. Etenim res quidem amanda eſt, quod uni & ſoli bonum eſt, ſed pulcrius & divinius quod genti & civitati.*

3. Sed eſto: Proponatur ita regula, Bonum commune præſtantius eſt proprio, non valet, *ubi pares termini non ſunt*, ſicut explicat Ricobolus. Jam pares termini non ſunt ſenſus & ſcientia, ſed ſeponendo hoc, quòd ſenſus eſt communius quid, ſcientia eſt longè nobilior ſenſu vel dicendum ex Ariſtotele, & res eodem ferè recidere videtur, non procedere, quantùm non eſt idem bonum proprium & commune: Ita enim ille habet: Si idem eſt uni, & civitati bonum, majus eſſe apparet conſequi id quod eſt civitatis. Jam ſcientia & ſenſus non ſunt idem bonum: ſic igitur *patet reſponſio ad primum.*

4. Ulterius autem dicendum, poſſe dici bonum commune dupliciter: 1. Ita ut *idem numero bonum ſit pluribus commune*, quomodo unus ager pluribus hæredibus communis eſt & *eadem vox exauditur à multis.* 2. Ita ut *non ſit idem numero*, quomodo ſcientia eſt communis multis hominibus, & ſenſus multis animantibus. Nam non idem ſenſus numero eſt in omnibus animalibus, nec eadem nu-

mero scientia in diversis nominibus; dicitur autem scientiæ proprium respectu speciei, quia est propria speciei humanæ, nec ad alia animalia se extendit.

5. Attendendo jam bonum posteriori modo commune puto, si diversum specie bonum cum alio bono, specie vel etiam genere diverso comparetur, tunc illam comparationem iterum bifariam posse accipi: Vel enim comparatur bonum quod certè est adstrictum speciei, nec extra illam reperi potest cum bono quod isti speciei cum aliis speciebus commune est, & tunc quòd proprium est, præstantius videtur communi. Quod etiam uni speciei proprium est, præstantius est eo, quod ipsi cum aliis commune est, si non semper ut plurimum, & sic videtur de bono communi & proprio loqui Aristoteles, *cit. c.* 2. *l.* 3. *top* Vel comparatur bonum cum bono, (diversæ speciei & naturæ) quantum uni tantùm speciei competit, sed unum actu à pluribus possidetur, aut majori copiâ repetitur, alterum à paucioribus, ejúsque tanta non est copia. Et hoc modo ait Aristoteles, 1. *Rhet.* 7. quod rarius est, esse præstantius eo, quod copiosius, ut aurum ferro, ubi utrumque ab hominibus tantùm possidetur, & non ab aliis animalibus. Quòd si idem specie bonum cùm seipso comparetur quantùm illud vel uni tantùm commune est vel pluribus & paucioribus competit, ut si scientia pluribus insit vel paucioribus, sic puto, aliquid esse quid in se & suâ naturâ esse præstantius, aliud nihil à pluribus vel paucioribus haberi esse præstantius, ejusmodi rei ut scientiæ eadem est dignitas in se, seu suâ naturâ seu pluribus seu paucioribus competat, & frequentiùs vel rariùs reperiatur, præstantius tamen videtur pluribus aliquod bonum competere, quàm paucioribus, & frequentiùs ita esse quàm rariùs, nisi forsan ex accidente aliter contingat: ut si scientia quò rarior est, eò majori in pretio habeatur, aut si multitudo eruditorum aut pecuniæ potiùs obsit Reipub. quàm prosit.

6. Id

6. Id præterea non est omittendum, *bonum esse commune* fieri dupliciter 1. Ita, *ut nulli possidentium aliquid ejus detrahatur, per hoc quòd aliis commune est.* Ita si multi unius scientiæ gnari sint, nemo eorum scientiam habet per hoc quòd alii eandem calent, & quòd lumen solis omnibus commune est, per hoc nihil tuo detrahitur visui. 2. *Ut detrahitur aliquid per hoc cuivis possidentium, quòd cum aliis commune est*, quomodo æger pluribus hæredibus communis est, & in repub. Platonis liberi erant communes. Et quod hoc modo commune est, tantum abest, ut sit præstantius proprio, ut potiùs proprium sit præstantius communi. Sic enim ager proprius præstat communi, & filius proprius communi. Priori autem modo communius videtur esse præferendum, ut vox præceptoris præferenda quæ à multis discipulis exaudiri potest, eâ, quæ à paucioribus.

7. Quanquam hîc sæpè distinguendum inter id quod est absolutè melius, & id quod est melius alteri. Ager enim in se non est melior seu à pluribus seu à paucioribus possideatur. Interim possidenti melior est proprius ager, quàm communis, & vox præceptoris eadem est inter se & æquè perfecta esse potest, seu à pluribus audiatur seu à paucioribus, quamvis meliùs sit si à pluribus audiatur. *Atque hisce simul enucleata est regula.*

Regula XI.

Bonum proprium est communi præstantius.

Regula XII.

Bonum publicum præferendum est privato.

1, Diximus in præcedentibus non idem esse publicum & commune, cùm comparaverimus igitur bonum commune & proprium, conferemus jam *publicum cum privato*, imprimis cùm verba Aristotelis ex quibus hanc propositionem, *Bonum commune*

esse

esse præstantius proprio, desumunt de publico, eáque à nobis in præced. adducta sint. Volumus enim nihil aliud hac regulâ, quàm quod Aristoteles ait, Si unum est idem & civitati bonum majus & perfectius apparet consequi, & conservare id quod est civitatis.

2. Sed hîc dubium oritur, quod post Deum maximè meipsum debeam diligere. Sed civitas non est Deus. Ergo magìs me ipsum debeo diligere quàm civitatem , & per consequens oportet me magìs intentum esse ad id, quod mihi bonum, quâm quod civitati.

3. Apponemus responsionem & verba Burlæi in præsentem textum. *Dico*, inquit, *secundùm quod mihi videtur, quod magìs debeo, & teneor procurare bonum civitatis, cujus ego sum pars, quàm proprium meum bonum, quia in hoc, quòd procuro bonum tali civitati, procuro bonum mihi ipsi, magìs tamen teneor procurare mihi ipsi bonum, quàm civitati, cujus non sum pars. Et hoc videtur Philosophus dicere in littera (si enim idem est bonum uni & civitati, majus & perfectius erit quod civitatis) unde si idem bonum sit mihi & civitati, quòd contingit, si sum pars civitatis, tunc majus bonum & perfectius est procurare bonum civitati quàm mihi ipsi, vel fortè posset aliquid esse ita excellens bonum mihi, quod esset modicum bonum toti civitati, & tunc magìs teneor procurare id bonum mihi, quàm toti civitati, cujus sum pars, unde magìs debeo magnum bonum civitati, quàm modicum bonum mihi procurare, unde respiciendum est ad quantitatem boni. Et per hoc solvitur dubitatio.* Hæc Burlæus.

TIT. XX. continens REG. IX. *circa doctrinam Propositionum.*

Vidimus hactenus regulas quæ τὰ ἄνευ συμπλοκῆς, seu terminos ipsos simplices concernunt, claudet agmen titulus, sub quo regulæ nonnullæ de propositionibus militabunt.

Regula I.

Talia sunt subjecta qualia permittuntur esse à suis prædicatis.

1. Intelligendum ait esse Johan. de Rhada *part.* 3. *contr.* 8. *a.* 4. *n.* 2. de suppositione eorum materiali, simplici vel personali, nempè subjectum sumitur *materialiter*, aut *simpliciter* aut *personaliter* prout poscit vel permittit prædicatum, ut si dicamus, Homo est tertiæ declinationis; Homo est species: præsupponitur, hasce propositiones esse veras, quod quidem à nemine in dubium vocatur: subjectum *homo* in priori non sumendum est nisi materialiter, pro voce nimirum, quia prædicatum, *esse tertiæ declinationis*, non de re, sed de voce tantùm verè prædicatur, nec permittit ut homo aliter accipiatur. In posteriori debet sumi simpliciter, quia *speciem esse* non aliter competit homini, quam simpliciter. i. e. pro communi conceptu tantùm sumatur, at si dicamus, Homo ambulat, homo nec pro voce nec pro natura, conceptu hominis in communi accipi potest, sed debet sumi pro inferioribus, nempè individuis hominibus, quia ambulare neque vox potest, neq; id naturæ ut communis & ab individuis abstracta est, competere potest, sed tantùm ratione individuorum seu singularium.

2 Puto

2. Puto tamen, regulam extendendam esse, ut *ad suppositionem propriam & impropriam*, nam cùm dico; Candor est virtus, candor non propriè pro colore, sed impropriè, ut ad animum translata vox est, debet sumi, quia prædicatum *virtus* non aliter permittit, cùm virtus de colore non possit verè prædicari.

3. Nec dubito quando commutatis terminis, ita dicendum sit, *Talia sunt prædicata, qualia permittuntur esse à suis subjectis*, & sic usurpari etiam solet, & certè cùm dico, Homo est species, tale est subjectum quale permmittitur à prædicato, sequitur, cùm propositionem converto & dico, Quædam species est homo, tale esse prædicatum *homo*, quale permittitur esse à subjecto, nempè simpliciter accipi, cùm subjectum *species*, non aliter patiatur: ita cùm Christus dicit, Herodes est vulpes, quomodo sumendum sit prædicatum nempè metaphoricè ex subjecto discimus, quia subjectum respuit, sibi conjungi vocem *vulpes* in propria significatione. *Vide* circa hanc regulam Vazquez, *p.* 1. *t.* 1. *disp.* 70. *n.* 3, & 4.

Regula II.

Quando conditionalis est vera, si ejus antecedens est necessarium, etiam consequens est necessarium. Thom. 1. q. 14. a. 13.

1. Non videtur hæc regula vera esse, quia sequeretur aliàs absurdum, nempè homines peccare ex necessitate. Argumentum sit hoc, Si Deus ab æterno præscivit Antichristum, vel quosque alios homines peccaturos, peccabunt. Hæc propositio conditionalis, vera est, & antecedens est necessarium. Ergò vi positæ regulæ & consequens necessarium est.

2. Ad hanc difficultatem quæ autores diu multúmque torsit expeditè respondet Becanus, *part.* 1. *theol. schol. tr.* 1. *c.* 10. *q.* 12. cujus verba apponemus, *Illa regula Dialecticorum*, inquit, *quando conditionalis propositio est vera, si ejus antecedens est necessarium, etiam consequens necessarium, locum habet*

quando

quando antecedens est necessarium ex intrinseca connexione terminorum, non autem quantùm solùm est necessarium ex accidenti seu ex suppositione. Constat autem hoc antecedens, Deus praescit Antichristum peccaturum, non esse necessarium ex extrinsecâ connexione terminorum, quia praescientia Dei non habet intrinsecam connexionem cum peccato Antichristi, est tamen necessarium ex suppositione, quia posito, quòd homo sit peccaturus, non potest hoc Deus ignorare.

3. Hæc solutio brevis est & clara, potest tamen aliter & sub aliis terminis explicari. Duplex enim necessitas est alicujus effectûs: Una *antecedens* altera *comitans*, seu consequens. Antecedens necessitas est, quæ oritur ex caussa antecedente, & necessariò operante, atque ad unum determinatâ. Positâ enim tali causâ, necessariò sequitur effectus. Hoc pacto necessarium est, cras solem oriri, quia ortus solis provenit à causa necessaria & determinata. Comitans seu consequens necessitas est, quæ non oritur ex causa necessaria, & ex ipsa positione effectûs, etiamsi effectus liber sit & à libera causa proveniat; hoc pacto necessarium est, Petrum sedere, posito quòd sedeat, aut sedisse, posito quòd sederit; aut sessurum esse, posito quòd sessurus sit. Hæc necessitas non tollit libertatem, sed potiùs præsupponit. Quòd ergò Deus præsciat Antichristum peccaturum esse, est quidem necessarium, non tamen antecedente sed consequente necessitate, illa enim necessitas non oritur ex aliqua causa necessariò operante, quæ præcedat peccatum, sed oritur ex ipsâ positione futuri peccati. Posito enim quòd Antichristus liberè sit peccaturus, necesse est peccaturum esse, & Deum hoc non ignorare quia omnia novit, nihilominus, quòd sit peccaturus, hoc non provenit ex aliqua causa antecedente quæ urgeat aut necessitet illum ad peccandum.

REGULA.

Regula III.

Veritas enunciationis de præterito aut futuro pendet à veritate enunciationis de præſenti.

1. Vel ita, *Omnis enunciatio de præterito aut futuro vera, fuit aut erit aliquando vera de præſenti:* ut verum eſt, Ariſtoteles audivit Platonem, ſimiliter hæc eſt vera, Extremum judicium erit, quia aliquando verum erit dicere, judicium extremum eſt; falſum autem eſt ſi dicas, Petrus fuit Romæ, ſi nullum tempus fuit in quo hæc vera fuit, Petrus eſt Romæ.

2. Contingit autem exceptio in duobus propoſitionum generibus, uti habet Durandus, 3. *diſt.* 22. *q.* 1. 1. *in propoſitionibus univerſalibus.* Nam verum eſt ſi dicam, Omnes Iſraelitæ qui cum Moſe exierunt ex Ægypto, fuerunt mortui, nullum tamen tempus fuit, quo hæc de præſenti, Omnes Iſraelitæ qui cum Moſe exierunt ex Ægypto moriuntur, fuerit vera, quoniam ſcilicet non ſimul ſed diverſo tempore mortui fuerunt. 2. *In terminis accidentalibus:* nam ſi paries heri fuiſſet niger, & hodiè eſſet dealbatus, verum eſſet ſi hodiè dicerem, Hoc album heri fuit, & tamen heri falſum fuiſſet, ſi dixiſſem, Hoc album eſt. Sic verum jam eſt dicere, Hic homo (*loquitur de Chriſto*) fuit antequam conciperetur in utero virginis, & tamen ſi quis ante illud id tempus, quo fuit conceptus in præſenti tempore dixiſſet, Hic homo eſt, falſum dixiſſet: quæ quidem ex ſeq. magis conſtabunt.

Regula IV.

Ad veritatem propoſitionis requiritur, ut omne id quod ſignificatur voce prædicati conveniat ſubjecto Durandus.

Deſumſimus hanc & ſeqq. duas propoſitiones ex Durando, *l. c.* & videntur mihi valdè utiles & notatu dignæ, ita ut hæc ſit vera, Hoc quod tibi trado, eſt

est poculum aureum, oportet ut & poculum sit, & ex auro constet. Quòd si vel ex auro non constet, licèt poculum sit, vel poculum non sit, licèt ex auro constet, locutio falsa erit. Excipiendum autem est quando in prædicato continetur *determinatio alienans* vel *diminuens*, tunc enim necesse non est ut omne quod importatur per prædicatum, conveniat subjecto, ut verum est, si dicam, Cadaver est animal mortuum, & tamen *animal esse* ipsi non competit. Ita hæc oratio, Æthiops est albus secundùm dentes, est vera, cùm tamen albus non sit.

Regula V.

Ad veritatem propositionis non requiritur ut prædicatum conveniat subjecto secundùm omne id quod significatur aut implicatur in subjecto, sed sufficit si conveniat ipsi secundùm aliquid, quod per ipsum importatur.

1. Non ista vera est, Hoc album currit; ubi in subjecto duo importantur, nempe materiale ut animal, & formale ut albedo, currere convenit huic albo, non secundùm omne id quod per vocem *album* significatur, quia non convenit ipsi secundùm quod album est, sed solùm ratione suppositi, cui albedo inest. Ita Christus dixit, Ego sum antequam Abraham erat, cùm tamen esse antequam Abraham erat, competat Christo non secundùm omne id quod voce hâc significatur, quia non competit ipsi ratione humanæ naturæ, sufficit quod conveniat ratione divinæ naturæ aut suppositi.

Regula VI.

Ad veritatem in propositionibus requiritur ut omne quod implicatur in subjecto, conveniat subjecto eo tempore quo fit implicatio.

Hoc est, quamvis non necesse sit ut prædicatum conveniat subjecto secundùm omne id quod in subjecto implicatur, seu per illud importatur, oportet

tamen ut id quod implicatur in subjecto conveniat eo tempore, quo fit implicatio, h. e. ut ego intelligo, *eo tempore quo propositio profertur*, v. g. si jam dicas, Homo albus currit, & jam nullus homo sit albus, propositio est falsa, propterea quòd albedo in subjecto jam implicatur, quæ in eo tamen non est. Ita si paries hic heri fuisset niger, hodie autem esset dealbatus, & ego heri dixissem, Hoc album (*pariete monstrato isto*) est, propositio fuisset falsa, propterea quòd hesterno die, quo propositio prolata, & implicatio circa subjectum, nempe conjunctio parietis & albedinis, facta fuisset, illa implicatio seu conjunctio nondum fuit, nondum enim ille fuit albus. At si hodie dicerem, Hoc album heri erat, propositio esset vera, quia hodie est illa conjunctio parietis & albedinis, quæ sufficit ut paries dicatur albus hodiè, neque aliud quid deest propter cujus absentiam propositio illa falsa reddatur. Ita si de Christo intra triduum mortis dixissem, Hic homo est, propositio fuisset falsa, quia in Christo implicatur humana natura, quæ tum non fuit, quia ut humana natura sit, requiritur unio inter corpus & animam, quæ Christo in sepulcro jacente fuit dissoluta. At alia ratio est, si jam dicam de Christo, Hic homo vel Christus in triduo mortis fuit, quia id quod in subjecto implicatur, nempe humana natura, cum supposito divino unita, ipsi supposito jam convenit, & est filius Dei jam formaliter homo. Unde hæc propositio jam est vera.

REGULA VII.

A propositione affirmativa finita ad negativam infinitam & vice versâ valet conseq.

REGULA VIII.

A propositione negativa finita, ad affirmativam infinitam, & contrà valet consequentia.

1. Propositio finita est, *cujus tam subjectum quàm prædicatum est finitum*, ut, Alexander est Rex. Infinita est *cujus aliquis terminus est infinitus*. Quid autem

tem sit terminus finitus & infinitus manifestum est, nimirum ille est finitus, qui *negationem expressam non habet in principio*, ut homo, arbor: Infinitus est qui *constat ex finito & particula negativa proposita*, ut non homo, non arbor.

2. Porro infinita triplex est: vel *ex parte subjecti tantùm*, ut non lapis est animal; vel *ex parte prædicati tantùm*, ut lapis est non animal vel *ex parte utriusque*, ut non lapis est non animal.

3. Inter propositionem finitam & infinitam de subjecto infinito nulla est consequentia, cujus aliquam rationem vide apud Zabarellam, *in tab.* Inter infinitas verò propositiones ex parte prædicati datur consequentia atque æquipollentia, cum finitis etenim ex affirmativa finita, sequitur negativa infinita, & vice versâ; ut Petrus est homo, Ergò non est non homo. Similiter ex affirmativa infinita, sequitur negativa finita, & vice versâ, ut Socrates est non sapiens, Ergò, non est sapiens. Inter duas affirmativas verò sunt, & inter duas negativas nulla datur consequentia, quod significavit *Aristoteles 2. de interp. c. 1.* si enim ex affirmativa finita, sequeretur affirmativa infinita, & vice versâ, ut si ex hac, Petrus est doctus sequeretur ista, Petrus est non doctus, tunc contradictoria verè affirmarentur de eodem. Si verò ex negativa finita sequeretur negativa infinita, & vice versâ, ut si ex hac, Petrus non est doctus, sequeretur, Petrus non est non doctus, duo contradictoria negarentur de eodem, & sic inter ea daretur medium.

4. Valet autem consequentia inter eas propositiones de quibus dixi, modò observentur sequentes cautiones I. *Ex particulari non infertur universalis*, non enim sequitur, Quidam homo non est doctus, Ergò, omnis homo est non doctus.

5. II. *Totum prædicatum oportet esse infinitum.* Nam si ejus tantùm aliqua pars sit infinita, non necessaria est consequentia, ita non sequitur, Homo potest non scribere, Ergò, non potest scribere. Adam in statu integritatis potuit non peccare, Ergò, non potuit peccare.

6. III. *Quando*

6. III. *Quando prædicatum negativæ finitæ est conjunctum ad affirmativam infinitam, non perpetua est consequentia*; non enim sequitur, Brutum non est animal intelligens, Ergò, Brutum est non animal intelligens, prior enim vera est, posterior falsa.

7. IV. *Notandum quòd consequentia inter affirmativam infinitam & negativam finitam in propositionibus reduplicativis, & quæ fiunt cum voce per se & similibus, non sit mutua.* Licèt enim in illis ex affirmativa infinita sequatur negativa finita, ut ex hac, Homo quantùm homo est non bestia, sequitur, Homo quantùm homo non est bestia, tamen ex negativa finita non sequitur affirmativa infinita. Ex hac enim, Homo quantùm homo non est albus, non sequitur ista, Homo quantùm homo est non albus, prior enim vera est, posterior autem falsa, quod probo, Quicquid convenit homini, quantùm est homo, convenit homini omni & semper, ejúsque contrarium nunquam alicui competat, nam non-album convenit homini quantùm est homo. Ergò, non-album omni homini, & semper convenit, neque ejus contrarium unquam alicui homini convenit. Conclusio est absurda, siquidem multi homines sunt albi, major est verissima: Quicquid enim convenit alicui quantùm ipsum, convenit ipsi omni, & semper, nec ejus contradictorium unquam ulli convenire potest. Absurda igitur est minor. Videatur Cajetanus, *in opusc. de ente & essent. c. 4. q. 6.*

Regula IX.

Ab est *tertii adjecti ad* est *secundi adjecti, valet consequentia*

1. Enunciationes simplices cum Nicolao Mesciensi, *l. 3. inst. log.* facimus triplices, quædam enim sunt *de verbo substantivo*, quædam *de adjectivo*, illæ iterum sunt vel *de secundo adjacente*, vel *de tertio*.

2. Enunciatio de secundo adjectivo, *seu* secundi adjecti est, *in qua verbum substantivum ponitur nullâ aliâ voce pro prædicato ibi appositâ*, ut homo est, cœlum est. Enunciatio de adjacente tertio est, *in qua ponitur*

tur verbum substantivum nomine post illud sequente, ut homo est mortalis, cœlum est corruptibile.

3. Ubi & hoc notamus, *Enunciationem de verbo adjectivo eandem esse rationem, idémque de illis judicandum, quod de illis quæ tertii sunt adjecti:* idque docet Aristoteles cum 5. *Met. c.* 5. ait, nihil differre, Homo est convalescens, & homo convalescit, Homo est ambulans vel secans, & homo ambulat vel secat.

4. Quæritur jam an ex propositione de tertio adjecto liceat inferre propositionem de secundo. Et licere patet indè, quia sequitur, Paries est albus, Ergò, paries est. Homo est ambulans, Ergò, ambulat. Non licere indè perspicitur 1. quòd posito, in toto mundo non dari lupos, sicut in Anglia non reperiuntur, non sequitur, Lupus est animal, Ergò, lupus est, quia illud in eo casu verum esset, hoc falsum. 2. In hyeme hæc propositio vera est, Rosa est species, falsa tamen ista, rosa est. 3. Ista propositio, Adam (primus homo) est non sedens, vera est; hæc tamen, Adam est, falsa.

5. Pro explicatione dico, *Regulam non valere in propositionibus necessariis & essentialibus*, quandoquidem in hisce prædicatum convenit subjecto etsi non exsistat. Unde si nulli lupi essent in rerum natura, hæc propositio esset vera, Lupus est animal, falsa hæc, Lupus est.

6. *Quantùm ad propositiones accidentales non valet regula* I. quando prædicatum est extrinsecè denominans ab actu intellectûs, appetitûs, phantasiæ, & si quæ alia est facultas animæ, quæ versatur circa subjectum absens vel non exsistens. Unde hæ propositiones sunt veræ, Ecclipsis præscitur, Sanitas amatur ab ægro, Rosa est species; & istæ sint falsæ, Ecclipsis est, Sanitas est, Rosa est.

7. Dixi autem quando *prædicatum est extrinsecè denominans ab actu intellectûs*, &c. quia eorum quæ intrinsecè denominant, item quæ extrinsecè à sensibus, aut aliis rebus alia est ratio. In hisce enim ab *est* tertii adjecti ad *est* secundi adjecti valet consequentia, Paries est albus, Ergò, est. Homo ambulat

Ergò,

Ergò, homo est. Paries conspicitur, Ergò, est. Ignis calefacit, Ergò, ignis est.

8. II. *Non valet quando prædicatum est purè negativum*, ut non sequitur, Adam est non sedens, Ergò, Adam est. Dixi *purè negativum*, quia privativorum eadem est ratio, quæ positivorum. Nam *privativorum quædam* sunt talia, ut *opponantur terminis denominantibus intrinsecè*, & sic ipsa etiam dici possunt intrinsecè denominantia, ut cœcum: opponitur enim videnti, quod est intrinsecè denominans. Quædam sunt hujusmodi ut opponantur terminis denominantibus, *extrinsecè*, & sic ipsa etiam extrinsecè denominantia vocari possunt, ut incognitum, irrepertum. Cognitum enim, cujus privatio est incognitum, dicitur à cognitione quæ est extra id quod cognoscitur. Jam dico, *Ab* est *tertii adjecti ad* est *secundi adjecti valet consequentia*, *& quando prædicatum est privativum*, ut homo est cœcus, Ergò, homo est: Aer est tenebrosus, Ergò, aer est.

9. Exceptio autem est, quando privativum est extrinsecè denominans ab actu intellectûs, appetitûs, aut phantasiæ. Non sequitur, dies extremus est incognitus (quantùm nescimus quando futurus sit) Ergò, Dies extremus est. Sed omnia ista latiùs deducta vide superiùs circa *reg.* 4. *tit.* 1.

10. *Dices*, Mortuum est terminus privativus, oppositus viventi, quòd est extrinsecè denominans, nec tamen sequitur, Petrus est mortuus, Ergò, Petrus est.

11. Potest responderi, *Mortuum* non esse accidens seu prædicamentum accidentale hominis, sed ipsi opponi, quod patet ex rationibus hominis & mortui. Essentia hominis est, esse corpus animatum, seu vivum: quoniam igitur mortuum tollit rationem vivi, & opponitur ipsi, sequitur mortuum etiam homini opponi.

12. Sed dicis, Hæc propositio est vera, Homo est mortuus, Ergò, mortuum homini non opponitur, quia oppositum de opposito verè non prædicatur.

13. *Resp.* Subjectum illius propositionis, nempe *homo*, non esse hominem qui jam vivit, & verè est homo, sed ampliandam ejus esse vim ad præteritum,

sic enim vera est ista propositio, Homo qui est, vel fuit, est mortuus: quam responsionem suppeditat Cajetanus, *in prædic. c.* 4.

14. Potest & responderi, quando prædicatum in propositione de tertio adjecto, tempus præteritum vel futurum connotat, verbum in propositione de secundo adjecto ponendum esse in eodem tempore quod prædicatum significat, aut ampliandum est ad illud tempus, quod fit cum disjunctione, ut Petrus est victus, Ergò, fuit vel est. Quidam Imperator est oppugnaturus Turcas, Ergò, quidam Imperator est vel erit. Sic ergò & in hoc sequitur, Homo est mortuus, Ergò, homo fuit, vel, Ergò, homo est vel fuit. Idem attendendum est in verbis adjectivis propositionum tertii adjecti, ut, Petrus ambulavit, Ergò, petrus est. Quidam Imperator oppugnabit Turcas, Ergò, quidam Imperator est vel erit. Atque hisce Explicationem Regularum finimus.

DEO

Sit laus, honor, & gloria.

FINIS.

